





R. P.


HADRIANI HADRIANI,

SOCIETATIS IESV
Theologi,

DE DIVINIS INSPIRATIONIBVS,

OPVSCVLVM.

Pſalm. 84.
Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem.



COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica, ſumptibus
Arnoldi Mylij. M. DCI.
Cum gratia & priuil. Sac. Cæſ. Maieſt.



Censura.

Opus verè pium, sanctum, & eruditum, ac proinde dignissimum, quod impressum ab omnibus legatur.

Cunerus Petri
Episcopus Levvardiensis.

ELOGIVM.



Adrianus Hadrianius, seu (vt Romanè dicamus) Hadriani F. Antvverpiæ natus, ciuitate terræ Belgicæ: in Ordinem Societatis Iesu adscitus, eiusq; Collegij primus apud Louanium institutor, consilijs & exemplo præstitit omnium ex æquo pater. Moritur Louanij festo die S. Lucæ anno 81. totius Academiæ humeris elatus. Reliquit ingenij sui monimenta, vulgari idiomate aliquot opuscula, quorum titulos Latina lingua subijcimus.

Commentarius in Orationem Dominicam.

De monte spiritali. Liber 1.

De vita actiua. De vsu rerum temporalium.

De operibus misericordiæ. Libri tres.

De Inspirationibus diuinis. Liber 1.

De Confessione. Lib. 1.

De origine Monastices. Lib. 1.

De Obedientia. Lib. 1.

De Paupertate. Lib. 1.

Horum duo, de Confessione, & Inspirationibus nostro studio Latinè prodierunt.

CHRI-

CHRISTIANO LECTORI G. BRVNESIVS CAN°.



Cio, mi Lector, iam olim me hoc debito teneri, & hæc mora non sine vitio est, etiam culpa apud Deũ, si quis ex hoc opere fructus expectandus: sed quum multa persuaderent, vt hæc quietis & pacis studia in tantis animorum contentionib. seponerem, tum propriè duo: quod fuisset Louanij superstite Domino Hadriano, qui eam interpretationem exorsus esset. (Dum hoc intelligo, & defungi hac molestia quouis modo cuperem, audio, interpretem nimia libertate & Paraphrasibus etiam in Patrum testimonijs & earum humanissimo viro displicuisse, atq; ideò quę incoata erant, intercidisse) tum, quod suauissima illius consuetudine, cui eam interpretationem cupienti destinaram, malo nostro-

rum temporum carendum mihi ſit. Sed quum vir integerrimus Arnoldus Mylius ciuis & bibliopola Coloniēſis qui ſuis typis Inſpirationes ſubiecerat, vt tandē aliquando cunctari deſinerem, admoneret: putaui amiciſsimi hominis voluntati & cōmodis concedendum. Igitur ne infidelitatis reus peragar ad tribunal Domini, ſancta, vota, debita Deo meo reddo, & tibi, quiſquis es, cui ſincera pietas & verus Dei timor cordi eſt. Nequicquam hîc conabor ad ſaluberrimi operis lectionē omnes adhortari, quod ipſa rei materia, tractatio, varietas, ſentētia, prorſus Regula quædam ex hoc libro ad cuiuſque vitæ ſtatum habeatur. quæ vt multis placeant; non deerit, cui parū plena, perfecta, diſtincta compoſitio, alibi excedens vel indulgens videatur. Sed quis impedit, quo minus ad hoc ædificium & tu conferas? & tantis omnium miſerijs tibijpſi & alijs auxilio ſis, vt ſapientia, precibus, modeſtia Domino placeamus, *in charitate fundati & radicati.* Ad quam

ſuſtol-

ſuſtollit ſignum Hadrianus noſter hoc opere, & eo nomine mihi placuit. Frugiferum, pium opus, & verè politicum, niſi quod peccaui parum diligens interpres. Nimirum ex varijs aliorum ſententijs ſuum contexuit centonem, quas ſuis Auctoribus redditas, vt à nobis non indiligenter quęrentibus haberi potuerunt, ſeruata verborum forma tranſcripſimus, vti quæ ex alijs ſuis Opuſculis citat Hadrianus, & Belgicè duntaxat prodierunt, & neceſſaria viſa ſunt, ſuis locis interiecimus, diſtincta typis: niſi forte operarum incuria nonnihil aberratum. Vtcunque hæc habent. oratio hiulca, inæqualis, lacera, materiæ, non interpretis eſt. Ad conciones, ad ſacra, ad mouendos animos, & illud conſcientiæ arcanũ paratus hic labor, vt ille, quo omnes in Adam perijmus, faſtus ſubſideat, alieni operis pręſtemus liberales nos & gratos cenſores; rem ipſam vicem locupletiſsimi theſauri poſsideamus. Et quidem animus mihi erat, longiore

epiſtola, vſum ſaluberrimi ſcripti, & fontes errorum noſtri temporis, qui ſcilicet ab Inſpirationum principijs dependent, conductis in vnũ exemplis deducere, ſed quod propter cauſas, quas habeo multas & graues modo non licuit, ſuo tempore, faciente Domino, cumulatè præſtiturus ſum: vt, quod opus eſt, non in contentione & æmulatione, ſed in veritate & fide non ficta viam mandatorum Domini ingrediamur.



DE

DE INSPIRATIONIBVS,

PROLOGVS R. P. Hadriani.

† 5

DE CONSILIARIIS.

DE OBLATIONE SVI-ipsius.

DE VERIS ET PERFEctis Dei amatoribus.

DE SPIRITALIBVS holocaustis.

DE DIVERSIS FERVOribus.

DE DIVERSIS DEsiderijs.

DE

DE SOLATIO CREATURARUM.

DE VARIIS SPECIEBUS TRISTITIÆ.

Cap.

DE INCERTITVDINE Inspirationum.

DE VOCATIONE Apostolorum.

DE QVIBVSDAM INSPIRAtionum qualitatibus.

DE NORMA INSPIRationum.

Cap,

DE CONDITIONIBVS Inspirationum.

Cap.

DE IIS QVI IN VITÆ statu sunt.

Cap.

DE IIS QVI VOCANTVR ad vitam Religiosam.

AVCTOR
LECTORI.



BENEVOLE lector. Quùm exploratum ſit Sacrę Scripturæ, & Doctorũ Eccleſiæ teſtimonijs, conſueuiſſe Deum loqui *multifariam, multiſq; modis* hominì, atq; eundem in hanc, modò in alteram partem commouere, vocare, docere, & illa ſuæ voluntatis myſteria aperire; eius nimirum rei perfectius intelligendæ gratia hunc laborem ſuſcepimus. *Hebr.1.*

Videlicet, vt ipſiſsimæ Dei inſpirationes ab hoſtium noſtrorum fraudibus, & inſidijs ſecernantur; easque (quantum in nobis eſt) intelligamus: vt, cum voluntatem & beneplacitum ipſius debita reuerentia proſequimur, tum verò ad actionem, & opera

nos conuertamus. Eſt enim hoc eorum, qui in humilitate & obedientia Deo ſe ſubijciunt, vt vocantem exaudiant, agnoſcant, atque in eo Doctoris & Apoſtoli

Rom. 12. ſui monitis ſe conforment: *Renouamini, inquit, in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.*

Secundò, vt iã de voluntate, & vocatione Dei conſtet, magnoperè tamen intereſt, illam vt nõ vitiosè & obliquè accipiamus, ſed ad rectã (quod aiunt) lineam in charitate & prudentia expendamus. Quod quidem ita oportere cùm rationi conſentaneum ſit, etiam illa in Deuteronomio

Deut. 16. ſunt: *quod iuſtum eſt, iuſtè perſequeris.* Significat enim Propheta, non, ſi rem iuſtam, aut quæ bona ſit, tractes, hoc ſufficere; requiri præthereà, vt cũ media elegeris rei cõficiendæ apta & idonea, tum quæ prætereà facienda

ſunt,

ſunt, prudenter, diſcretè, & conuenienter, magiſtra charitate, perficias. Volebat Apoſtolus: vt *exhiberemus nos hoſtiam viuam, ſanctam:* ſubijcit mox, *rationabile ſit obſequium veſtrum*, prudentiæ ſcilicet, & diſcretionis quaſi veſtibus exornatum. *Diligit enim iudicium* (diſcretionem) *honor regis*. Cui rei ſi mandatum, ſi teſtimonium Dei tui quæris, ecce tibi vtriuſque Teſtamenti ſalem illum diſcretionis: *Quicquid obtuleris ſacrificij, ſale condies. Vos eſtis ſal terræ. Omnis victima ſale condietur. Habete in vobis ſal.* Atque ita cenſet Hieronymus: placere Deo opus bonum, ſi cum ratione fiat.

Rom. 12. *Pſal. 98.* *Leuit. 2.* *Matth. 5.* *Marc. 9.* *In comment. ad Rom. cap. 12.*


Poſtremùm laborauimus hîc, vt qui puſillis ſunt animis, ijs fiat ſatis: quos nimia habet anxietas, qui hærent, qui dubij ſunt; illorũ omnium mentibus lux aliqua illuceſcat: atq; ex illis opinionum naufragijs in portũ veritatis deuchan-

uehantur: ſed neque perfectis hic labor in vanum eſt: gaudebunt equidem, ſi videant; quæ hauriunt ſpiritu, quæ cogitatione, & affectibus complectuntur, ea omnia ex ipſis Scripturis, & Eccleſiæ doctrina quaſi largiſsimo boni fonte profluxiſſe, Doctorum vocibus prædicari; hæc ipſa tot Sanctorum exemplis ab ipſis mundi primordijs in hunc vſque diem eſſe teſtatiſsima: gaudebunt dico, & in illa Sanctorũ corona concordibus votis Deo laudes & gratias, nobis omnibus beatiſsima precabuntur: quorũ pietatem & preces vt ſubſequamur, eoſq; æmulemur, dabit ille mitiſsimus, & largifluus omnis boni dator IESVS CHRISTVS, Amen.

Cap. 11. Quæ verò hic enucleatè, & ad captum, etiam cuiuſuis, cũ Deo volente explicabimus: ea ſtrictim, & quaſi digito ad fontes

intento,

intento, perfectos duntaxat, qui vsu, & virtute excellerent, docebamus, in eo libro, quem titulo Montis edidimus: quod caput hîc prothesi, & argumento præmittemus.



PRO-

August. Psal. 77. & in prol. lib. de doctrin. Christ. Vincent. de vir. spir. cap. 11. remed. 3. & 4. Thaul. serm. 3. Dom. 3. post Trinit. & Institut. cap. 4. in fine. Dion Carthag. Psal 84. D. Bern. serm. de 7. spiritib. D Bern. de Sen. serm. 2 & 3. post Penthecosten.

Viri boni, experientia, discretione, & rerum agendarum prudentia instructi, omnes quos sentiunt, affectus, impressiones, cognitiones, inspirationes, & reuelationes; licet illa subtilis iudicij aciem requirant: qualescumq; tamen sint, & à quocumq; veniant, à Deo, Angelis, natura ipsa, creaturis, aut demum hominibus (si tamen conueniunt, ad amussim Sacra Scriptura examinata, neq; sanctissimorum Patrum institutis, & Ecclesia decretis repugnant, atq; adeò rationis iudicium, & morum disciplinam consequuntur, cum & honestate & exemplo prosint) quemadmodum dico has inspirationes, & ipsi tanquam à Deo immissas (qui scilicet totius boni solus, & certus auctor est) suscipiunt, & alios vt suscipiant docent: ita nimirum qua non conueniunt ad S. Scripturam, & ea vt iam diximus, in nullo gradu ponunt, & vt alienas à Dei voluntate, reijciunt penitus & auersantur.

CA-

CAPVT I.

DEVM VARIIS MODIS AD hominem loqui.

DEvs (quod ait Augustinus) *vniuersorum curam habens, sic vnumquemq́ nostrũ tanquam solum; sic omnes tanquam singulos curat.* Ideoque prouidentissimo suo consilio, vndique offert homini media, quibus doceat illum, trahat, ducat ad sese: Vocat ille, loquitur homini quandoque per semetipsum in intrinseco motu cordis, quandoq; per Angelos, per Scripturas, per homines, qui vel concionibus ad populum occupantur, vel in magistratu, & dignitate sunt; per Prophetas, & ministros verbi sui: vocat item, dum vel spe hominem excitat, vel ratione, prudentia, gratia, atque adeò viribus ijs omnibus, quæ in homine sunt, vtitur: quod idem facit ipse naturæ ductus, morum honestas, & ingenua liberalitas: eodem modo ad minas, dicteria, & verborum acerbitatem sese profert, vt etiam in conuitijs, & maledictionibus eundem finem sibi statuat. nam morbis, & fortunarum naufragio hoc ipsum intendit, vt & cùm intus in animũ penetrat, atque ibi conscientiam va-

D. August. de Spir. & anima cap. 17. & Confess. lib. 3. cap. 11.

Heb. 1.
Luc. 7.
Actor 20.
D. August. lib. Confess. 7. cap. 8. & lib. 8. cap. 7. 10. 12. 11. & lib. 9. & cap. 4. 10. & 27.
Idem lib. 3. de lib. arb. cap. 20.
Prosper. lib 3 de vita contẽpl.

 riè

cap. 16. *D. Bern. de ascēs. serm. 2. & in fine serm. 21. in Cātica.*

riè afficit, & tentationibus, quasi in sudore, & puluere, multimodis hominem exercet. Itidē amore, suauitatis & mansuetudinis lenocinio pellicit nos, variis etiam exemplis aliorū propositis, in sermone, inquam, in silentio, in vita malè & turpiter acta. breuiter, nō est hominis vllius numerum eorum inire, quibus variè sese profert illa Dei benignitas, & gratia erga homines: qua hoc vnum satagit, vt beatitudinem omnes assequamur. Patet igitur quod ij quorum volūtas rectè, & laudabiliter affecta est (neque enim alios toto hoc libro intelligimus) non vnam certam vocationem expectant, neq; vnum aliquod diuinæ inspirationis genus votis omnibus expetunt: sed confidunt de gratia peritissimi doctoris & omnipotentis Dei, illum suo tempore vnò ex medijs dictis aut similibus vsurum tanquam instrumento, in operationem salutis suæ. Ideoque inspirationes illas quę in potestate nunc sunt, quasq; audiunt, eas verò diligentissimè excutiunt, & vsquequaq; obseruant: neque imprudenter nouas reuelationes respiciunt tanquam potiores, quibus præsentium iacturā faciant; cū probè sciant hoc astu Satanam multis imposuisse; cui hoc in votis est, vt hac spe melioris vtrū-

que

que de manu amittant. Sed vt eam, quã paulò antè ponebamus, varietatẽ comprobemus, illa Ecclesiastici de æterna Dei sapientia quæstio est: *Multiplicationem ingressus eius quis intellexit?* Hoc est. Media illa & modi planè infiniti sunt, quibus vtitur, vtque hominem conuertat, laborat Deus, *Vt ad eum veniat, & mansionem apud eum faciat*; *quos*, vanus sit, qui se comprehendere posse putet. *Eccles. 1.* *Ioan. 14.*

In hanc sententiam Clemens: *Omnium hominum curam gerens Deus omnipotens, alios quidem præceptis, alios verò minis, & nonnullos quidem signis prodigiosis, aliquos verò benignis promissis conuertit ad salutem.* & alio loco. *Multiplices habet Seruator voces, & modos ad salutem hominum, minans admonet, maledicens conuertit.* Hoc ipsum volebant illa Christi ad Petrum: *Abi post me Satana.* Verba erant non contumeliæ, sed rationis; vt quid fieret, quidq́; faciendum esset, diligenter attenderet. Eâdem ferè qua Clemens ætate S. Maximus: *Puram mentem nonnunquam ipse Deus docet; nonnunquam sanctæ virtutes, quæ factu sunt optimæ suggerunt; nonnunquam natura rerum contemplationi intenta.* *Clemens Alexand. li. 6. strom. Vixit an. 190.* *Idem. Oratio. adhortato. ad Græcos.* *Matth. 16.* *S. Maximus de Charitate lib. 3. centur. 93.*

Quæ verò ex creatis rebus doctrina petenda sit, qui fructus inde colligi pos-

Cap. 2. sit, D. Paulus luculenter ad Romanos explicat. S. Chrysostomus Christi verba, quæ in Euangelio sunt expositurus: *Venit Ioannes neq; manducans, neq; bibens, & dicunt: Dæmonium habet.* Docet: quod Deus quosdam ad se vocet singulari, & seuero viuendi genere, alios verò communi, & vsitato. D. Augustinus exponens locū Euangelij: *Amicus sponsi stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi: fruamur* ait *auditu sine strepitu, nobis loquente intrinsecus veritate, quanquam etiam cum forinsecus insonat per legentem, per annunciantem, per prædicantem, per disputantem, per præcipientem, per consolantem, per exhortantem, per ipsum etiam cantantem atq; psallentem.*

Ioannes Chrysost. in cap. Matth. 11. Homil 38.
Ioan. 3.
D. August tract. 57. in Ioan.

Sed quid apertius illa Christi voce in Euangelio? *Qui vos audit, me audit.* Et Paulus ad Ephesios: *Serui obedite Dominis carnalibus, seruientes cum bona voluntate sicut Domino, & non hominibus.* Ita nimirum subditi magistratibus, filij parentibus, honorem debent & obedientiam. Iterum Augustinus: *Vocat vndiq; ad correctionem Dominus, vocat vndiq; ad pœnitentiam, vocat beneficijs creaturæ, vocat impertiendo tempus viuendi, vocat per lectorem,*

Luc. 10.
Ephes. 6.
D. Aug. in psal. 102. & sexto Confess. cap. 7.

rem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis. Vocat per misericordiam consolationis. Item alio loco. *Ego in lege Domini meditor, si non die ac nocte, saltem quibus temporum particulis possum & meditationes meas ne obliuione fugiant stilo alligo: sperans de misericordia Dei, quod in omnibus veris, quæ certa mihi sunt, perseuerantem me faciet: si quid autem aliter sapio, id quoq; ipse mihi reuelabit: siue per occultas inspirationes atq; admonitiones, siue per manifesta eloquia sua, siue per fraternas sermocinationes. Hoc oro, & hoc depositum, desideriumq; meum penes ipsum habeo.* Verba D. Gregorij sunt: *Aliquando nos amore Deus, aliquando terrore compungit, aliquando præsentia quàm nulla sint ostendit, & ad æterna diligenda desiderium erigit, aliquando prius æterna indicat, vt post temporalia vilescant. Aliquando nostra mala nobis aperit, & ad hoc nos vsq; vt alienis etiam malis condoleamus, extendit. Aliquando mala aliena nostris obtutibus obijcit, & compunctos mirabiliter à nostra prauitate nos corrigit.* Et alibi. *Vocat per se Deus, vocat per Angelos, vocat per Patres, vocat per Prophetas, vocat per Apostolos, vocat per Pastores,*

Lib. 1. de trinit. cap. 3. psal. 31.

D. Gregor. lib. 5. in Iob. cap. 20. & de cura pastor. lib. 3. per totum & lib. 28. in Iob. cap. 2.

D. Gregor. hom. 36. in Euang.

vocat etiam per nos, vocat plerumq; per miracula, vocat plerumq; per flagella, vocat aliquando per huius mundi prospera,
Psal. 49. *vocat per aduersa. Nemo contemnat: ne*
Nolite ob- *dum vocatus excusat, cum voluerit in-*
durare cor- *trare non valeat. Audite quid Sapientia*
da vestra. *per Salomonem dicat: Tunc inuocabunt*
Prouerb. 1. *me, & non exaudiam; manè consurgent, & non inuenient me. Hinc est quod fatuæ*
Matth. 25. *virgines tardè venientes clament: Domine, Domine aperi nobis: sed iam tunc aditum quærentibus dicitur: Amen, Amen dico vobis, nescio vos.*

Est igitur manifestissimum, vocationes Dei esse varias; eum verò vocantem qui non audiunt, nec obseruant, & ma-
S. Bona- lè & impudenter agere. Scribit S. Bona-
uent. sti. uentura: *Audi ô homo qui in quiete, &*
diu. amor. *iocunda animi contemplatione Deo ser-*
par. 3. ca. 8. *uis. Ille quod infirmitatis tuæ probè con-*
Bernard. *scius esset, noluit te grauioribus & pericu-*
in par. *losis vijs implicari: alios autem, quorum*
serm. serm. *animi fortitudinem, in recto cõstantiam,*
56. Idem *& charitatem cognitam habebat, diffici-*
21. in cant. *lioribus etiam destinauit; quibus ipsis cum*
in fine. *opus fuit pro sua bonitate solatium, & quietem exhibuit.* Et Apostolus in Epi-
2. Tim. 4. stola ad Timotheum: *Argue,* inquit, *obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Vides contrarios doctrinæ modos:

Eadem

Eadem omnium ſententia eſt, loqui intrinſecus in anima Deum, excitare hominem ſpe; Angelorum, Scripturarum, hominum tandem, vel miniſtrorum ſuorum ad hoc munus vti miniſterio. Sit igitur hoc poſitum: vniformes non eſſe, diuerſas, & varias eſſe Dei inſpirationes, exemplum ex nobis peti poteſt. quid, an lingua, an os voluntatis noſtræ ſignum eſt, non etiam epiſtolæ, nutus, nuncij? *An non Angeli miniſtratorij ſpiritus ſunt? An non à Deo poteſtas eſt.* An non hic miniſtri Dei? miniſter verò is eſt, qui Domini ſui voluntatem & mandatum exequitur. Et iam olim prouerbij vicem obtinuit: quod quis per alium agit, id per ſe videri agere. &, Inſtrumenti actio cedit artifici.

Dioniſ. Carth. in Iob. ca. 37. Pulchrè Bern. de Senis feria 2. poſt pentecoſten.

Hebr. 1. Rom. 13.

CAPVT II.

QVOD DE HONESTIS VOluptatibus, quæ Spiritui S. viam præstant, malo fugam conciliant; quodque Dominus per malos loquitur, quibus aliquãdo deuotionem cum suauitate multa elargitur.

INclamat aliquando Spiritus Dei hominem, loquitur homini Deus occasione instrumenti musici, cantus, aut alterius liberalis & honestæ voluptatis. Cuius exercitij nos admonet Apostolus: *Verbum*, ait ille, *Christi habitet in vobis abundanter: in omni sapientia docentes & commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, & canticis spiritalibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* Et Helizeus. *Adducite*, inquit, *mihi psaltem. cumque caneret psaltes, facta est super eũ manus Domini, & prophetauit.* Dauid *quandocumq; spiritus domini malus arripiebat Saul, tollebat cytharam, & percutiebat manu sua et refocillabatur Saul, & leuius habebat. recedebat enim ab eo spiritus malus* Rectè igitur faciunt, qui, quæ honestè & piè exercent animum, aut corpus; ea, cùm ratio, & occasio fert, nequaquam negligunt. Sentiunt enim ab ea virium relaxatione alacriores se remitti ad virtutũ studia, vitiorũ fugam, et ipsam

Collos. 3.
4. Reg 3.
1. Reg. 16. & 10. & ibi Dionys. Carth.

ipſam demum Dei gratiam maiore animo capeſcendam. Volebat hoc Apoſtolus, cum ſuis ſcriberet: *Gaudete in Domino ſemper. iterum dico; gaudete. modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominib.* Quod ſi Pauli mentem aſſequimur, nonnulla hîc notabimus: Primùm, vt gaudium illud ſit in Domino, adque Dei gloriam referatur. Secundò, vt ſemper, nulla vitiorum admixtione, quæ vel minuat, vel planè tollat. Tertiò, modeſtè, cum timore Domini; maturo, ſcilicet, & recto iudicio, vt ne debitus ordo & harmonia interioris hominis perturbetur, atque in Deum peccet: ne, dico ſenſib. ſuis vel affectioni nimium indulgeat, & rectæ rationi vim faciat. Intelligemus hoc aptiſſimè, exemplo ſancti Patriarchæ Iſaac; qui ſenex iam, & plenus dierum, cum oculorū acies penè deperiſſet, benedicturus filium per ſpiritum prophetiæ, pulmentum, quo plurimum afficiebatur, ſibi popoſcit, ait igitur: *Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras: cumq́ venatu aliquid apprahenderis, fac mihi inde pulmentum, ſicut velle me noſti; & affer vt comedam, & benedicat tibi anima mea, antequã moriar.* Et mox. *Affer mihi cibos de venatione tua fili mi, vt benedicat tibi anima mea: quos cum*

Philip. 4. & ibi D. Thomas. pulcrè de his Philo de plantatione Noë, agens de riſu Iſaac. 10.

Geneſ. 27. et ibi Dionyſ. Carth.

oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum quo hausto, dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum fili mi. Accessit, & osculatus est eum, statimque vt sensit vestimentorum ipsius fragrantiam, benedicens ait: &c. Videlicet spiritus ille propheticus, & sacra benedictio in huiusmodi obsequijs, in cibo, potu, & odoris suauitate excitatus, aut perfectus fuit. Est ea sæpè humanæ naturæ fragilitas, multis morbis & pressuris obnoxia, vt ita demũ anima sui quasi cõpos, loquẽtem Deum exaudiat, agnoscat, intelligat; si potentiæ, si sensus vino, pane, vel aliunde petitis voluptatibus recreentur, firmentur in vita, & quasi gradu constituantur. Mirabile sit quantum vir pius possit, cui corpus firmum, vegetum, cui sensus pulchrè & aptè constituti sunt: quod si alias tentet, possibile non sit. est planè omnipotens Deus, sed & illi vsitatum naturæ vires vt plurimũ sequi. Nec verò sibi de hoc placeant qui voluptatibus & otio diffluunt, qui preciosissimi temporis magnam partem è manib. sibi
1.Reg.15. elabi patiũtur, qui hanc Dei pugnã constanti animo non depugnãt, vt pessimas animi cupiditates, vt praua desideria sibi subijciãt, quorum tandẽ vires attenuatæ nõ sunt, grauissimis virtutum exercitijs,

aut Dei seruitio: vt nequicquam sibi in his Patriarcharum, vel Prophetarum exemplis applaudant, ad quos illa non spectant, quum vtiq; iocunditates in cibo, potu, & odoramentis, instrumēta musica nec omnibus ac ne ijs quidē, qui boni & pij sunt, semper adhibenda sint: sed enim uerò Dei oculis arcana omniū & animi patent vbique vbicumq; tandē illi delitescant, mūdo ferè incogniti, & fortè plurimi qui apud Deum eodem gradu, & dignitate sint, quo Patriarchę vel Prophetæ fuerunt, & sanè vt his hominibus solatiū aliquod vel auxilium ab hoc scripto esset, laborem hunc subiuimus. Horum meminit in psalmis Rex Dauid: *Iusti epulentur, & exultent, & delectentur in lætitia.* Item. *Exultent, & lætentur in te qui quærūt te.* Et alibi: *Erat populus iocundus secundū faciem sanctorū.* In prōptu cuiuis est in Biblijs exempla sumere, quantam sępè lętitiam extrinsecus signis vel moribus Sancti declararint: Sed illa tanta exultatio erat ex abundanti, & (vt Christus inquit) ex adiectione, quæ scilicet ad interiorē & spiritalē animæ lętitiā, ad gratiarum actiones, & lętissima holocausta accederet. Quod ipsū in Ecclesiastici libro legimus: *Splendidū cor bonū in epulis est: Epulæ enim illius diligenter fiūt.* Hoc

Psal. 67. & 69.
Gen. 21.
Iudith 16.
1. Reg 11.
1. Para. 29.
2. Reg. 6.
2. Reg 8.
2. Paral. 7. 20. 35.
Hester 9.
1. Mach. 4.
Matth. 6.
ca. 30. et ibi Dionys. Carth.

Hoc est: quibus ingenium est liberale, & nobile, qui hilares & læti sunt in epulis, etiam ipsi lætos sese præstant & iocũdos; atque hoc ad Dei gloriam: vt redintegratis viribus & firmatis, præclarissimis quibusq; & sanctissimis operib. sufficiant, atque ex ijs pauperibus & alijs egentibus diuidant, quæ epulæ eo fine posito piè, & cum laude fiunt. Iubent igitur Sacræ literæ, corpori alendo curam nos adhibere, vt animę pijs & sanctis officijs deditæ subseruiat. Itaque videmus eos qui verè pij & sancti sunt, hilari et lubenti animo appositis vti, nulla petulãtia vel hypocrisi ductos. Neque hæc sic dici quisquam existimet, tanquam illorum institutum non maioris meriti, vel exempli sit, qui in abstinentia, & pœnitentis animi seuero iudicio, etiam Christi, & sanctissimi cuiusq; exemplo crucis onus adhibita discretione sustollunt. Nimirum hæc ad cuiusque captum scribimus, ne qui vident alios lubentes, iocũdos &c. in huiusmodi voluptatib. quas piè, honestè, vel necessariò vsurpamus, in illorum mores & vitam temerè inuehantur. Scit vtique Deus, & quisque sibi ea curet, quæ necessaria, quæ vtilia sunt, ea sibi eligat: pro se solo rationem accepti, & expẽsi in illo die redditurus. Atq;
hæc

hæc iam sufficiant de recreationibus, voluptatibus pijs & honestis: vt iã tot Scripturis, Doctorum testimonijs, ratione & experientia satis superque probatum sit, varijs & diuersissimis instrumentis, medijs, modis Deum vti & operari in salutem hominis: alia, atque identidem alia, mutatis etiam temporibus admouere, vt cuique quàm maximè salutare est: neque vna aliqua certa forma vocare, loqui, pertrahere ad sese hominem; vt nimirum semper ille attendat, vbique vigilet, aduertat, reuereatur se, ignarus qua tandem parte, quibus ostijs Spiritus ille Domini descensurus sit in domum pectoris sui, atque ita non alias occasiones captet, sed præsentibus vtatur, & fruatur quàm diligentissimè, quæ eadem ratio est, quod vitæ nostræ diem extremum tacitum nobis, & ignotum esse velit Deus. *Ioan 3.* *Matth. 24.* *Marc. 13.* *Luc. 12.*

Postremum, hi ipsi cum ab animo ita comparati sint, agũt quidem illi gratias, & benedicunt Deum. si ille vel visione se manifestauit, si per inspirationis eleuationes, vt vocant, affectus, motiones, per sancta & pura desideria eorum animos commouit; neque tamen committunt, vt hac gratia se extollant, sibi placeant, se suspiciant, admirẽtur ipsi: nihil hac causa

de rigore institutæ vitæ remittunt: eodē statu, eodem prorsus erga Deum timore perseuerant; vt magnoperè laborent accedere aliquid reuerentiæ, timori, &c.

Luc.12. probè memores illius verbi: *cui multum datum est, multum quæretur ab eo:* tum

1.Cor.13. illud Pauli cogitant: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; etsi habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia; & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem nō habuero, nihil sum.* In quibus verbis intelligimus hæc gratiarum dona etiam ijs contingere, qui flagitiosi, & improbi sunt, qui tamen Deo displiceant, eò maximè, quòd tam præclaris muneribus tam indignè abutantur.

Num.22. Deus enim etiam impijs spiritum pro-

Ioan.11. phetiæ, & miraculorum patrandorum aliquando confert, vti patet in Balaam, & Caipha Iudæorum pontifice; & Christus in Euangelio dicit ad eos, qui se predicabunt in nomine eius prophetasse,

Matth.7. & dæmonia eiecisse: *Confitebor illis,*

Luc.13. *quoniam nunquam nouit vos.* Atque adeò ariolus & idololatra Balaam ita cō-

Num.23. mouetur à Domino, *Vt mori exoptet morte Iustorum, & nouissima sua fieri*

1.Reg.19. *horum similia.* Et Saul derelictus à Dei

23.26. facie magna pietate moueri nonnunquam,

quam, eius intellectus illuminari videbatur, vt seipsum præteritorum peccatorum accusaret, & signa quædam verè pœnitentis exhiberet: sed nihil hæc ad obstinatos illorum animos, ideoque statim in pristina peccata relabebantur, iisdem passionibus subiecti. Huc referri debent, quę Christus in parabola loquebatur, de quatuor hominum generibus, qui ad nupitas vocabantur, & audiendum Dei verbum: & fuit non nisi vnum genus, quod fructum faceret. Licent essent ex ijs, qui singulari gaudio verba dicentis exciperent. Et sunt auctores viri sanctissimi pro singulari sua misericordia DEVM ea dona gratiæ suæ quibusdam largiri, Prophetiæ, inspirationum, reuelationum, visionum, deuotionis; Sed & hoc docent ea quibusdam in præmium, & mercedem imputari, eorum gratia quæ præclarè & rectè fecerunt, vel facturi aliquando sunt, qui tamen ipsi labuntur, tandem exorbitant, & damnationem sibi adsciscunt sempiternam.

Mat. 13. 22. Marc. 4. Luc. 8. 14.

D. Bern. de Senis serm. Fer. 2. post penth.

D. Bonauent. de stimu. amor. par. 3. ca. 6.

Dionys. Carth. in 1. Reg. 19.

Fit etiam vt hæc tanta dona quibusdã rationem adimant, qui dum huiusmodi affectiones suaues, & blandas sentiunt, Sanctis se similes arbitrantur, & vitia sua cęci prętereunt, aut corrupto iudicio vir-

tutes

tutes pronunciant: quod videre est in horum temporum infidelibus Turcis, & Iudæis, quos probabile est dulcibus quibusdam affectionibus vel deuotione recreari nonnunquam, quod tamen auctoramentum est maioris infidelitatis. Quemadmodum & illi Iob amici viri acuti, & ingeniosi diuinis reuelationibus cōtra virum sanctissimum & Dei famulum abutebantur.

Iob. 4.

1. Diximus igitur quæ delectatio bona sit: quæ Spiritui Sancto viam, malo impedimentum præstat.

2. Quare non vnam aliquam certam formam homini Deus reliquerit inspirationis vel vocationis suæ: qua statim ipsa Dei voluntas pateret.

3. Quod malis ea ipsa dona sæpè largiatur Deus, per eos loquatur, miracula operetur, nec tamen ad pœnitentiam, sed grauiore iudicio ad interitum.

4. Vt his affectionibus abutantur aliqui ad excusandas excusationes in peccatis, aut etiam peruerso iudicio quę mala sunt bona iudicent.

Quæstio.

Quid igitur? si vocationum & inspirationum tanta diuersitas & differentia est; maximis tenebris, & maiore quàm antea errore inuoluimur.

Respon-

Responsio.

Inspirationes Dei varias esse ostēsum satis est, atque hinc patet veritas, argumēti, quod supra premisimus: vt ea omnia de manu Dei accipiamus, quæ conueniūt ad amussim Sacræ Scripturæ examinatæ, rationis iudicium &c. neque ad alia, atque alia respiciamus, aut aliunde nouas reuelationes expectemus.

CAPVT III.

QVOD DE VARIIS EXERcitijs in cultu Dei exteriore, iam inde ab orbe condito à Deo vel institutis, vel approbatis.

HÆc quidem probatione non egēt, neque enim dubium est fuisse ab ipsis mundi primordijs varias cæremonias ad Dei cultum. Manifesta Scripturæ testimonia sunt; & hoc habet natura, & ipsa ratio, cum alia ferè atque alia cuiusque complexio, vis, potentiæ sint; alia etiam, vt maximè quæque consentanea sunt, tam diuersis ingenijs conuenire: neque possunt ignota esse ijs, qui Sāctorum vitas legerunt, quod et communi sen-

ni sensu, & tot annorum experientia testatissimum est, vt satis nobis esse debeat, si pauca in hunc vsum Sacræ Scripturæ testimonia conferamus. In Genesi legimus: *Abel fuit pastor ouium, & Cain agricola. factum est vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel*
Cap. 4. *quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorũ.* Erat Agricola Cain, quemadmodum & Adam pater. Nimirum sancta, auctore Deo, & honestissima
Eccle. 7. res agricultura est. Oblationes item terrę frugum, piæ, & bonæ; si purus & rectus est animus. iniquus Cain, ideoque longè à Dei gratia: Iustus & sanctus Abel Protomartyr, & accepta fuit hostia in oculis Domini. *Respexit* enim *Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Atque hic aduertendum est primum, in Scripturis nominari Abelem, qui primogenita sua Deo obtulerit, quod postea populus Israël pręcepit Dominus, vt primogenita, & frugum primitiæ sibi offererentur: ex quo constare possit (quemadmodum &
Exodi. 13. ex eo testimonio quod iam posuimus)
22. 23. 24. deuotionem, & sacrificium hoc Abelis à
Num. 18. Deo auctore fuisse, & iam inde ab ipsis mundi initijs tam salutaris doctrina animis, nostris ingeneratur, vt quod in rebus nostris optimum & pulcherrimũ est, id

est, id Deo tribuamus. Iisdem ferè temporibus Enos Scriptura testimonium dat, *quod cœpit inuocare nomen Domini.* Non quod illi qui Enos ætate præcesserunt ad impietatem desciuerint: sed cum simplicem Deum colendi ritum vsurpassent, ille præter alios solemniorem instituerit, & certas preces, extrinseca adhæc deuotionis signa adhibuerit, adeoque vitam suam manifestiorib. quibusdã vinculis Deo astrinxerit; de qualibus etiam post videbimus, cum de Nazaræis tractandum erit. Eodem sensu accipiẽdum est, *quod Enoch cum Deo ambulasse dicitur* Atq; hactenus de exemplis, quæ ante diluuium. Succedat sanctissimus Patriarcha Abraham, ad quem illa Dei verba sunt: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui: & veni in terram, quam monstrauero tibi.* Atque ille Dei dictis statim obediens assumpta vxore, & bonis omnibus abijt in alienam terram, neque illum familia, quam habebat amplam, & copiosam, non ancillæ, non serui, non tot greges animalium, non pericula. & insidiæ, constantiam illius viri labefactarũt: quin toto vitę suæ tempore incertis sedib. peregrinaretur. Atque hinc iam cuiuis in prõptu est apud se æstimare, quàm multa ferre

Gene. 4.
Gene. 5.
Gene. 12.
Acto. 7.
Gen. 14.

ta ferre ille, sustinere, & pati debuerit. Erat hoc Abrahami institutum singulare, neque enim fuerunt qui eam rationem vitæ in extrinseco cultu ad Deum obseruarint, neq; alios huius vitæ æmulos legimus, nisi filium Abrahæ Isaac, nepotem Iacob, & totam illam posteritatem Israelis, cum primum seruitute Ægyptiaca liberaretur: Cuius rei si quis ab huius seculi hominibus iudicium quærat, pro sua sapientia, stultorum talem vitam & fanaticorum esse prædicabunt. Iterum, cum *sacerdos Dei altissimi Melchisedech* benediceret Abraham, *dedit illi decimas:* Quod videlicet signum erat internæ pietatis: neque dubium quin ab inspirante Deo, cui illa Abrahæ deuotio tantopere placuit. Quod si confirmandū est, an tādem arbitramur Sanctissimum sacerdotem, nisi hæc ita constitissent, acceptaturum fuisse? cuius quæ, quàm multa, magnifica in Scripturis testimonia vel mysteria sint, obscurum non est. Nam alioquin Regiæ dignitatis viro, cui opes, & reliqua pro fortuna affluerent, quid ea liberalitas contulisset? nisi ille pro iudicij sui æquitate, & animi magnitudine pientissimi hominis beneuolentiam approbasset? Atq; hæc sunt quæ de decimis dandis primum legimus: neque diu


Iosephus antiq. iudaic. lib. 4. c. 01. et bell. iudai. li. 6. cap. 11.

Gene. 14. Heb. 7. & 8.

diu fuit,cum, eas vt darent legem à Deo posteri acceperunt, cuius memoria ne vllo vnquam tempore excideret,iterum atque iterum repetijt: vt apertissimum sit auctorem huius præclari facinoris Deum habuisse,cui,quis demum ea frõte est,qui respondeat? Benedictus Deus in donis suis: qui pro immensa misericordia sua ita nos viresq; nostras præparet,vt Sanctorum suorum exemplis insistamus, & ipsius diuinas inspirationes quàm rectissimè percipiamus.

Procurator *seruus senior domus Abrahæ*,cum in Mesopotamiã abijsset,& omnia ex voto cederent, *procidens adorauit in terra Dominum:* nec turbarunt fidelem famulum ignotę facies,inuisa terra, quibus etiam ipsis magna Dei gratia iã innotuerat. Gene.24.

Ad Iacobi vota veniamus, fugiebat metu fratris sui Esau,atque vt tantis suis angustijs Deum sibi conciliaret, votum vouit,varijs cæremonijs vestitum,dicẽs: *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via,per quam ego ambulo,& dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusq; fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste,quẽ erexi, in titulum,vocabitur domus Dei:cuncto-* Gene.28.



rumq́, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Domus Dei, hoc est, in hoc loco sacrificium offeram tibi, loco quasi consecrato, & sancto, ad preces & seruitium debitũ tibi. Vbi aduertẽdum est, quãuis sanctus ille vir vitæ suæ diebus omnibus Deum in oculis haberet, maximi tamen fecerit, si locum huiusmodi selectum, & paratum officio diuino destinaret, quẽadmodum & pij omnes, & ipsi Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum in templum abierunt ad orationem.

Act. 3. & 5. Domus mea domus orationis est.

Et quoniam hoc Patriarchæ votum tot, tam accuratis verbis legentium animis imprimitur, existimandum sanè est eam Dei gratiam multis alijs illuxisse: cum vtiq; ad doctrinam nostram sufficiat, si è multis vel pauca nobis exhibeantur. Nam & hodiè aduertenti patet varijs, & diuersis affectionibus pijs illis, & præclaris multos priuatim duci, qui tamen in ijs quæ publica, & societatis sunt, omnes conueniant. Et quidem quę rectè, & piè fiunt placent vtiq; Deo, auctori bonorum omnium: qui verò motu oris indecoro, aut aliusmodi moribus parum verecundis vel incommodis impedimento vel oneri alijs sunt, nequaquam probantur. Atq; istius sententiæ nostræ confirmatio, ex toto veteri Instrumen-

Chrysost. & Dionys. Carth. in 1. Reg.

strumento peti potest. Vbi quanta votorum est diuersitas? quàm differunt sacrificia? quàm varij mores & ritus placandi Deum, eo tamen ipso docente? Videlicet benignissimus ille parens, obuium sese, facilem & commodum cuiuis praebet, vt quo maximè potest modo proficiat, & in eo perseueret.

Iam illud apertum est, aliam à Deo perscribi legem summo Sacerdoti, aliam inferiori, aliam ipsi populo: aliam iterū vitæ degendæ normam Religiosis, siue Nazaræis; qui Sancti dicebantur, quod singulari quodam modo se Deo offerrent, & consecrarent: non quod vel alijs vel ijs ipsis Sancti nomen antè non tribueretur: sed quod nouo, & inusitato quodam more, adiunctis etiam externis regulis, & cæremonijs se Deo dedicaret. De his Sacræ Scripturę testimonium est: *Vir, siue mulier cum fecerint votum, vt sanctificentur, & se voluerit Domino cōsecrare: à vino, & omni quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quicquid de vua exprimitur, non bibent: vuas recentes, siccasq; non comedent cunctis diebus, qui ex voto Domino consecrantur. quicquid ex vinea esse potest ab vua passa vsq; ad acinum non comedent. Omni tempore* Leuit. 21. Num. 6.

 separa-

separationis sua nouacula non transibit per caput eius vsq; ad completum diem, quo Domino consecratur. Omni tempore consecrationis super mortuum non ingredietur, nec super patris quidem, et matris, & fratris, sororisq; funere contaminabitur. Quia consecratio Dei super caput eius est. Sed & alia multa Nazaræis præscribuntur. Atque hîc primùm inspice in illa signa & singulares cæremonias, quæ extrinsecus adhibentur ad consecrationem, vtq; sanctus fiat & nominetur. Secundò, quod etiam votum vouerit. Tertiò, Dei hoc esse institutũ ab ipso mundi exordio: cui quæ sua sunt displicere non possunt, atque adeò his etiam nostris tẽporibus idem ille Dei Spiritus ad eundẽ modum in multis operatur, cui rei testimonium, vt reliqua omittamus, præbẽt euidentissimum, tot, tam diuersi Religiosorum hominum ordines ab Ecclesia comprobati.

CAPVT

CAPVT IIII.

QVOD DE VITA, ET MOribus Nazaræorum, Essenorum, et Rechabitarum, quorum mentio in Testamento veteri: adiectis obiter quæ Domino nostro Iesu Christo, & plerisq; in vsu erant temporibus Apostolorum.

Considerãdum est, fuisse perpetuò, qui magno, & profectò amore cõcitati, se ipsos subijcerent, & Deo consecrarent, ad illa omnia lubenti animo acceptanda, quæcumq; tandem illi placuissent. atq; illorum aliqui liberam sequebantur voluntatem, & nullis promissionum vinculis alligatam: alij verò & illi liberam, sed cum voto, & data fide: quo de numero fuerũt Nazaræi, ijs omnib. adstricti, quæ capite proximo docebamus. Iterũ: erãt qui voto præstito certis temporũ spatijs hoc statu persistebãt: alijs autem voti, & vitæ idẽ terminus, vt Sampsoni, Samueli, Eliæ, Ieremiæ &c. *Dionys. Carth. Num. 6. & 1. Reg. 1. Caietan. in 5. c. Act. & Mat. 9 & in Luc 14.*

Sampsonis nõdum nati meminit Dominus: *Non tanget caput eius nouacula. Erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero.* qua causa etiam matri præcepit: *Caue ne vinum bibas, ac siceram, nec immundum quicquam comedas.* Ecce, quo, quanto apud *Iudic. 13.*

Deum

Deum gradu cuiusquam consecratio?

Quod S. Spiritus mysterium ne tardas & insolentes hominum mentes preterflueret, iterum, atque iterum ingeminat. Samuel vir Dei & magnus Propheta, iam antè præcognitus, prius quàm in vtero cōciperetur, ab optima matre Deo deuotus, Nazaræus dicatus, Nazaræus

1. Reg 1. consecratus est. *Anna cum esset amaro animo orauit ad Dominum flens largiter, & votum vouit, dicens: Domine exercituum si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisq́; seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius.* Et exaudiuit precem famulæ suę Dominus, deditq́; ei filium, quem Samuelē nominauit, qui in prophetam euasit sanctissimum, Deo probatum, & fidelem: qui eadem vitæ constantia ad finem vsq; perseuerauit: quod in libris Regum cuique petenti videre in promptu est, vt iam nemini dubium sit hoc Nazaræorum institutum Deo, & hominibus, quib. pietas & sapientia cordi esset, probatum semper fuisse.

De ijs ipsis longo post tempore illud

Thren. 4. Ieremię preconium est: *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores*

diores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.
Pulchriores dico, sapientia, & discretio- *1. Mach. 3.*
ne, quę in ijs elucebat. Mentio est eorum
præclara, inprimis in libris Machabæo-
rum, qui cùm conuenisset populus (va-
stata erant loca Sacra, imminebant ho-
stium crudelissimi) *Ieiunauerũt illa die, & induerunt se cilicijs, & disciderunt vestimenta sua, & attulerunt ornamenta sacerdotalia, & primitias, & decimas, & suscitauerunt Nazaræos, qui impleuerant dies, & clamauerunt voce magna in cœlum, dicentes:* &c. Videlicet non illi populo satis fuit, si Deo supplicaret: sed quod optimè constaret, Nazaræos Dei gratiam præ reliquis & sibi, & toti genti conciliare, suscitauerunt ex populo senes aliquos, qui hoc institutũ amplecterentur; aut si qui ex eo ordine supererãt, illos in conspectũ Deo dederũt, ad prouocandam misericordiam, & auertẽda mala, & commotus pietate populi sui Dominus victoriam, & triumphum largitus est.

Postremum adhuc Apostolorũ temporibus Nazaræorum fit mentio, cum quibus D. Paulus in templũ introijt de consilio Seniorum, vt satis pateat illud Nazaræorum & similium sanctissimæ vitæ institutum iã inde ab initio fuisse, ipsi rerũ omnium auctori Deo placuisse, *Act. 21.*

& optimo cuiq; venerationi habitū: atq; adeò illū sibi electū populum prædicat, eas vrbes, & familias complecti se quasi delectissimas filias cōtestatur Deus, quib. Nazaræum exsuscitat: hoc est, quorū filios gratia sua illustratos, ad istiusmodi vitę genus amplectendū euocat, mouet, aut firmat euocatos. *Et suscitaui* (loquitur per Prophetam Dominus) *de filijs vestris in Prophetas, & de iuuenibus vestris Nazaraos, nunquid non ita est filij Israel, dicit Dominus? Et Nazaræis vestris propinabitis vinum, & Prophetis mandabitis, dicentes: Ne prophetetis.* Hoc est. Ego, ait Dominus, cum maiore vos beneuolentia complexus, Nazaræos vobis & Prophetas largitus esse, etiā hoc insano studio contendistis, vt eos ab illa frugalitate, ad otiosæ, & voluptariæ vitæ delitias abstraheretis, spreta vocatiōe, & auctoritate mandatorū meorū: Prophetas, & verbi mei ministros cōtempsistis, aut in vestrā sententiam cōtra veritatem trāsuersos egistis, & modò dira minatur. Habemus igitur Dei ipsius sententiam, qua testatur, hoc suæ gratiæ donum excellens esse, quorum filios ministerio suo destinat; in illos autem vindictę suæ gladium exercere, qui huic gratię & muneri suo impedimento sunt.

Amos 2. Iac. Latom. De instit. monast. cap. 7.

Videre

Videre est hoc in horum temporũ exemplis, quod grauissimarum calamitatum, causas parentibus exhibeant filij illi, quos Dei seruitio abstractos ad huius mundi compedes redegerunt. nec hoc perpetuũ est: neq; enim hic semper pro meritis vindicat Deus, quod plerique non merẽtur, sed ferè mercedem & fructum recipiunt eorum quæ rectè hic egerunt; post, quanti sunt, Diabolo & Gehennæ committendi. fit econtra propter inscitiam, vel ingratitudinem parentum, aut negligentiam, pusillanimitatem filiorũ, vt vel collata gratia filijs auferatur, aut eius participes nunquam fiant.

Videlicet grauiter peccãt, q Deo vocãti resistũt, qui se ingratos exhibẽt ipsius tãtis beneficijs, aut ipsum Dei spiritũ contristant vel extinguunt. neq; interim nõ necessarium est, quib. Imperij, Rerumpublicarum filiorũ cura cõmissa est, illi diligenter, & solliciti videant, vt discretè omnia, prudenter, & ordine pertractẽtur ad normã Ecclesiasticarũ constitutionũ, vti toto hoc libro patebit. Atque hæc de Nazaræis, corũq; Regula &c. sufficiant, quorum vitæ ratio ab ipsis mundi initijs Deo, & hominibus placuit. *1. Thess. 5.*

Auctor est S. Hieronym. vocari ab Hebręis in Paralipomenon libris *Eunuchos*: *Quæst. heb. 1. Paralip. c.*

 qui vlt.

Ioseph 13. ant. 9. & 10. de bell. Iuda. 2. cap. 7. Philo de vita contempl. Euseb 2. hist. Eccl. 16. & 17. Item d. pr. p. Euang. 8. cap. 4. & sicap 1. Ibidem Porphyrius Plin. nat. hist. 5. c. 17. Ludolph, de vita Christi. per 2. cap. 35 in Matth 22. 3. Reg. 18. & ibid. Dion. Car. 4. Reg. 1. 4. Reg. 4.

qui ad consilium Salomonis vocabantur, ab omnib actib seculi alieni, orationi tantum vacabant, & lectioni; quos Iosephus Essenos vocet. Ex quo probari possit Essenos sanctos homines iam tum Salomone Rege floruisse, atq; idem hoc institutũ posterioribus, etiam Christi temporibus in vsu fuisse; quemadmodũ constat ex his ad marginem notatis auctoribus, quorum verba speciatim edito libello, de institutione vitæ monasticæ retulimus.

Helias Dei propheta difficillimum, nouumque orandi modum assumpsit, *cum ascẽdit in Carmeli verticem, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua*; atq; ita orans à Deo pluuiam impetrauit. De quo etiã scribitur, quod erat *Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus.* Videlicet alebat crines suos Helias, barba intẽsa, vestiebatur cilicio, aut pellibus; quemadmodum & B. Ioannes Baptista. De Helizeo legimus, quod *orauit ad Dominum, ascendit; & incubuit super puerum, posuitq; os suum super os eius, & oculos super oculos eius, & manus suas super manus eius: & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri, & vixit.* Ecce igitur hi Prophetarum maximi ad eam charitatem, qua intrinsecus in Deum mouebantur, exteriora

etiam,

etiam, & quidē grauissima pietatis exercitia adiungebant. Sanctissima viduarū Iudith, *abstulit à se cilicium, & exuit se vestimentis viduitatis suæ.* Nimirum distincto à reliquis habitu viduæ vtebatur, in quo, quemadmodum apparet, Deo seruientes commendabantur. *Iudith.10.*

Sunt alij, quos recenset vir Dei Ieremias, eorumq; sanctitatem & regulam quàm acceptissimam Deus habuit, ijsq; singularia & magna promittit, quod à Deo per Ieremiam tentati, si vitæ institutum semel susceptum relinquerent, nequaquam sibi à maiorum traditionibus abscedendū esse firmiter constituissent; Nomen habebant Rechabitarum, quorum tanta erat abstinentia, vt à vino tota vita temperarent, *non ædificarent domos ad habitandū, & vineam, & agrum, & sementem non haberent: sed habitarent in tabernaculis.* Hæc fuit vitæ illorum regula. *Ierem.35.*

At verò vbi illuxit salus Noui Testamenti, quàm solitarium ab hominum communi sensu alienum vitæ genus assumpsit Ioannes Baptista? Et de Anna Prophetissa testatur Euangelista Lucas, quod *non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens die ac nocte.* Ipse Dominus Noster IESVS CHRISTVS *Luc. 2.* *Matth.4.* *Luc. 6.* *Ioan. 9.*

per quadraginta dies ieiunat in deserto, totas noctes durat in oratione, in patrandis aliquot miraculis, qui mores? quanta solẽnitas? quæ pro sua omnipotentia vel vna cogitatione potuisset. Daturus cæco visum. *Expuit in terram, & fecit lutũ ex sputo, & liniuit lutũ super oculos eius, & dixit ei: Vade, & laua in natatoria Siloë.*
Matth.26. Apud Matthęum: *Procidit in faciẽ orans.*
Marc.7. Adducto ad se surdo, & muto, *apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illi: Epheta.* Scilicet animi sui pietatem factis explicuit, & nouis signis & modo quodam singulari.

Postremùm aduertamus in eorũ mores, vitam, studia, qui nouiter Christo nomen dederant Ecclesiæ nascentis initio:
Actor.2. *Omnes qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat. quotidiè quoq; perdurantes vnanimiter*
Actor.4. *in templo, &c.* Iterum. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia; & gratia magna erat in omnibus illis. Neq; enim quisquam egens*

inter

inter illos erat. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant precia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuiq; opus erat. Et quæ his testimonia cõferri possent? Ipse de se testis est Apostolus, aliud vitæ genus secutum fuisse, alios prædicationi mores adhibuisse præter cæteros Apostolos. 1. Cor. 7. 9.

Hactenus de exterioribus cęremonijs, moribus, & diuersis vitæ generibus ipso auctore Deo ab hominibus institutis, vel vsurpatis. Neque enim putauimus huic loco opus esse, vt infinitis sanctissimorum hominum exemplis hæc confirmaremus, aut petitis ab vsque primis Monastices initijs, quæ auctoritate sanctæ Ecclesiæ in tot se membra dispertijt testibus nõnecessarijs abuteremur. Nam & maioris operæ esset, & Scripturæ hîc sufficiunt. Qui igitur Christianæ pietatis studio tenentur, qui iudicio, vel ingenio pollent, si quid ijs sese obuiã ferat, quod ad hunc vsum faciat, quod huiuscemodi modo emineat, beneuolis omnia oculis, vultu, & animo placidis accipiunt, gratias, & laudes Deo debitas hominũ candidissimi exoluunt. Pulchrè memores quàm *Mirabilis sit Deus in sanctis suis*; illud Scripturæ sapienter & magno fructu Psal. 67.

Prou. 30. recolunt: *Noli prohibere benefacere eum qui potest, si vales, & ipse benefac.* Videlicet, ne quemquã in eo quod benè agit verbo, non facto, nõ exemplo lædamus sed illi potius ita progredienti; auxilio simus, & ipsi laboremus vt præeuntem cõsequamur. Quod omnibus nobis tribuat benefactor longè beneficentissimus Iesus Christus, Amen.

CAPVT V.

DE VARIIS HOMINVM INgenijs, studijs, & quasi vijs, ad eundem tamen scopum, in vitam æternam.

PRæter ea quæ diximus obseruandũ est, iam olim ab orbe condito varias instituendæ vitæ rationes quosdam vsurpasse, fuisse videlicet homines, quorum affectus, ingenia, exercitia, mores diuersi essent (quemadmodũ etiamnum sunt) quibus tamen omnibus, cum ad Deum referuntur, merces proposita erat vitæ æternæ. Nimirum vt ea quæ iam dicta sunt, omittamus, Iabel fuit pater *habitantium in tentorijs, atq; pastorum: & nomen fratris eius Iubal. Ipse fuit pater canentium Cythara, atq; organo.* Genes. 4.

Tubal-

Tubalcaim fuit malleator, & faber, in cuncta opera aris & ferri. Et quidē cantores illi, vt testantur viri docti, ne labori & operibus succumberent, aliorum animos solatio, & iocunditate quadam excitabant: qui lusus si oportunè adhibeantur, (quemadmodū omnia suum tempus habent) quàm rectè fiant puto testimonijs probari non oportere. Suppetunt ex S. Scripturis loca multa, potissimū in Psalmis Prophetæ Dauidis, cuius ea vox perpetua est: vt confiteamur Domino in Psalmis, & canticis, & omni instrumentorum genere. Erat enim ipse à puero earum artium peritissimus. quo modo paret summa Dei benignitas, qui illa nobis omnia largiatur, quæ viribus aut animis nostris, honesti, & liberatioris auxilij quicquam afferre possunt.

Dionys. Carth. hic.

Eccles. 3. 8. & 39.

Differebat moribus ab Ismaele Isaac: *Hic Ismael erit ferus homo*, (ait Scriptura) *manus eius contra omnes, & manus omnium cōtra eum, & è regione fratrum suorum figet tabernacula.* iterum. *Ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valdè: duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam.* Et rursum. *Moratus est in solitudine & factus est iuuenis sagittarius.* At verò Isaac morum, & vitæ simplicioris modestia maximè

Genes. 16. & 17.

Genes. 21.

mè celebratur, cui vsus erat in agris subinde meditari. Cum esset annorum quadraginta, vnicam duxit vxorem Rebeccam, ex qua anno post vicesimo duos sustulit filios, Esau & Iacob, vxore exinde sterili. Atque inter hos quanta diuersitas? *Esau vir gnarus venandi, & homo Agricola: Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* Iterū Iacob multis annis vitam exegit procul à familia, & domo Patris in labore & molestijs, cū Esau in ædibus paternis afflüeret delitijs.

Genes. 24.

Genes. 25.

Chrysost. Hom. 29. In 1. Cor. 12.

Moyses postquàm expositus fuisset, *sustulit eū filia Pharaonis, & nutriuit eum sibi in filium*, & edoctus omnē Ægyptiorū sapientiam, ad instar filij Regis enutriebatur, cumq; in medio esset hominū impiorum, vni tamen Deo adhærebat, qui eum tanquam fidelissimum famulū magna cura complectebatur. Quanta Ioseph & fratrum suorum vitæ erat dissimilitudo, quanta aliorum? Atque ita quemadmodū ipsę Dei vocationes multiplices sunt, plurimumque differunt, & in cœlesti domo mansiones multæ sunt, & ipsa Dei dona alio, atque alio modo, in alium atq; alium conferantur: ita etiam non vnū aliquod præscriptum, & solemne iter est, quod in cœlum ducat: sed diuersissimis viarum spatijs eò pertingere licitum

Actor. 7.

Lib. de vita act. c. 18. D. Bern. Apolo. ad V Vil. Abb.

Ioan 14.

1. Cor. 7.

licitum est: quibus ipsis rectissimam semitam in nouitate vitæ ingressi, indies promouent, atque ipsum tandem perfectæ beatitudinis statum in Dei visione consequuntur. Apud Clementem legimus. *Est quidem vna via veritatis: sed in eam tanquam in fluuium perennem, alia aliunde fluenta influunt. Diuinè ergo dictum est: Audi fili mi, & mea verba suscipe vt sint tibi multa via vitæ. Vias enim sapientiæ doceo te, ne te deficiant fontes, qui ex ipsa terra scaturiunt. Quo quidem loco vnius cuiusdam iusti vias plures salutares recensuit. Infert autem alias multorum multas iustorum vias, hoc modo id indicans. Via autem iustorum splendent sicut lux. Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos. Hierusalem autem exponitur visio pacis. Significat ergo Prophetice, eos qui pacificè res sacras inspexerint, ad vocationem multis modis institui.* Atque non ea modo diuersis competunt: sed idem numero homo, alijs subinde affectionibus ducitur, neque tamen deficit, sed in virtutis studio progreditur, & in cœlum, quo tendebat, beatus euadit. Nam si Sacræ Scripturæ sententiam accuratiore diligentia perquiramus, videbimus vbi

Clem. Alexand. li.1. Strom.

Matth.23.

Hebr.7.

Prou.3.4. 16.19.

Viarum

Viarum istiusmodi mentio incidit, nominari aliquando viam, tanquam si vna esset: aliquando vias, tanquam plures: quod videlicet omnis vitæ ratio quæ quidē bona sit, & honesta, ab vno perenni fonte Deo Patre deriuatur, per Iesum Christum Dominum nostrum: cuius de seipso testimonium est: *Ego sum via, veritas, & vita.*

Psal. 15. 24. 94. Esa. 2. Ioan. 14.

Quærit in Ecclesiastico Dominus: *Radix sapientiæ cui reuelata est, & astutias illius quis agnouit?* quæ illæ astutiæ? rationes sunt subtilissimæ, & media diuini cuiusdam intellectus, quibus illa filijs suis, cum malis premuntur, opem fert, & quos elegit; quos prædestinauit infinitis penè medijs in montem perpetuæ felicitatis educit. Iterum: *Disciplina sapientiæ cui reuelata, & manifestata est?* hoc est, non est qui intelligat, qui abdita Dei consilia satis assequatur: cum innumera sint, & quorum rationem inire nemo quisquam possit. Quæ omnia benignissimus ille Deus doctrinæ suorum, ductui, sæpenumerò etiam castigationi explicat.

Ecclesi. 1. & ibi Dionys. Carth.

Licet etiam nobis in hac viarum varietate, Dei dona, atque (vt vocant) gratias intelligere quæ nimirum in animis hominū eam vim habent, vt quæ maxima

D. Bern. Apolog. ad Guliel. Abb.

ma & præclarissima faciunt, earum virtute, præsidio, vel efficacitate faciant. Quæ sententia fuit Apostoli Pauli: cum Corinthijs varia Dei dona exposuisset, ita subijcit: *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes doctores? nunquid omnes Prophetæ? Æmulamini charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro:* Nimirum si excellentior via charitatis, priores illæ etiam viæ sunt. *1. Cor. 12.*

Possumus & has vias comparare floribus, lilijs, & pulcherrimis quibusque fructibus, qui ornatus sunt liberalis, & exculti horti, cuius *Conclusi* multa mentio fit in Canticis, & in figura notat Ecclesiam. Habet hortus ille vites, neque has vnius generis, flores, fructus, arbores itidem diuersissimas, quæ tamen sui principio cõmunicant. & ex eadem terra vitalem humorem imbibunt, eoque fundamento primum posito, tum sese exerunt, crescunt, &, qui cuique dantur, fructus proferunt, suis sese venditant, atque horto ornatum conciliant: eo prorsus modo in sancta Christi Ecclesia varij, & diuersi generis homines sunt, boni tamen; variæ itidem bonæ vitæ degendæ rationes, vt cuiq; Deus pro gratia sua tribuit, quorũ initium, & spiritale alimentum ab influente Spiritu Sancto est, qui *Cant. 4. 5. 6.*

auctore

1. Cor. 12. auctore Paulo *vbi vult spirat, diuidens*
Cant. 6. *singulis prout vult*, per caput vnum, Ie-
Eph 1. 4. sum Christum; vnam Catholicam Ec-
Colos. 2. clesiam; quemadmodum in fidei nostræ
1. Tim. 3. symbolo profitemur: quæ ipsa corpus Christi est, Dominus Dei, templum Dei viui: columna, & firmamentum veritatis; per vnam, & eandē fidem, spem, baptisma, vnū Deum Patrē omnium, iisdē Sacramentis in vi, & obedientia dictæ
D. Chrys. Ecclesiæ. Atq; ita omnes ab eadē radice
hom. 30. in vnitatis inde propagantur, crescunt, ex-
1. Cor. 12. hibent, probant sese Deo, & hominibus,
Psal. 44. vt quantū quisq; possit; ornatum conferat honori, & vtilitati Ecclesiæ. Respexit huc Psalmista noster. *Astitit Regina à dextris tuis in vesti u deaurato, circundata varietate*, hoc est. Regina Ecclesia sancta, & sponsa Christi, cum formidine, & stupore hostium, stat ad dexterā Christi sui in magna constantia, fortitudine, triumpho fixa, & inhærens Deo per charitatem: illa verò ipsa extrinsecus fulget, ornatur: circumuestiunt illam virtutes pulcherrimæ, status, officia, functiones, exercitia, gratiæ, dona, mores, &c. Diuus
D. Chrys. Chrysostomus exponens Christi apud
in 11 cap. Matthæum verba, sic ait: *Venit Ioannes*
Matth. *neq; manducans, neq; bibens, & dicunt,*
hom. 18. & *Dæmonium habet: venit filius hominis*
Luc. 7. *mandu-*

manducans atq; bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & vini potator, & publicanorũ amicus, &c. Hoc est: *Oppositis quibusdam itineribus ego, & Ioannes ad vos venimus, idemq; fecimus quod venatores solent, qui quãdo fugacissima captuq; difficillima insectantur animalia per multa & per contraria plerumq; itinera aggrediuntur, vt si alterum effugiant, in alterũ incidant. Nam quoniam vniuersum penè genus hominum ieiunantes maximè solet admirari, & duritiem viuẽdi approbare, idcircò statim à teneris vnguiculis dispensatione diuina duriter vixit Ioannes, ad hoc, vt ad credendum verbis suis populi ducerentur, & vt Christo omnes lucrifacerent. Multo enim maius erat testimonio eius qui durissima viuendi via vsus fuerat approbari, quàm ipsum ieiunare, atq; duriter viuere. Ipse enim publicanorũ, & peccatorũ mensas elegit, vt publicanos & peccatores saluos faceret. Et tamen hanc quoq; viam Christus ipse confecit, cũ quadraginta dies ieiunauit, &c Interrogabimus ergo Iudæos si ieiunium admirantur, atq; collaudãt, cur Ioanni nõ crediderunt, cuius verba ad Iesum illos apertissimè reducebant, quod si grauis quadã atq; tristis res Ieiuniũ est, cur Christũ nõ recipiebant? Sed enim verò qui remissos latosq; homines*

lau-

laudant, hi seueros & tristes ferre non possunt. Propterea etiam ipse ait. Tibia cecinimus vobis, & non saltastis quasi diceret: remissiore viuendi disciplina volui Luc. 7. *vos attrahere & noluistis: lamentati sumus, & non planxistis, quasi diceret. Noluistis Ioanni mentem adhibere, qui durissima disciplina viuendi ad vos venit: Non enim ad aliud Ioannes, ad aliud ego vos induco, quippe vnum est vtriusq; consilium, etiamsi viuendi studia contraria videantur. Neq; enim discrepantia est, sed summa concordia, quod cõtrarias vias elegimus, quæ tamen ipsa ad vnum exitum perducunt.*

Et quid apertius? quid ad hanc sententiam magis accommodatè dici posset? si hominũ sanctissimi, ipse Christus Saluator noster, & post Christum Ioannes Baptista, non modo differendi, sed etiam cõtraria via incesserunt in degendæ vitæ ratione, id quod non ab interprete tantum Chrysostomo, sed ab ipso etiam doctore Christo est in Euangelio demonstratum.

Atque vt digrediamur paululũ: quod fuit illorum os, quæ impudentia? qui præpostero illo suo iudicio in mores Iesu Christi Domini nostri, & Ioannis Baptistæ inuehebantur: quorum hunc à diabolo

bolo obsessum, Christum verò ebrium, & amicum esse peccatorū affirmabant.

Sed ne nimium ipsi exorbitemus, quemadmodum qui Louanio Mechliniam tendunt, alij Antvverpia eandē vrbem petunt, aut alijs quibusuis per circumitū vicis, & ciuitatibus eò se conferunt: hi diuersas ferè, aliquando etiam contrarias vias ineunt; omnes tamen iisdem tandem mœnibus excipiuntur: ita homines quorū diuersi mores, natura, complexio est, quos item pro sua gratia alio, atq; alio modo afflauit Sanctus Spiritus, quod quibusque maximè placet id vitæ genus amplectuntur, vocationem, munera, seruitiū Dei magno animo seruiunt: vt videlicet vna omniū merces, & corona in cœlis sit. Verba Chrysostomi sunt: *Mille sunt in scripturis solidæ, & genuinæ vitæ imagines. Helias inops, Abraham pecuniosus. quam faciliorem ex istis viam putas, & commodiorem, illam arripe. Rursus hic coniugatus, Helias virginitatem amplectitur, ad quam voles, transi. Nam vtraq; ad cœlū ducit. Alius per ieiunia, vt Ioannes; alius sine ieiunijs, vt Iob* (intellige tamen non ieiunasse Iob potissima parte vitæ suæ.) *Rursus hic ipse, & domus & filiarū & vxoris curam gerens, multasq; diuitias possidens; alter verò nihil*

Chrysost. serm 12. in Epist. ad Philip. & tom. 5. hom. con. Iudæos, gent. & hæreticos.

Iob 1.

rò nihil possidebat, nisi pilosum indumentum. Dauid splenduit in Regia dignitate, & nihil eum relaxauit, vel purpura, vel diadema. Vides & in diuitijs celebres, & probatos, vides in paupertate, in virginitate. Speculare rursus ex contrario, & in coniugio & in virginitate, & in diuitijs, & in paupertate perditos: verum non ex coniugio, sed ex propria voluntate In virginitate, vt quinq; illæ virgines: in diuitijs, vt diues ille Lazari contemptor. In paupertate innumeri, & nunc quoq; pauperes pereunt In Regia dignitate ostenderim plurimos. Vis & in ordine militari saluatos videre, habes Cornelium, &c. Virtus vbiq; lucet, & inexpugnabilis est, & nihil eam impedire potest, &c Duntaxat sit animus generosus, & nihil poterit solidum ac strenuum impedire. Virtute praditus, & à Deo pendens etiamsi in diuitias illũ conijcias, ostendit artem suam: si in paupertatem, si in sanitatem, si in gloriam, si in ignominiam An nõ per omnia ista efficaciter operati sunt Apostoli? Istud demũ est Athleta, ad omnia accommodum esse. etenim talis quoq; est virtutis natura. Si verò dixeris non possum præesse alijs. solitariè viuere debeo, virtutem contumelia affecisti Ipsa namq; potest omnibus vti, & illustris esse, dummodo sit in animo

Actor. 10.
Matth. 8.

Idem D. Dorothe. serm. 14.

animo tuo. Fames est, satietas, & abundantia ist: ipsa suam ipsius potentiã ostendit. Paulus ait, Noui & abundare, & penuriam habere. Erat operandũ; nihil erubescebat, sed duos annos operatus est. Erat ferenda fames: nec deficiebat, nec vacillabat. Moriendũ erat; non reddebatur animo abiecto: per omnia mentẽ generosam, & artem suam ostendebat. Hunc igitur imitemur, et nulla nobis erit molestiæ causa. Sit .n. virtute quisquã præditus, & si habeat vxorẽ, liberos, pecunias, gloriam multã, cũ his omnib. virtute solidus, et firmus manebit, &c. Simus in tranquillitate, nec in diuitijs hæc omnia, nec in paupertate, nec in gloria, nec in ignominia, nec in ægritudine, &c. sed in animi nostri potestate sita sunt. Si ille solidus fuerit, & benè virtutis scientia imbutus, omnia erũt illi facilia, & requiem videbit. Atq; in hunc modũ alijs locis, quib⁹ tot testimonijs satis iã testatũ sit, viros illos, quorũ sanctitatẽ, vitã, probitatẽ ex Scripturis nouimus, diuersos vitæ status, &c. vsurpasse: neque dubiũ quin inspirãte & cõmonstrante S. Spiritu. Subijciemus huic loco illa q̃ preclarè, & diuinè Nazianzenus dixit: *Perspicuum faciebat* (Hero) *nec pietatem in paruis, leuibusq; rebus, nec sapientiam in vultu ad tristitiam cõposito: sed in animi firmita-*

Philip. 4.

D. Basil. const. exer. cap. 5. Clemens Alexand. lib. 7. Strom. D. Chrysost. tom 5. hom. 21. ad pop. Ant.

In oratione ad Heronẽ VI. Anno CCCL.

firmita-

firmitate, mentisq; puritate, synceraq; ad virtutem, summumq; bonũ inclinatione consistere. nihil referre quo habitu simus, & cũ quibus consuescamus, modo nos ita comparemus, vt siue soli simus, mentem à sensibus contrahamus: siue cum alijs versemur in hominũ cœtu, priuato more viuamus: atq; inter eos qui à Philosophia abhorrent, Philosophiæ studia colamus. Et quemadmodum arca illa Noë vim diluuij non sensit, & Rubus ille mirabilis, quem Moyses in monte conspexit ita conflagrabat, vt tamen à flammis exhauriri non posset: eodem modo nec nos multitudinis imperita vitijs inficiamur (quemadmodũ nec adamas percutientium ictibus labefactatur) & pro virili nostra curemus, vt alij per nos meliores efficiantur. Quod ait pietatem in rebus paruis nõ consistere intelligendum est, quemadmodum alibi declaramus.

Exod. 3.

Lib. de Mont. cap. 9. & 10. cap. 18.

Scilicet nõ præcipuè: vt tamen ea parua non negligantur.

CAPVT VI.

QVOMODO INTELLIGI DEbeat, quod dicimus: sanctitatem in corde esse, & intrinsecus non esse locum dandum impatientiæ, quæ præsentium nos tadet, pigetq́; . Aperiuntur viæ duæ, quibus anima Deo coniungi spiritu & uniri possit.

QVod Doctores, & viri Sanctissimi referunt gloriã *filiæ Regis ab intus*, hoc est, sanctitatem in corde nõ in extrinseco vestium cultu, statu vitæ, moribus, &c. constitutã esse: rectè accipiendũ est: ne videlicet hæc omninò contemptui vel pro derelicto habeamus. Iã enim paulò ante plurimis & maximis rationibus contra docuimus, repetitis abusq; mundi cõditu exemplis multiplicibus. Nã & vita corporis nostri in corde est, vt viuere possit qui manibus, digitis, & pedibus careat: quos tamẽ qui habet, perfectior nimirũ & ad omnia aptior perhibebitur. Atq; ita sanè est, vt diximus, in intrinseco motu corporis vitã esse positã: opus est nihilominus si viuum hoc corpus dici debeat, vt sese vita illa proferat per organa oris, nariũ, aut loquela, incessu, opere, calore, colore; cętero qui pro mortuo sepulturæ mandabitur: ita sanctitas, & spiritalis vita pro- *Psal. 44.* *B. Thom. sec. sec. q. 83. art. 12.*

 ta pro-

ta proficiſcitur quidem illa à ſpiritu intrinſecus operante, qui ibi domicilium quaſi fixit. vt piè & cũ Deo viuere poſſit, qui caſtitatem nõ amplexus ſit, qui votum Paupertatum vel Obedientiæ non vouerit. Iterum, ſi quis vxorem non ducat, ſi conſortium, & ſocietates hominũ non ambiat, ſi hos vel illos mores non vſurpet: quis tandem eſt, qui eum hominem eſſe neget, aut viuere? ſed profectò quemadmodum membra vniuersè corpori cõueniunt, & naturali quodã & aptiſſimo modo illud veſtiunt, ornant, ſuſtinent, inter ipſa verò membra hoc illo aptius, plures, & magis neceſſarios ſui vſus præbet: eadem ratio ad ſpiritum transferenda eſt: vt exteriores illi mores, & vitæ ſtatus, magnum omninò adiumentum interiori vitæ conferant; qui ſi aptè quadrent, perfectior, plenior, diuinior homo cenſebitur. Atq; interim hoc vel illud vitæ genus ſimpliciter acceptũ præclarius, & aptius eſt, quemadmodũ etiam inter cibos ſunt, qui plus cordi, & vitali ſpiritui largiuntur alimenti. vt caro nutriendo homini aptior eſt, quàm piſcis, eadẽq; de alijs ratio eſt: Sed enimuerò pro rerum, & hominũ circumſtantijs, quos morbi, mercaturæ, alia negocia occupant: alium alio membrum magis neceſſa-

Lyran.
1. Cor. 7.

necessarium: hic etiam vel ille cibus naturæ conuenientior est: ita nimirum verè dicitur quoddã vitæ genus vitæ spirituali generatim acceptæ aptius esse, quod tamen cuiuslibet ingenio nõ statim quadret, sed vni, non item alteri conueniat. Exemplum: Paupertas, Castitas, Monastice, &c. consulta Dei consilia sunt, & ad ineundum vitæ perfectæ stadium conuenientissima: fieri tamen potest pro personæ, & temporum conditione, pro gratiæ, & donorum diuersitate, vt hic si vxorem ducat, si diuitias possideat, maxima hoc cum salute sua faciat, eoq; ipso splendorem, & gloriam delitescentis in intimis visceribus pietatis alat, & perficiat. Quamobrem vis illa spiritus, quæ in intrinseco agit, vt se non necessariò ostendat in diuitijs aut paupertate, non in hoc, vel illo statu vitæ: necessum tamen est, vt quid in animo ferat, aliquo demum vitæ genere explicet homo pro vocatione, gratia & motu interioris hominis, sescipsum qui sit, virtutibus & benefactis expressurus. Ideoque cum in Psalmis legimus: *Omnis gloria filia Regis ab intus*, subiungitur, *in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus*. Vt videlicet doceamus sanctitatem, quæ in præcordijs absconditur, produci Psal. 44.

foras aureis fimbrijs, præclarissimis scilicet virtutum insignibus, & aptissimo aliquo in Ecclesia vitæ genere prò cuiusque conditione. De hac viarum diuersitate insignitè alibi Nazianzenus: *Vt in rebus humanis multa & diuersa sunt vitarum genera, & instituta, alia maiora, alia minora, alia illustriora, alia obscuriora: sic in diuinis quoq; non vna est salutis ratio, nec vna virtutis via, sed plures, atq; huius quoq; peruulgati dicti, atq; omnium dictis celebrati, nimirum multas apud Deum mansiones esse, nulla alia causa afferri potest, quàm quod multæ sint viæ eò ferētes; aliæ periculosæ & insignes, aliæ abiectæ, & tutæ. An quemadmodum non idem cibus omnibus congruet, sed alius alijs.* In hanc sententiam & Chrysostomus hoc modo: *Nolite agrè ferre neq; dolere, dicentes: Quamobrem hoc accepi, hoc autē non, vt ratio: es à Spiritu S. expectemus. Quare Abraham ditatus est, Iacob autē pane indiguit? vel potius. Quare Esau iniustus, & fratricida locupletatus est, Iacob verò in seruitute tam diu vixit? Quamobrem Isaac in ocio, Iacob in sudoribus, & miserijs? Quamobrem Dauid Propheta, & rex in laboribus, Salomon autē filius eius quadraginta annos sine omni penitus timore vitā duxit perpetua pace fruens, preterea gloria,*

Orat. de mod. in disp. seru. & orat. de Gorgon.

Chrysost. Hom 29. Epist. 1. ad Cor. 12. & *hom. 3. in cap. 2.* Epist. ad Hebr. Genes. 31. 1. Paralip. 18.

gloria, honore, & omni delitiarum genere. Quid tandē in Prophetis, & sanctis alijs, alius magis, alius minus agitabatur? quoniam eorū singulis ita erat vtile. Ideò vnicuiq; addere oportet: Iudicia Dei abyssus multa. Nam si magnos illos viros, & admirabiles nō eodem modo Deus exercuit, sed hunc paupertate, illū diuitijs, aliū ocio, aliū laboribus: longè magis nunc hæc consideranda sunt. Nā & dici potest: quod iustus nullū ex paupertate dānū accipit, sed maius incrementū ex probatione, & malus supplicij viaticū diuitias habet, &c. Psal.

Huius itē ratio accipi potest, ex postrema, quā omnes ingredimur via, mortis scilicet, & discidij huius vitę, quod quàm varium, quàm multiplex; cū vnā, & eandem patriam in cœlum contendamus. Vbi enim tanta mortiū diuersitas à Deo est, an non testimonio est, idē de vitę generibus statuendū nobis esse? vnicuiq; in ea vocatione, qua vocatus à Deo est. Christus cū Petro aperuisset qua morte moriturus esset, inquirebat Apostolus de morte Ioannis; cui Iesus: *Ita volo eū manere, donec veniam. quid ad te? tu me sequere.* Est igitur hominis qui pius, & ingenuus sit, nunquā Deo maledicere, non sese imprudenter, aut præposterè aliorum negotijs immiscere, aut eò ali- Ioan.

quando ferri, vt à Deo rationem sibi dari postulet: quare cum ille diuitijs affluat, me grauat paupertas? quare ille vitam in ocio transigit, me labores totos dies, & noctes exhauriunt? ille in abundantia luxuriat, me etiam cibarius panis deficit? ille Dominus, ego seruus? illi corpus & valetudo ex animi sententia, gloria, honores, triumphi quasi ad arbitrium condicunt, ego semper aduersis ventis nauigo? in illum Deus omnia contulit, ingenij affatim, eloquentiæ, & sapientiæ plurimum; mihi, & meis quæcumque tandem consilia instituamus, nihil relictum est? quid me huic vitæ generi in seruitium dedi, ac non potius hos, vel illos secutus sum? Nemo sese eò impudentiæ demittat, vt tale quicquam Deo, aut hominū cuiquam obijciat, eoq; reus fiat lęsæ potentiæ, bonitatis, & sapientiæ summi Dei, qui ita pro suo erga nos amore in salutem nostram operatur.

Chrysost. hom. 12. ad Philip. vide lib. de vita act. & de vsu rei tempor.

Neq; sanè quicquā huic sententiæ nostræ derogat, si collatis à Deo donis, diuitijs, potentia, honoribus quisquam abutatur. hominis culpa illa, nō opum, non indigentiæ est. Hæ querelæ, murmura, inquietudo, qua alios æmulamur, nos dolemus, nihil ad summam rei conferet: sed ijs Dei iram, & iudicij districtā

aciem

aciem aduersum nos concitabimus, &, tanquam nihil sit quod vrgeat, grauioribus periculis nos subijciemus; alijs de hac cruce communicabimus; aut molesti, vt graues erimus: vt demum omnia quæ se offerunt, tumultum, & bellum aliquod in animo nostro excitatura sint, cum nihil eorum quæ fiunt tam insolentibus, & morosis complacere possint.

At verò si relictis querimonijs ita ineptis, omnia de Dei manu lubenti, & placido animo accipiemus (quamuis illa mutari cuperemus, si Diuinæ voluntati beneplacitũ esset (nosque ipsos gratos & beneuolos exhibebimus, eorũ nomine quæ elargitus iã est; erit, vt hîc iocunda, & liberali quadam animi quiete perfruamur, tum corpore, tum ab anima melius valeamus: sed in primis magno hoc nobis lucro post huius vitæ miserias cedet: atq; adeò Deum ipsum, qui pro sua liberalitate rectè petentib⁹ nunquã deest, illa modestia nostra commouebimus, vt aliquãdo hoc donet, quod scit nobis quàm maximè salutare esse: ijs tandem omnibus, quibuscum consuetudo nobis est, exoptati sine dubio, & accepti erimus. *De Monte cap. 5. & explic. super orat. Domini.*

Postremũ quemadmodũ in vita, quàm actiuam & practicã vocant, variæ, & differen-

ferentes hominũ actiones sunt, quod videre operæpreciũ est in operib. mœchanicis, vbi vni operi non eodẽ modo omnes elaborant: itidẽ censendũ est de spirituali vitæ genere, & exercitijs quę intus in anima sunt, quorũ tamẽ omnium idem scopus est, eodemq; spiritu copulantur. Sunt autẽ (vt paulò accuratius hæc enodemus) Viæ duæ, quibus anima quasi gradibus pertingit ad illã *Filia Regis gloriam*, summã scilicet animæ perfectionem, & vnionẽ Dei. De quibus in hanc sententiam Bonauentura: *Media seu rationes, quibus Deo anima vniri possit, duplices sunt: ambæ quidẽ per Dei gratiam, prior tamen intellectu perficitur, atq; inde vnio intellectualis, quã ignari, & qui imperiti rerũ sunt, nobilissimam existimant. generatur ad hunc modũ: ex attenta, & diuturna consideratione de rebus diuinis, & de Deo, relinquitur in anima habitus quidam, quem dante Deo consequitur illuminatio, quasi radius ex sole profluens, quo mens quodã modo extra se posita, ad diuiniorem attollitur contemplationem: Altera præstantior multo est, ipsa etiam facilitate, & pulchritudine multum superat: neq; sese ita difficilem amantibus sui præbet, & est vnitiua sapientia ad vnionem Dei pertingens desiderio amoris.*

D. Bonauent. de mystic. Theolog. circa finẽ, & de 7. don. SS. & 7. itinerib. itin. 5. Bern. in Cant. ser. 49.

Ita transtuli, quod videretur centonem quendam hinc inde conflasse Hadrianus.

ris atq; inde vnio Amoris dicitur. Quemadmodum inter dona Sancti Spiritus sapientia potior est intellectu, & inter Angelos Seraphin supra Cherubin, ita & hęc vnio prior illa est: non quod amoris expers omninò sit (hoc enim fieri non potest) sed quod minus participet, illa quam diximus, vnione Amoris. Videlicet donum sine charitate nullũ est, neq; item Cherubin; sed Sapientia, quæ Donorum prima est, & Seraphin Angelorum primi, hac gratia præ alijs excellunt: quæ in quibus maior est, maiores & præclariores efficit: cum & meriti plus habeat, & molestis laborib. ita impedita non sit. Nam & animæ magnũ à priore periculũ imminet, nimirũ ne de recto quasi statu mẽtis homo deiectus, in superbiã, & fastũ efferatur; aut, labyrintos & errores inextricabiles incidat, dũ falsũ pro vero lumen amplectitur: & corpori vel maximè incõmodat, ne tam inusitata mole cogitationũ obrutũ deficiat, sensuum iudicio priuetur, & omnia pessum eãt. De Amore sponsa ait in Cãticis: *Ego dormio, & cor meum vigilat,* amore scilicet, & suauissima affectione ad Deum. Qua commotum Salomonem ait Beatis Augustinus sapientiam à Deo in somnis postulasse, quod ex Sacræ

Cant. 5.
3. Reg. 3.
clem. Alexand. Prouerb. 2. cap. 9. & Strom.

 Scriptu-

Scripturæ verbis elici potest, vbi Salomõ petitam à Deo in somnis accepisse, & cum Deo locutus perhibetur. Cui hoc vsitatum fuisse Iosephi, & aliorum sanctissimorum Patrum exemplis demonstrari liquidò potest. Sed quoniam in sequentibus cap. XXI. XXII. & XXXVIII. quædam quæ ad hunc sensum faciunt dicturi sumus; & hæc ipsa si pro dignitate explicari debeãt, copiosã & vberẽ vnius libri materiã datura sint, relictis in medio reliquis vnum ex Augustino testimoniũ subijciemus, qui cum multa ibi præclarè retulisset, per quæ Deo coniũgi possumus, ita concludit: *Quæ potui, & sicut potui de tantis, tantillus tecum contuli. Sermonem autem hunc nostrum mãdatum literis si qui legunt, sciant multò infirmioribus hæc esse scripta, quàm sunt illi qui vnius summi Dei consubstantialem, & incommutabilem Trinitatem, ex quo omnia, in quo omnia, per quẽ omnia, duorum testamentorũ auctoritatẽ secuti venerãtur & colũt: ea credendo, sperãdo, & diligendo. Hi enim non scintillantibus humanis rationibus, sed validissimo, & flagrantissimo charitatis igne purgantur.*

lib. 4. & 7. Ambros. de obitu fratris. D. Gregor. hom. 34. D. August. de Gen. ad literam cap. 15. lib. 12.

De musica lib. 6 cap. vltimo.

Est igitur prima omnium, & præclarissima via Amoris. Nã & Apostol. cũ prophetiam, scientiam & quasi vias quasdã digito

digito nobis ostẽdisset: Æmulamini, inquit, charismata meliora, & ad huc excellentiorẽ viam vobis demõstro. *Viam charitatis, & amoris.* 1. Cor. 12.

CAPVT VII.

ESSE *QVANDAM* COMMEN-*dabilem concordiam discordem, & cõtra, quod viri industrij præclarè ea vtantur, attento Dei consilio.*

INter ea quę nobis Deus tanquam filijs dilectissimis commendauit, præcipua sunt, pax, charitas, cõcordia; quę ille sẽper ob oculos nostros versari, quorũq; maximã à nobis rationẽ haberi voluit, quod quidẽ ignotũ nemini esse potest, q̃ vtriusq; Testamẽti, maximè Noui, qualicũque lectione imbutus fuerit. *Pacẽ meã, inquit, do vobis, pacẽ meã relinquo vobis. Pax Dei quæ exuperat omnẽ sensũ custodiat corda vestra, & intelligẽtias vestras in Christo Iesu. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Contra *vbi regnũ in seipsũ diuisũ est, omnia desolabũtur.* Neq; est q͂ ingenio, vel intellectu nos cõsequi posse putemus, maximè si vtriusq; fortunæ expertes simus, q̃ multa, magna, præclara nobilipsis, & ijs omnibus quibuscum consuetudo, vel vsus nobis aliquis est, tum intus in anima, tum etiam

Ioan. 14. Philip. 4. Ephes. 4. Rom 14. Ioan. 13. 14. 15. Mat. 12. Luc. 11.

in cor-

in corpore, & fortunis accedant, si suauiter in pace & concordia vitam transigamus: quod quidem non alia ratione facilius intelligi queat, quàm si ad discordiam, & contentiones, quasi quædā rerum omnium naufragia oculos conuertamus. Est videlicet hoc ipsius Sapiētiæ Creatoris, præclaro in primis firmatum testimonio: quod *in his duobus mādatis*, dilectione scilicet Dei & proximi *tota lex pendet, & Prophetæ.* Ab hoc tanquam perenni fonte ducitur quicquam vsquam est bonarum legum; quæ vel professione, instituto, promissis & voto vtilia, quę potestate, aut officio, aut alioquin tùm in ciuilib. tùm in Ecclesiasticis pulchrè, & bene constituta sunt, ex hoc principio effluūt, & in hunc finē referūtur ita nimirum si rectè atq; ordine fiant omnia. Quicquid ab ipso Domino nostro IESV CHRISTO consilio, vel auctoritate præscriptum nobis est, eò tendit, vt mandatum charitatis (quantum per huius vitæ miserias licet) perfectè adimpleatur. Quid igitur? si Christi consilia, si vota Religionis, aut Monastices instituta, exercitia, labores, opera nostra ad eum scopum diriguntur, vt in amore Dei magno animo progrediamur, atque aliquando in plenum & perfectum vi-

Matth. 7. & 22.

Dionys. Carth. ser. 6. de sect. B. Thom. 2. 2. q. 184. Act. 1. et 3. Cassian. coll. 19.

rum euadamus, quæ dementia est, si relictis tot, tam multis, visu, vel æstimatione præclaris, post tot improbos sudores, tot constanter tolerata, aut patienter euicta, nihil tamen in hac vita promouerimus; ac ne extremis quidem adhuc oculis illam diuini amoris flammam conspiciamus?

Et fortè parum aduertenti videbitur aliquando cum charitate pugnare, quẽadmodum iustitia, eius vsus, & scelerum vindicta &c quæ tamen Charitatis germanæ filiæ sunt. Si igitur Charitas, & concordia tum per se, tum in vsu, & habentibus iure meritoque laudatur, eam qui frangunt, scindunt, diripiunt, qua tandem pœna digni sunt? Habent illi Patrem Deum, hi diabolum: eò magis si nexus ille futili leuitate, vel insigni quadam imprudentia dissoluatur, aut demũ ita dissecetur, vt reparandi aliquando, aut restituendi eius spes nulla sit: Itaque viri docti, quibus probè cognitum est, omnes vitæ degendæ rationes, ab hac concordiæ Charitate quasi fluuio deriuari, eodemque, tanquam ad caput reuerti, & in vnum pulcherrimum finem conuenire; illi tamen ipsi licet neq; semper hoc nec omninò capiant, eoque molestiæ plurimum exhibeat tantarum re-

rum

rum conſideratio, ſubjiciunt ſe tamen in humilitate, timent, diffidunt ſibijpſis, & potius habent Sanctorum exempla, Sacræ Scripturæ documenta, doctiſſimorum patrum rationes, atque ipſius Eccleſiæ conſuetudinem ſequi. Nam quod ait Beatiſſimus Auguſtinus: *Ideo plerisq; doctoribus aliquid minus reuelatur, vt eorum patiens, et humilis charitas, in qua fructus maior eſt, comprobetur.* Hoc videlicet magna, & diligenti cura etiam atq; etiam cogitandum eſt; nimirum ab humilitate hac, & patientia, fructus ad nos plurimos redundare, idq; Dei iudicium ad ſalutem noſtram eſſe accommodatiſſimum. quod ſi rectè intelleximus, facilè quæſtionibus, & argumentis reſponderi poteſt, quibus quęritur, quare Deus viros doctos, & ſanctos diuerſas vitæ vias patiatur ingredi, aliquando ſenſibus eſſe & opinione diuerſis: quoniam videlicet ea ipſa, fidei eorum, & conſtantiæ probatio ſunt, vt iam dictum eſt. Qui in hanc viarum diuerſitatem peritè exquirendam diligentius incumbunt, duos ſibi ex tota ſcriptura hominum omnium ſanctiſſimos ob oculos ponunt; Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Chriſti præcurſorem Ioannem Baptiſtam, qua de re etiam paulò antè

D. Auguſt. lib. 2. con. Donatiſ. cap. 5.

Iò antè egimus. Iam primum Baptiſtæ parentes quales? & probabile eſt non alio loco totã cognationẽ cenſeri debere, cum in Euangelio legamus, *quod audierunt vicini, & cognati eius (Elizabeth) quia magnificauit Dominus miſericordiam cum illa, & congratulabantur ei.* De parentibus Ioannis ſcribitur. *Erant iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini* &c. vt ſatis liquet illũ parentibus & amicis longè cæteris hominibus præſtitiſſe, & tamen tanti fecit ille omnium peccatorum occaſiones & illecebras vitare, & ſubindę toto pectore in Deũ cõuerti (quemadmodũ etiam Chriſtus, cui opus minimè erat, deuoros relinquebat diſcipulos, & ſolus orabat, vt exẽplo nobis eſſet) vt hos ſuos tã præclaros, pios, tã ſenes parẽtes pro derelicto habuerit, & ab ipſis vitæ initijs heremũ inhabitarit, vſq; dũ prędicaret. *Habebat veſtimẽtũ de pilis camelorũ, et zonã pelliceã circa lũbos ſuos, eſca autẽ ei⁹ erat locuſtæ et mel ſylueſtre.* Ecce tibi vitã B. Ioãnis. Aliã viã inſtitit Dominus noſter Ieſus Chriſtus: iã primum ab infãnita educabatur apud parẽtes ſuos Ioſephũ & Mariã. ait. n. Scriptura; ꝙ cũ annos natus duodecim in tẽplo inuẽtus fuiſſet, *deſcendit cũ eis, et venit in*

cap. 1. & 5.
Luc. 1.
In hymno Eccl. Antra deſerti
Matth. 14. Luc. 6. & ibi Dionyſ.
D. Hieron. epiſt. ad Ruſticum.
Matth. 3.

Nazaret, & erat subditus illis, & proficiebat sapientia, & gratia apud Deum & homines. Ex quo colligere est, totos penè triginta annos in ędibus parentum egisse, vsque in id tempus dum Apostolus suos collegit, & die post tertio cum Maria matre, & discipulis ad nuptias vocatus, aquam in vinum conuertit. postea suspenso in cruce Christo stabat subter Maria mater, atque eo tum loci Dominus, qua cura matrem suam complecteretur, ostendit, commendatam videlicet Ioanni Euangelistæ, tanquam filio spiritali, & diligentissimo custodi. Rursum, post Christi mortem *perseuerabat vnanimiter Maria in oratione cum mulieribus & discipulis Domini.* Ex quibus vtique liquet (vt iam non repetamus quæ dicta sunt) aliam, atque aliam fuisse vitæ degendæ rationem Domini nostri IESV CHRISTI, & B. Ioannis, quam tamen neque sibi sequendam arbitrabatur Christus, & nec reprehendebat tanquam inutilem; non suam, vt perfectiorem, aut meliorem commendabat: neq; sibi laborandum curabat Ioannem ab eo quod instituerat, ad se deducere. At verò ipsum Baptistam non inquietudo animi, non anxietas aliqua perturbabat, nō ille de statu mētis deijciebatur, quod

Luc. 2.

Ioan. 19.

Act. 1. Dionys. Carth. in hunc locum. & in 1. Timot. 5.

eam

eam viam, quam Christus, non instituisset, aut iam tandem amplecteretur: sed vt ipse Saluator noster ita etiam D. Ioannes in eo quod semel complexus erat, magno & constanti animo perdurabat: non ad aliam vocationem alia sibi volũtate opus esse putauit, sed Dei beneplacito semper inhæsit, eo enim pacto, quod ait Christus *implebant omnem iustitiam*, & quod cuiq; propositum erat, mutuis viribus ad salutem populorum contendebant. Itaque diuersæ quidem hæ sunt rationes, sed quæ ab eodem charitatis fonte procedunt, eodem fine communicant. Et profectò hi mores illorum hominum sunt, qui magno sunt & excelso animo, verè humiles, & charitate pleni, qui suæ vocationi vbiq; intendũt, collatam semel gratiam sollicitè ambiunt, necubi effluat: nunquam in alios, nisi ratio postulet, inuehuntur; adeò neminem imperfectum, sensualem, immortificatum dicunt; nemini inquietudinis vel tristitiæ causa sunt. In hanc sententiam multa videre est apud D. Bernardũ. declarat enim sanctissimos quosque diuersis quasi itineribus, eundem vitæ æternæ finem contigisse, sumpto de Scripturis exemplo *filia Regis circumamicta varietatibus*: cui hos viuendi

Matth. 3.

D. Bern. Apolo. ad Gubel. ab.

modos ita differentes comparat, quemadmodum & Ioseph polymitę, & Christi inconsutuli tunicæ. Polymita scilicet, hoc est, pulcherrima vitarum varietate distincta, tincta Christi sanguine, in quo & per quem illa ipsa varietas Deo grata, accepta, & cum merito est. *Polymita*, inquit, *ob multorum ordinũ, qui in ea sunt, multimodam distinctionem: inconsutilis, propter indissolubilis charitatis indiuiduã vnitatem. Diuisiones, ait ille, gratiarum sunt, vnus autem Dominus; & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus; qui operatur omnia in omnibus. Vnicuiq; autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Hæc autem omnia operatur vnus, atq; idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. Charitas quippe diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ S. qui datus est nobis. Sponsa ait in Canticis, ordinauit in me charitatem; vt etsi vna in charitate, diuisa tamen sit in ordinatione. Cur igitur, si tanta est ordinum varietas, vnum aliquẽ præ cæteris eligo? Quoniam videlicet impossibile est vnum hominem omnes ordines tenere; vel vnum ordinem omnes homines. Ait Apostolus: Vnusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, permaneat. Item: omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Diuersis morbis diuersa cõueniunt*

Psal. 44.
Gene. 37.
Ioan. 19.
1. Cor. 12.
Rom. 5.
Cant. 2.
1. Cor. 7.
1. Cor. 6.

niunt medicamenta, et fortioribus fortia. Nimirum, quod huic morbo collatũ, vim medicam adfert, alteri venenũ est. Laudo omnes ordines, & diligo, vbicumq; piè & iustè viuitur in Ecclesia. Vnum opere teneo, cæteros charitate. Faciet autẽ charitas, vt ne illorum quidem fructu frauder, quorum instituta non sequor.

Ecce tibi concordiam charitatis in diuersis vitæ rationibus. Quod ait Bernardus, se fructu aliorum operum non cariturum, quomodo intelligendum sit, * aliàs docuimus.

* *Ex vi & communicatione charitatis virtus enim puritate volũtatis censetur. lib de operibus misericord.*

CAPVT VIII.

NE DE FACTIS ALIORVM & moribus iudicium vsurpemus. Quod in domo Patris mansiones multæ sint: in domo, tam huius, quam cœlestis patriæ. In quo germana vis concordiæ consistat.

IN Bernardi sententiam Bonauentura. *Docet enim vir sanctissimus:* diabolum in eo esse, vt, quanta maximè potest arte, viros bonos eò pelliceat, vt illos omnes, qui aliud, à suo, vitæ institu-

tum

tum sectantur, imperitos æstiment, aut certè parum perfectos & probos: & tamen dubium non est, vt facies hominũ, ita etiam vitæ modos & rationes differre; omnes tamen probas & legitimas: præterquam quod impij vel insani animi est, Dei inspirationes & placita, pro nostro iusticio interpretari: quod faciunt qui quæ sibi displicent, Deo putant displicere. Aperte & manifestissimè Bonauentura. *Nō recipit stultus verba prudentia, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde eius*, quę videlicet ipse probauit recta esse, quod præter cæteros sibi sapere videatur. In hos inuehitur Apostolus: *Hi, quæcumq; quidem ignorant, blasphemant: quæcumq; autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Hoc est: Quæ diuina sunt, non capiunt, eaque inscitia maledicti & vituperij eorum vera causa est: quorum verò notitiam natura ipsis ingenerauit, quemadmodum & bestijs, ijs abutuntur: quoniam videlicet affectuum vi & impetu variè perturbati, variè rapiuntur; vt qui tales sunt, diuinis iuxta & naturalibus bonis in vanum operentur.

Prouer 18. August. epist. 118. ca. 2. & 3.

S. Iudas in epist.

De hoc hominum genere extat iudiciũ sancti Bernardi, vbi huiusmodi susurrones Iudę & asseclis comparat, qui tã ambitiosè

In par. serm. 56.

tiosè Mariæ Magdalenæ pietatem, perditionem interpretabantur. idem alio loco super illa Domini: *In domo patris mei mansiones multa sunt*, ita ait: *Sicut illic multa mansiones in vna domo ita hic multi ordines sunt in Ecclesia vna: & quomodo hic diuisiones gratiarum sunt, vnus autem Spiritus; ita ibi distinctiones quidem gloriarum, sed vna domus. Verũtamen vt stella ab stella differt in claritate, sic erit, ait, & resurrectio mortuorum. Nam licet fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum, alij tamen alijs amplius pro diuersitate meritorum. Qua sanè merita sciendum nõ sic in hoc seculo, vt in illo facile ab homine posse discerni; quippe cùm hic tantum opera videantur, illic etiam corda nihil prohibeat intueri. Et de operibus quidem sæpè incerta & ob hoc periculosa sententia fertur, cum multociens minus iustitiæ habeant, qui magis operãtur. Porrò vnitas tam hic quàm ibi vna consistit in vna charitate: diuersitas hic quidem in ordinum vel operationum multifaria diuisione; illic verò in quadam meritorum notissima, sed & ordinatissima distinctione. Intelligens autẽ Ecclesia hæc suam quodammodo discordem concordiã, deduxit me*, inquit, *super semitas iustitiæ propter nomẽ suum. Ponens quippe semitas* plura-

Apolo. ad Guliel. abb & ser. 49. in Cãt.
Ioan 14.
Thob. 13.
1. Cor. 15.
Matth. 13.
Psal. 22.

pluraliter, & iustitiæ singulariter, nec diuersitatem prætermisit operationum, nec vnitatem operantium. Nō igitur vna tātum semita inceditur, quia nec vna est mansio, quò tēditur. Viderit autem quisque quacumque incedit, ne pro diuersitate semitarum ab vna iustitia recedat.

Acto.4. Rursum in Actis legimus, *quod multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* Neq; tamen non verosimile est, in tot hominum millibus fuisse, qui aliud atque aliud vitæ genus sequerentur, cum sua quemque natura duceret, & pro diuersitate gratiarum moribus etiam vterentur diuersis: qui tamen in vnitate charitatis cōueniebant. Quod ipsum in prima rerum omnium creatione Deus nos docuit: creauit enim hominem vnum, ex bestijs verò bina & bina simul. Iterum. Ecclesia est corpus Domini nostri IESV CHRISTI, caput est Christus ipse. Vt eiusdem corporis varia membra sunt, sua item cuiusq; membri officia, vires, opera, quæ tamen omnia vnius corporis, vniusq; sunt animæ: ita in spiritali corpore Christi, quod est Ecclesia: alij atque alij homines varia & diuersa pro suo quisq; ingenio cōplectuntur, operantur, sentiūt; qui cū spiritu Dei aguntur, vnū sunt; nec se turbāt mutuò, sed

Rom. 12.
1. Corin. 12.

sed amoris vinculo coniunguntur. *Christi proprium fuit*, ait Chrysostomus, *in omni virtutum genere esse perfectum. Apostoli verò non æqualiter in omnibus excelluerunt, sed illorum quisq; singulari aliqua gratia inter cæteros eminebat. Petrus constantia fidei, Ioannes simplicitate & innocentia*, &c. Quod mirum videri cuiquam non debet, nam & sine peccato fieri potest, & qui in cœlis sunt Angeli, non omnes pari gloria sunt; neque enim paria dona acceperunt. Quæ quoniã apertissima sunt, esse videlicet diuersitatem, sed habere concordiæ & amicitiæ rationem apud homines bonos; eò iam dimisso, etiam hoc optimũ quemque doceamus, veræ & diuinæ illius cõcordiæ aut charitatis vim in eo positam non esse, si quasi in superficie conueniant; si habitus, cõditio, exercitia, mores, opera eadẽ sint: sed hinc censeri debere (quantum quidem ad hoc, quod iã agimus, spectat) si idem ille homo qui sibi quidẽ peculiarẽ aliquem ordinẽ, aut vitę genus elegit, eodem tamen animi affectu, laude, admiratione prosequitur, eos oẽs qui aliã, à sua, viuẽdi rationẽ elegerũt. Lętatur hac tã fœcũda Ecclesię sobole, exultat ad illos pulcherrimos, & gratissimi sed diuersi odoris flores, gaudet in

D. Chrys. in Mat. 19. hom. 32.

D. August. contra Donat. lib. 2. cap. 5.

Ephe. 4.

fructibus optimorum hominum. Tum verò neque hoc ignorant viri boni, non semper simplicis esse animi illam æqualitatem in extrinseco cultu, ordine, statu, operibus tanto ambitu conquirere, sed sæpè curiosi, duplicis, suo commodo inhiantis; quæ ipsa tanta petacitas Satanæ artificio in animo illatebrauit. Id quod supra ex Bonauētura docebamus & docebimus paulò post latius, vt omninò verissimum sit, ex hoc tali desiderio parum sano & prudēti quasi ex fonte quodam, maximorum malorum & periculorum vim scaturire. Egregiè Vincentius, ne, qui Religiosi sunt, suum ordinem ita mirētur, vt contēnant reliquos. Præterquam quod stultitiæ aut puerilis leuitatis est, si qui ita afficiantur, vt vitam sibi acerbam putent, nisi ad aliorum puerorum mores accedant, aut alios ad se pertrahant.

Vincent. cap. 17. de vita spirit.

Hoc diaboli consilium est, vt viros bonos specie pietatis decipiat, commouet illorum animos ad eum modum, vt vel ipsi ad alios accedant, vel sibi accedere eos velint, iudicium de ijs vsurpent: videlicet vt dum curis extraneis occupantur toti, interim perdat, vel, caligine inducta perturbet, quod in anima preciosissimum est, concordiam in vna & eadem

eadem fide, charitate, &c. quemadmodum aliàs solet, dum se magno studio parant alioqui ad mortificationem, maiore quadam vi ita perturbare, vt affectibus, naturæ, & passionibus suis vim ipsi inferant, aut ijs omnibus indignè abutantur: cùm tamen ea & à Deo acceperimus, & tanquam operis ad optima quęque vti possimus; sed opus est, quemadmodum alias affectiones, etiam has Dei gratia perpurgari, intelligi, & ad suauissimos harmoniæ modulos componi & reduci. *De Monte. cap. 15.*

Postremùm, si aduertamus in exempla Scripturarum, videre est iam inde ab orbe condito eos, qui in aliorum extrinsecos mores suis dissimiles tantoperè respiciebant, hoc non nisi cum maximo suo malo fecisse. Cain quod vidisset Deum ad Abelem, & eius sacrificium se conuertisse, despecto eo, quod ipse obtulerat; ira & inuidia vsq; eò commotus est, vt sanctissimum fratrem suũ astutè seductum occiderit, cum deijcere se & humiliare in conspectu Dei & fratris sui debuerit, imò gaudere, & laudem Deo dicere super Abele, & tandem continuis precibus eò contendere, inuocato etiam Abelis patrocinio, vt ad sui miserationem conuertere se Deus dignaretur. *Gene. 4.*

Gene. 37. tur. Iterum: Patriarchæ, quod vidissent
D Gregor. Ioſephum iuniorem fratrem ſuum præ-
Nazianz. ter cæteris à patre diligi, plura amoris ſi-
orat. 22. de gna exhiberi, eiq; tunicam polymitam
Modeſtia. factam eſſe, inuidia, odio, ſęuitia tāta exarſerunt, vt ad necem illius parati, tandē Iſmahelitis precio vendiderint: cū gratulari ſibi de tali fratre, & placito patris ſuum accommodare debuerint, & pro ſe quiſque in hoc contendere, vt eodem apud Patrem loco eſſet? ſed illi præpoſtero iudicio, hoc ipſum quod in charitate firmum, ſyncerum & proprium eſt, accidentis & ſigni alicuius cauſa diſſoluebant. At verò quorum voluntas laudabiliter affecta eſt (quales hîc ſemper intelligimus) quibus ingenium, fortitudo & robur animi exuberat, non eò decidunt, vt quod maius eſt, cum minore commutent; vt de vitali amoris flamma deſperent, ſi aliqua ad nutum ſigna non
Marc. 2. reſpondeant. Breuiter, non ea ſibi relinquenda putāt quæ intus in anima ſunt, ſi aliqua alia oculis apparent: ſed (quod Chriſtus dicebat) quemadmodum non homo ſabbati, ſed ſabbatū hominis cauſa eſt. ſic neque ſigna, amoris ratio ſunt, ſed pro cōditione & qualitate rerum amorem ipſum conſequūtur. Quæ ipſa, quoniam diuerſiſſima ſunt, difficillimū

& incer-

& incertissimũ eorũ iudiciũ est. Est sanè ita, quod ad æquitatem & similitudinẽ quandam omnia tendãt, in qua vt quæque conueniunt, ita se mutuò amant & complectuntur: si dissidẽt, odio, inuidia, aut etiam auersatione tandem pro se sibi quisq; cousulit, sed quoniam hi ipsi satis intelligũt ratione in rebus omnibus & prudẽtia opus esse, nequaquam sibi permittunt, si quæ in extrinsecis diuersitas, si qua alia dissensio oboriatur, eam causam vt legitimã iudicẽt esse ad ipsissimũ amoris vinculum dissuendum: ac neque seipsos neque alios quicquã commouẽt: sed cũ omnia benè accipiunt, tum verò in Deum referunt, eiq; benedicunt, qui alio atq; alio modo vnumquemque instruit, varia in varios partitur pro iudicio suo & vniuscuiusq; salute, atq; adeò dissẽtire suos, dissimiles esse, nõ alio respectu, quã fidei cuiusq; & cõstãtiæ (quod supra ex Aug. retulim*) permittit & probat: tũ vel maximè, vt in se à quo omnia acceperũt, omnia etiã referant, neque fiducia & spe maiore ad alia, vel inferiora cõuertãtur, sed ad eũ cõfugiant in cuius manu sũt, & erũt per omnia secula. Atq; ita verissimũ est, sæpè, q̃ dissidij aut inæqualitatis esse vidãtur, cũ suspicione grauioris iracũdię, affectus esse purissimi &

Dio. Cap. in 1. Ioan. 3.

August. to. 7. lib. 2. cõt. Donat. c. 5.

mani amoris: vt, quæ contra sunt, non nisi de sensu æstimari debeant; ideoque & impura, & cum vitio sunt. Qui eò arrogantiæ venerunt, vt iudicium sibi de ijs vsurpent, qui neque in Deum, neque in ipsius sanctissimas leges commutūt, atque pręclari sui iudicij causas & demōstrationes ex signis quæ foris sunt, & oculis vsurpantur, accipiunt; necesse est, dico, vt prauissimis & incertissimis censuris Deum offendant, alibi seditionibus & turbis omnia concutiant; atque vt seipsos, ita & alios varia perturbatione afficiant, quorum omnium rationes si aliquando subducant, nugæ sunt, pueritia, hominis grauitate & moribus indigna. Et, cuius stultitiæ, cæcitatis, miseriæ est, cum re vilissima, quæ infra omnem ęstimationem sit, præclarissimam, cuius intellectus præter & supra humani ingenij magnitudinem sit, commutare? qua tādem? qua ipsi ita opus sit, vt nulla magis sed miser festucam in alio videt, & magno molimine exturbare nititur ipse grandi trabe onustus, cuius pōdere premitur, succumbit, & moritur dissidium enim & mors charitatis, mors animæ est.

CAPVT

CAPVT IX.

NEQVE IN VNVM OMNIA à Deo collata esse, neque conuenire vni omnia.

Videbimur actum agere, qui hæc tam aperta doceamus, sed cum tanta sit hominum ignorantiã, & cęcitas, etiam sub falsa virtutis specie, vt ea pro merito explicari non possit, adijciemus simplicissima de Scripturis & Doctorum scriptis testimonia. *Non omnibus omnia expediunt; & non omni animæ omne genus placet.* Eccles 37. Item Apostolus: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* 1. Cor. 6. Ita cum illa omnia quæ neque Dei legibus neque Ecclesiæ decretis contraueniunt, cuique pateant & in medio sint; non tamen ad vtilitatem aut salutem cuiusq; sunt, ideoq; præmittit Ecclesiasticus: *fili mi in vita tua tenta animam tuam, non enim omnia omnibus expediunt:* *vbi supra* Hoc est, vide etiam atque etiam, quid naturæ, quid salutis tuæ ratio à te postulet. Huc faciunt, quas proximo capite retulimus, Doctorum sententiæ. Neque desunt aliæ Scripturæ: *Vnusquisq; in arte sua sapiens est.* Pro modulo gratiæ suæ quisq; curat, afficitur, cogitat, operatur, quæ sua sunt; D. Gregor. Nazianz. Orat 2. de Modest. in fine. Eccles 38.

vt ineptè ac proinde inutiliter factur' ſit ſi ad alia atq; alia ſe conferat. Ait alibi ſanctiſſimus Ambr. *Vnuſquiſq; ingeniũ ſuũ nouerit; & ad id ſe applicet, quod ſibi aptũ elegerit. nõ ſolum nouerit bona ſua, ſed etiã vitia cognoſcat. Quo etenim vnũquemq; ſuũ ducit ingeniũ, id maiore implet gratia.* Quod ait Paulus: *Vnuſquiſq; proprium domum habet*; ita accipiunt doctiſſimi viri, vt in eo progreſſum facere maximũ & iuuari quemque exiſtiment, ad quod natura, affectib. inclinatione, recta quaſi manu deducitur. Vt ſi parentes, qui filijs ſuis rectè conſultum velint in eorum indolem & ingeniorum ductus iam inde à primis vitę initijs, ſedulò animaduertãt, quod illis potiſſimum vitæ genus cõueniat, non difficulter intelligent. Sed bonitatis & prouidentię diuinę euidẽs hoc argumentum eſt, quod cum vita dona quiſque, quaſi inſtrumenta quædã, quibus vtatur, accipit: per quæ, ipſe Deus, potentiæ & operationis ſuæ vim poſtea exercet. Neque. n. ſemper illi placent miracula, ſed ferè per medias naturæ cauſas, quaſi aptiſſima ſui ordinis organa, quæ vult efficit, quod videre eſt in tot diuerſiſſimis fructibus, quos quæque terra ſuos ad vſum communem profert. Iterum repetendum: non omnia cuique conferri,

Ber. Apolo. ad Guliel. abb. D. Chryſo. ad Philip. hom. 12. Ambroſ. officiorum lib. 1. ca. 43. Cle. Alex. lib. 3 poſt medium. D. Thom. 22 quæſt. 23. art. 2. Dionyſ. Carth. in illud Sap. Diſponit omnia ſuauiter. Gloſa in 1. Cor. 7.

conferri, ea maximè, quib. salutis & futuræ gloriæ nostræ ratio non innititur: inter quæ referri possunt diuersi mores, vitæ instituta seu Ordines: neque tamen nõ verissimũ est, ijs, quæ à Deo accepit, eniti quẽque debere & posse ad maiora & præclariora, quemadmodũ ille in Euãgelio seruus, *cui quinq; talẽta concredita fuerãt, alia quinq; super lucratus est*: nam & qui petunt, accipient: qui gratiæ insistunt, qui præsentibus rectè vtuntur, cur non euehãtur? manifestum hoc in Cornelio Cẽturione, & alijs. Ait Apostolus. *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum: sed vnusquisq; proprium donũ habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* Et Ecclesiasticus; *Effudit sapientiam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundum datum suum.* hoc est: tribuit sapientiam Deus non æqualem omnibus, sed pro modulo gratiæ prius datæ, cuius vt quisq; capax, ac proinde idoneus est, eatenus cõsequitur. Quę ipsa D. Matthęi sentẽtia est: *dedit vni quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum: vnicuique secundum propriam virtutem. Et quidem diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & diuisiones operationum sunt, idem autem*

1. Cor. 9. Rom 9. 2. Tim. 2.

D. Aug. to. 1. de lib. arb. c. 22.

Act. 10. 1. Cor. 7.

Eccles. 1. & ibi Dionys.

Matth. 25.

1. Cor. 12.

autem Deus: qui omnia operatur in omnibus. Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientia, alij sermo sciẽtia, &c. Hac autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Sũt, quibus omnia: sunt quibus aliqua conferuntur: vt, quod ille ait, *puer eram ingeniosus, & sortitus bonam animam*: qui sanè homines ad virtutum exercitia, humanitatem, honestatem, ad eloquentię studia, inuentionum acumina, pulcherrima queq;, ad imperia denique & grauissimos magistratus vno & beatissimo naturæ ductu ferri videntur. Videant illi ne negligant, ne abutantur. *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se praparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis? qui autem non coguouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis: Omni autem cui multum datum est, multum quaretur ab eo; &, cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Quod ait, *Cui multum datum est*, satis significat, pauca quibusdam, aut certè non omnia omnib. data esse. Scribit ad Ephesios Paulus: *Vnicuiq; nostrũ data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Pro mensura placiti & iudicij sui, infundit enim vt.

Sapien. 8.

Luc. 12.

Chrysost. in 15. cap. Matth. hom. 53.

Ephes. 4.

Rom. 12.

Caietan. in sec. q. 26. art. 7, ad 1.

vt quisque capax & idoneus est. Quemadmodũ nec quouis spiritali cibo spiritus alitur, quod alibi explicauimus, sed, quod Areopagita docet, huic, si porrigas venenum est; illi, cibus erit. *Habeo* (Christi verba sunt) *adhuc multa vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Neque aliena sunt ab hac sententia, quę docet Latomus: Hominum genera quatuor sunt. Primi corpore robusto, sed ingenio difficili & obtuso, qui naturales serui dicuntur Aristoteli, quod eatenus sapiant, vt alijs obedire duntaxat; de cætero neque sibijpsis, neq; alijs consulere rectè possint Secundi, ad actiones & opera, ad humanitatem & vrbanitatẽ valdè, ad cõtemplationem parũ apti. In tertio genere sunt, qui silentij & solitudinis amantes, ad maxima quæq; vel æterna, cogitatione attolluntur. parati quidem ad opera, sed ad curam temporalium tardi & imbecilles. Postremi, omnibus naturæ & gratię munerib⁹ pleni, ad vtramque functionem ingenio & corpore iuxta valent. Si igitur naturæ regula imitanda nobis sit; ex primo ordine deligi velim mœchanicos, fabros, &c. Ex secundo Procuratores, aduocatos, milites, ita vtrisq; consultum rectissimè videbitur: qui in tertio gradu, meditationi, studijs, & con-

In enarr. orat. dominica, super illa: Panẽ nostrum.
Citatur à Dion. Carthag. in cap. 12 ad Rom.
Ioan. 16.
Iacob. Latomus in quodlib. quæst. 1.

& contemplationi aptissimi sunt: sed ex quarto principes, Episcopos, Pastores, prælatos deducemus, quoniam tum ad contemplandi acumen, tum ad agendi dexteritatem æquè videntur idonei. Est sanè ita, naturæ defectum supplet sæpè Deus; sed ferè, ad naturæ bonitatem sequitur & superfluit multitudo donorum. Vt verba Dei ad Moysen rectè hîc intelligamus: *Miserebor, cuius misereor; & misericordiam præstabo, cuius miserebor*, id quod dicebamus, pro naturæ probitate in quemque defluere maiorem & superabundantiorē vim gratiæ; Exemplum in Paulo, & alijs.

Rom. 9. Exod. 33. August. tom 4. ad Simpl. lib. 1. quæst. 2. circa medium. Gregor in in Ezech. lib. 1. ca. 10. & in Euāg. hom 34. D. Chrys. ad Hebr. hom. 3. Vide etiam lib. de Monte. cap. 7. 10 & 3. parte de timore.

Sit igitur hoc iam positum, nec data esse, neque conuenire omnia omnibus, & quidem ad salutem nostram: ne videlicet omni vento efferamur; vt cultu & reuerentia nos mutuò prosequamur: vt aliorum dictis nos audientes & morigeros præbeamus.

Patet etiam hoc, in eo quemq; plurimum, & quàm optimè posse, ad quod sensibus, affectu & desiderio maiore rapitur, cui probando quis requirat innumera ex Biblijs testimonia? cum diuersa vitæ degendæ instituta cum magna Dei gratia & voluntate multi & maximi viri vsurparint?

Quid

Quid? quod D. Petrus idipſum teſtatur: *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet eum, et operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* In quā ſententiam Hieronymus cum hoc teſtimonio vſus eſſet, ſubiungit. *In omni propoſito qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Propoſitum vocat vitæ ſtatum, regulam, ordinem, Eccleſiæ iudicio approbatum. *Actor. 10.* *D. Hieron. ad Salui.*

Poſtremùm etiam atque etiam vide quid dicat Paulus: *Volo omnes homines eſſe ſicut meipſum*: vult nimirum vt laudabiliter affecti, optima quæque, facillima, & maximè idonea velimus omnibus: & tamen hoc deſiderium vult nos moderari; vt cum hoc tantum munus à Deo fratribus noſtris exoptemus, tum maximè cōſentaneum ijs concupiamus, quæ à Deo conſecuti ſunt. Monet hoc ipſum alibi Apoſtolus, & miratur: *Hic iam*, inquit, *quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.* Fidelis qui ſibi nihil ſupra vires ſuas arroget, neq; quicquam præſumat, quod ſui muneris aut facultatis non ſit; qui non ſpecie maioris gratiæ, aut prudentiæ alijs promittat, fallat, moleſtiam exhibeat, aut in mœrorem & deſperationē adigat. qui compoſitis verbis aliquò pertrahere quenquam *1. Cor. 7.* *1. Cor. 4.*

conetur,

conetur, quò vocari sese à Deo non sentit ille; cui ferendo non sit, quodque per rationes suas præstare necdum possit: erit, inquam, fidelis, qui his procul valere iussis primitus sese ipsum benè noscit, qui sibi concessis gnauiter vtitur, & assiduè cõtuetur; qui in accepta gratia succurrit, rebus afflictis solatio est, vsq; dum benigniore vultu eos Deus aspiciat, & inuitatis dicat: *Amice, ascende.* Monet hoc in Epistola D. Petrus: *Vnusquisq; sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratia Dei.* Cæteroqui cum illis censebimur, quibus testimonium perhibet Apostolus, *quod æmulationẽ Dei habent, sed non secundum scientiam.* Vt satis non sit, si quis suo duntaxat desiderio & voluntatis ductu feratur ac non attendat vt *in omni sapientia, & intellectu spirituali dignè ambulet.* Quò plurimum faciet, si quadam animi demissione illa omnia consideremus, quæ de viuendi modis &c. longè diuersissimis supra diximus, quibus tamen eadem vitæ æternæ merces proposita est. Nam si in eam curã attentiore cogitatione incũbamus, quanta ingeniorum varietas, quàm non omnia omnium sint; sanè, si verè humiles sumus, cum timore & tremore de aliorum moribus

1. Pet. 4 & lib. de Monte. c. 7. & 18.

Rom. 10.

Coloss. 1.

moribus iudicium feremus: cum hominū miserrimi, quod ipsi sint, quid agant, quid viuant, vix intelligant, tū alios culpent, & imprudenter censuram sibi vendicēt, ipsi maiore increpatione vel odio digni. Sed prudētissimus quisq; eò mouetur inprimis, ne si ipse intempestiuus medicus remedium vulneri adhibeat, malum exasperetur vel incrudescat, & hominem ipsum conficiat, isq; ab eo vitæ instituto, in quo suauiter & piè agebat, in malorum omnium oceanum deuoluatur præceps. Nimirum, cum ignorantia & inscitia rerum laboremus, infinitis penè vitijs obnoxij, inde verò vitæ rationes, quemadmodum & ipsi homines varient, & tamen ijs tā diuersis adeoque cōtrarijs, ad salutē nostram potentiæ & vocationis suæ media Deus expediat sine quo nihil possit: quis dico, hîc sibi tantum tribuet, vt præter Christiani hominis officium, alienis rebus se immisceat? iudex non constitutus sententiam de vita proximi non mala ferat? vt videlicet quod diu benè voluit, iam nolit, quæ hæc audacia? maximè si nullo sanguinis aut pōtestatis iure tibi ille subiectus est. Medici vel chirurgi qui nomē circumferunt, artis expertes, faciunt ambitione sua, vt valētudini noceant: vt qui

Naziana. orat. 22. de Modestia. Chrysost. 1. Cor. vlt. Bern. ser. 2. de Pasch. D. August. lib 2. de serm. Dominum in monte.

Vide Aug. cap. 2. Epist. 115.

vitis se superflua putant amputare, præ stupiditate ipsos palmites exscindunt; & qui ignem excitant crescentem, oscitantia totum extinguunt: nónne videmus qui arbores transferunt, plantant, inserunt, illius intempestiuæ opere gratiam, sæpenumerò referunt celerē interitum, quiq; tamen ad summā diligentiam reliquum sibi nihil fecerant. Quod si in ijs quæ sensu percipimus verissimū est, cuius demum ingenij sit spiritales rationes ad rectam, quod aiunt, lancem examinare, nusquam offendere, omnibus se facilem & commodū exhibere. Fœcundus ager, non tamen omnium ferax, nō hyeme. Sunt arbores, quæ solum non mutant; sunt, quibus insitio officiat; nam & pharmaca, proba quidem illa & efficacia, neq; semper sumi debent, neq; vbique, neq; ab omnibus. Ad eundem modum operatur spiritus, nō idē Ordo omnes capit, non eodē modo institui, moneri debent; tum & temporū ratio habenda est, & eorum quæ circumstant. Occupatur homo, exempli gratia, rebus suis, viuit placidè, accurrit importunus monitor, & tanquam flagitij hominem commonet, crepat perfectionem, tali animo digniorem gradū, aut verò, inutile opus quod instituerit, in promptu esse melius cui

ope-

operam nauare debeat. Bonus ille de statu hac mutatione deiectus, distrahitur, & laqueos incurrit, subinde labitur, & in fumos pristinus ille animus & studium omne resoluitur, & planè perit. Quod probè nouit Satanas, & simili arte virum pium fallit, aut aliorum ingenijs turbandis illo abutitur: nam, vt diximus, post turbas & seditionem in animo concitatam, scrupulos statim & difficilem quietem suggerit, indè patientiæ frenum rumpit, iuratum mox & addictum legibus suis in omne nefas agit. Exempla in medio sunt. Hæretici noctes & dies satagunt, vt suæ sectæ multò maximam multitudinem adiungant. Idem Iudæorum & Turcarum studium, adeoque fit, vt qui suæ opinioni plurimum fauent, similes sibi quærant, quemadmodum & stulti: sed cautio in Scripturis est: *Cum fatuis consilium non habeas, nō enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent.* *Ecclesiast. 8.* Quamobrem, qui tā impotenti desiderio ferūtur, vt suis moribus, Ordini, &c. alios associent, hoc neque Deo semper auctore, nec interprete faciunt: cum quandoq; naturæ corruptæ hoc, vel ambitionis testimonium sit. Laudanda voluntas: volumus cū Paulo benè esse omnibus, & supremū perfectionis stadium discur-

D. Gregor. Nazianz. orat 9. de Gorgonia. discurrere, sed non ille calceus ad omnium pedes est, infirmi succũbunt oneri: nisi sese contineant in inferioribus; qui in mediocri vitæ statu ad perfectionem pro modulo suo pertingent.

CAPVT X.

IN QVO VERA PERFECTIO consistat. & primum de interna, eiusq; retributione seu corona: quæ Theologis præmium essentiale dicitur.

Cass. coll. 19. litt h. D. Thom. 2 2 q. 184. art. 1. & 3. Dion. Carthag. serm. 6. de sept. & August. ibidem. D. Thom. opusc con. retract. c. 6. ex collat. part. Idem Epist. de perfect.

PErfectio in eo est, si quis perfectè Deum & proximum diligat; quod ita manifestum est, vt probatione opus non sit. Et tandem, cuiuscumque status & conditionis quisquam sit, Religiosus, siue vxori iunctus: clericus, aut laicus: dominus, seruus: mas, fœmina: liber & sui iuris, aut voto ligatus; ita perfectissimus quisq; censebitur, si charitate quàm maximè ardeat: quam qui perfectè possidet, simpliciter perfectior est; vt tamen hoc intelligamus aliquos vitæ status per se & simpliciter huic virtuti consequendæ amplius conducere; & facilitate & aptitudine sui plus commodare, de quo pluribus in sequentibus. Nimirum

mirum Vota omnia, Ordines, instituta, mores ad charitatis scopum referuntur. ita sibi quisq; rectissimè consultum putat, si eius possessionē semel acquisitam nunquam amittat. *Plenitudo legis est dilectio:* si plenitudo, comprehendet illa omnia, quæ iam dicta sunt, quę Scripturis Spiritus Sanctus complexus est: quæue ab earū mente & interpretatione aliena non sunt. Igitur qui ad eius quasi supremum gradum conscendit, optimus est, & mercedem potissimā in cœlis consequetur; qua ratione perfectissima charitas summo Angelorum choro ascribitur. Et quidem dignitas hæc, merces & meritum charitatis Theologis præmium essentiale vel Aurea dicitur: quæ est ipsissima hominis beatitudo in vnione animæ cum Deo, qua Deum amoris sui subiectū clarè videt, eoq; fruitur. Atque hoc præmium potest etiam summa & prima Corona dici: quoniam scilicet pugna & virtutibus eam in his terris homo promeretur. *Militia est vita hominis super terram. Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Iterum: *Bonum certamen certaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitia, &c.* tum, quod anima, media charitate, consors efficiatur diuinæ naturæ, & de plenitudine regiæ & celsissi-

cap. 1. 2. 6. 7. 8. 9. 15. & 18. pulch. Item cap. 20. & 23. in medio.
Rom. 13.
D. Thom. quæst. 96. art. 1 in additionib.
Iob 7.
1. Cor. 7.
2. Tim. 2. & 4.
2. Pet. 1.
Apoc. 5.

cellissimæ potestatis participat; iuxta illud · *fecisti nos Deo nostro regnū & sacerdotes, &c* nam corona est insign e regiæ potestatis Et hoc tantū præmiū iustissimè expectat, qui opus aliquod meritoriū (ita vocant) operatur, quod ex charitate profluit; & charitate augmētata merces itidē ipsa crescit & augetur. Atq; ita rarò quidē, fit tamē, vt qui cœlibatū aut spiritale aliquod vitæ genus in paupertate & obed ētia delegit, nō perinde magna ad Deum charitate moueatur, atq; ille, qui in matrimonio, diuit js, &c. liber & sui iuris Deo seruit Quamobrē prima animæ & beatissima perfectio, corona, gloria, de pondere charitatis sumitur, quodcumq, tandē vitę genus quisquā amplectatur, cū in tā numerosa Sanctorū serie, qui aliud atque aliud vitæ genus sequebantur: quisq; tamen in suo genere sanctus & perfectus fuerit. quod sentiebat Apostolus: *Hoc itaq;, inquit, dico fratres, tempus breue est; reliquum est, vt qui habent vxores tanquā non habentes sint; & qui flent, tanquā non flentes; & qui gaudent, tanquā nō gaudentes & qui emunt, tanquā nō possidentes: & qui vtuntur hoc mundo tanquā non vtantur. Preterit .n. figura huius mundi.* Hoc est, fratres vellē, &, quod dixi, iucundissimū mihi esset, esse vos *quemadmodū ego sum.* Sed quid

D. Thom. vbi supra ad secundum. Et qu. 95. art. 4 in corp.

Cap 18. de vita actiua.

1 Cor. 7.

agimus? nō hoc cuiusuis munus est, suum & propriū quisque à Deo accepit; & ecce vobis cōsilium: nihil vos perturbet, nihil de statu mentis deijciat, proijcite spē, fiduciam vestrā omnē in Deum; & qui habent vxores, &c. Pulchrè ad hunc locū Gregorius: *Quid inter hæc fratres charissimi nisi relinquere omnia debemus, curas mundi postponere, solis æternis desiderijs inhiare: sed hæc paucis data sunt. Admonere vos volo, vt relinquatis omnia, sed nō præsumo. Si ergo cuncta mundi relinquere non potestis, sic tenete quæ huius mundi sunt, vt tamen per ea non teneamini in mūdo: vt terrena res possideatur, nō possideat: vt sub mētis vestræ sit dominio quod habetis; ne mēs vestra dū terrenarū rerū amore vincitur, à rebus suis ipsa magis possideatur. Sit ergo res tēporalis in vsu, æterna in desiderio. Sit res tēporalis in itinere, desideretur æterna in peruētione. Nō ergo fratres audemus vobis dicere vt omnia relinquatis; sed tamē, si vultis etiā omnia tenendo relinquitis, sic tēporalia geratis, vt tamē tota mente ad æterna tendatis. Hinc etenim Apostolus dicit: Tempus breue est, &c.* Vult igitur Gregorius, non esse à quouis postulandum, vt se quærendis det rebus æternis, quod hoc omnium non sit: neque se hoc ausum, nec sine præsumptione ausurum.

D. Gregor. hom. 36 in Euang.
D. August. Epist. 89. quest. 4.
Chrysost. hom 20. in Genes.

Paulum secutus docet posse hominem, qui vxorem, familiam, diuitias possideat aut quærat, Deo placere, quemadmodũ Abraham, Dauid, & alij viri sanctissimi: qui magna libertate, vt cuiq; visum fuit, ita vixerunt: seduli tamen vbiq; & fideles ministri Dei, parati ad omnia, quæ imperasset. *Habet enim illi vxorem*, ait Gregorius, *quasi non habens, qui sic studet placere coniugi, vt non displiceat conditori, &c. Mundo quoq; vtitur, sed quasi nõ vtatur, qui & necessaria cuncta exterius ad vita sua ministerium redigit; & tamen hac eadem non sinit sua menti dominari. vt subiecta foris seruiant & nunquam intentionem animi ad alta tendentis frangant. Quicumq; ergo tales sunt, eis profectò terrena omnia nõ ad desiderium, sed ad vsum adsunt: quia rebus quidem necessarijs vtuntur, sed nihil habere cum peccato cupiunt. De ipsis quoq; rebus habitis quotidiè mercedes acquirunt; & plus gaudet bono opere, quàm bona possessione.*

Simile D. Hieronym. de Nebridio, Epist. ad Saluinam.

At ne aliquibus ista difficilia esse videantur, rem de persona refero, quàm multi vestrûm mecum neuerunt. Theophanius Comes fuit, vir misericordia actibus deditus, bonis operibus intentus, hospitalitati præcipuè studens. Exercendi Comitatus actibus occupatus, agebat terrena & temporalia

poralia; sed, vt post ex fine eius claruit, magis ex debito, quàm ex intentione, &c. Hæc ergo dixi, vt ex vicino exemplo ostendere possem, nonnullos & secularem habitum gerere, & secularem animum non habere. Innumera de historijs superant exempla, maritarum, puellarum, coniugum; qui habitu cum alijs communi, varijs ad hæc curis rerum terrenarum, sanctissimam tamen in medio mundo vitam egerunt. *Non enim diuiti obsunt opes, si eis benè vtantur: nec egestas pauperem commendabiliorem facit, si inter sordes & inopiam peccata non caueat. Vtriusq; testimonium est Abraham patriarcha; & quorundam exempla nobis suppeditant, quorum alter in summis diuitijs amicus Dei fuit, alij in sceleribus quotidiè deprehēsi pœnas legibus soluunt.* Ne tamen in hoc iudicio vsquā præcipites, ne amor tui te fallat, vide quæ seq. cap. tractamus: cum satis constet ab effectu operis probari charitatem, ideoque vera perfectionis ratio diligenti cōsideratione opus habeat. quę quidem vel tota vel potissima de charitate censetur, cuius perfecta possessió in quouis vitæ statu per Dei gratiam haberi potest; vt tandem qui ingenio & probitate valent, qui pij & verè boni sunt, non proximum

Hieronym. epist. ad Saluinam. Greg. Nazianzen. orat. 9. de Gorg. ser. cap. 18. & sequentib.

Rom. 14. suum, *non alienum seruum* (vt Pauli verbis vtar, cū idem seruitium Deo debeamus omnes) præ se cōtemnent, aut tanquam constituti censores iudicium de moribus illorum pronunciabunt; maximè si illi simpliciter mali & improbi nō sint. Et profectò ratione humanitatis, animæ prestantia & indole, ipsa demum naturæ rectissima institutione ad huiusmodi mores erudimur. Sed cum huius doctrinæ magnum in omnem partem momentum sit, tùm hoc etiam atque etiam considerandum est, fieri, vt ad iudicia aliorum, mores suos quisque ferè efformet. Quod vt diligenter cogitent, ijs necessarium est, quibus filij vel amici sunt; illis etiam qui ingenio & experientia, atque inde parata auctoritate multum valent; quorum sententia apud homines pondus habet.

CAPVT XI.

QVO LOCO QVISQVE *alios habere debeat, quoq; habendus sit ipse.*

Diligenter aduertendum est, quod iam dicebamus, ferè fieri, vt qui alio-

aliorum iudicijs, hominum prudentum & peritorum magni fiunt, aut contra, etiam contendant talium æstimationi moribus & vita respondere. Est sanè hoc magni momenti, & eget consideratione non parua eorum, qui filios habent, qui in dignitate aliqua & magistratu sunt, qui amici, &c. Atque vt liqueat quod dicimus, etiam atque etiam exemplis illustrandum est. Patet hoc cuiuis, viros prudentes cultum & reuerentiam quandam, viris, pueris, summis iuxta & infimis exhibere: tum quod ita deceat, tum vt sese tales præstent quales ab ijs habentur; quæ ratio omni laude & commendatione digna est, eique sine dubio gratissima, quem tali beneuolentia prosequuntur; ita tandem, si qua humanitate ducitur. Videlicet teneri puelli quibus blanditijs & osculis, si benè agunt, accipiuntur & mulcentur. qua cura, ad reuerentiam, quibus opus est, præstandam, educantur; vt honestis moribus, verbis, gestibus, pulcherrima quæque decorè operentur: quo ipso hoc consequuntur, vt duce quodammodo natura optima quæque amplectantur. maximè, si bonæ indolis & probè affecti sint. *Puer eram ingeniosus,* Sap. 8.

 ait

ait ille, *& sortitus animam bonam*. Hoc est: ingenio eram ad res percipiendas facili & idoneo, & natura aptus ad humanitatem & mansuetudinem, &c. Iterum, qui supra cæteros dignitate eminent, honestissimis nominibus vel epitetis compellamus. *Papam*, sanctissimum Patrem. *Principes*, clementes, clementissimos. *Episcopos*, reuerendos, reuerendissimos, &c. Non quod in illos hæc laus propriè competat; non solo respectu potestatis; sed vt quod officio præferunt, quod audiunt, etiam opere exhibeant. Vult Apostolus vt *nos mutuo honore preueniamus*. Qua causa? non inanis gloriæ vel ambitionis, sed vt pulcherrimis medijs ad salutem aliorum vtamur; eos hac humanitate quasi filo quodam ad omnem probitatem, mansuetudinem deducamus, erigamus, confirmemus. Quod ita oportere, cùm rationi consentaneum est, tum eadem omnium natura, idem spiritus, tot annorum experientia, nihil aliud habent. Subiacemus ferè peccatis, trahimur à concupiscentijs, sed non ita perijmus quin semina virtutum multarum, multæ affectiones probæ & legitimæ apud nos in intimis animæ visceribus lateant; quæ reliqua nobis esse pro sua incredibili

Rom. 12.

2. cap. 15. de affect. animæ.

Philo de legib. non scriptis. & de Abraham.

D. Bern. de

bili bonitate voluit Deus, qua de re libro de Monte accuratius & latè egimus. Et quoniam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, fit quandoque vt qui ab anima nobilissimi sunt, non perinde natura afficiantur, quam habent sæpè prauam & distortam: sed pro virtute & efficacia seminum, alius alio citius & perfectius optima quæque amplectitur: qui tandem cum Dauide psallunt: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Quid causæ igitur cur nos ipsi deijciamus, aut perturbemur? magna enim ratione hoc facit Deus: quarum illa causa est, ne elatus homo & præstantia & indole animi, de gradu humilitatis decidat. *Celat enim nos Dominus*, ait Propheta, *quasi aurum & argentum*. Ac licet ipsa natura cum spiritu depugnet, seditiones & motus agitet, nihil tamen impedit, neque deijcit animam à statu perfectionis; semper enim mala bonis se miscuerunt; neque aliquod seculum, aliqua hominum societas cogitari possit, pura & secreta: ita sanè, si quis in digitos mittat ab vsque Abele ad ipsos Christi Apostolos & septem Diaconos, sentiet fuisse semper qui alijs negotium facesserent; inter discipu-

gra. & lib. arbitr.
D. Doroth. serm. 3.
Rom. 2.
Rom. 8.
Dion. Carthag. in Genes. c. 5.
Rom. 7.
D. August. Psal 60.
Psal 93.
Malach 3.
D. Gregor. hom. 38. ad popul.

los Iudam, qui multos post se filios reliquit. quorum pessimi conatus, patientiam, humilitatem, victoriam, triumphos parant pijs & iustis. Igitur ingenerata est animis nostris vis, quã impulsi alios reuerentia & amore complectimur: coli iterũ & amari cupimus, ne hoc quidem ambitiosè, cuius ex alio quodam libro nostro hæc repetimus compendio:

Cap. 8. de Monte spirit. *Quandoquidem studio est viris bonis, placere omnibus: gratũ itidem & acceptum habent, si videant suas actiones probari alijs, laudari, &c. non respectu laudis, vel vt præmium habeant hoc probitatis & inculpatæ vitæ; sed quia vident eam talem famam modis omnibus necessariam, vt res suas ex sententia perficiant: quarum omnium finis est in salute & profectu humanæ societatis Sit igitur prima causa, vt ex operibus suis bonis, quæ vident alij,* 2. Pet. 2. 3. Matth. 5. *glorificent Deum Patrem, qui in cœlis est. II. Quia testimonium est, illum ipsum qui laudat, virtutis pulchritudinem intueri, eamq; diligere. III. Vt suo exemplo ad imitationem eorum pertrahantur, quæ commendant, & salui fiant. nec enim temerè quis laudat, quæ odit & auersatur. IIII. Quod eo ipso cognoscat, quantum illi in virtute profecerint, cum*

ita

ita lubenter aliorum benefacta maximè æstiment, & omnibus modis se iustos & æquos exhibeant: tum etiam propter communicationem amoris. V. Vt per homines ipsi Deo placeant, ad cuius amorem excitare omnes laborant & conantur: cui soli honorem & omnia tribuunt. VI. Quoniam spes sit alios, qui vident & audiunt laudes illas, ad studium virtutis inflammandos. VII. Gaudent, quia vident curam esse hominibus mandatorum Dei, inter quæ illud est: Cui honorem, honorem. &: præuenientes inuicem honore. VIII. Satis vident, eum, qui ea tam liberaliter tribuat, quæ in vita maximi momenti sint apud homines duntaxat prudentes, laudem scilicet & bonam famam, &c. eum simplicis, recti, nobilis & sinceri animi esse. IX. Quia virtus ipsa per se omni laude & commendatione digna est. X Quod hac laudis occasione tanquam ianua in ipsius pectoris intima aditum paraturi sint: vt illum ad aliquod nobile facinus aut pœnitentiam excitent. neq; hoc difficile sperant, cum sentiant tanti sese ab eo fieri, vt verbis & consiliys suis omnem fidem adhibiturus videatur. XI. Id nobis iam cogitandũ est: vt maximè omni studio & diligentia

gentia contendamus actiones nostras instituere: ita tamen etiam nobis multa excidere. labimur enim cùm in alijs, tum in ijs, quas vocant, rerum circumstantijs. quod cum ignorum esse non possit ijs, qui examinant, & iudicant se indies: tum verò lætantur, cùm sentiunt illa quæ benè egerunt, aliorum sententijs commendari; non ita, quod laudem sitiant, sed quia vident se nemini offendiculum posuisse, nec scandalo cuiquam fuisse. XII. qui ijs moribus est, vt maledicendi sibi causam nemini det, ille tamē, si quis maledicat, ægrè & illibenter audit, mallet benedictionem. Sed in his, quæ diximus ea cautio adhibenda est, vt nō patiamur falso nos laudari, nec alium quidem; tum, ne quis sibi illū honorem debitum putet, & non Deo. Postremum, vt non feramus laudantes non laudanda in nobis fortuna vel corporis bona, nisi pro vsu illorum recto.

Sed quemadmodum laudari & diligi ab alijs pulchrum & præclarum ducimus, eiusq; rei gratia & iocunditate perfundimur: ita nihil indignum pio & honesto viro committit, qui aliorum vituperijs, sannis, conuitijs tristatur & dolet.
2. Cor. 4. Nam & hoc reputandū est, generosissimos & optimos quosque cum toti in eo
Rom. 12. sint, vt eum, qui intus est, hominē de die
& ibidem. Dien. in diem

in diem renouent, si in eo magnum progressum faciant, contingere tandē quoquo modo ad eum statum beatissimum & felicissimum, quo fruebatur Parens ille noster in Paradiso. Neq; hic mihi laborandū est, quî probem primū hominem omnis miseriæ expertē fuisse, non fortunæ casibus nec turpitudini, nō vllis pœnis subiectum; vt tandem pœna, & quicquid eam sequitur, nobilissimi cuiusque naturæ vehemēter repugnet: qui vt præstantiore indole sunt, ita ægerrimè dicteria, contumelias, &c. ferunt. quæ scilicet omnia ad pœnas, & illa referuntur, quæ cū prima hominis institutione vehemēter pugnabant. Experimur in singulos dies, quod, quales sese haberi vident filij à parentibus, subditi à principibus, tales sese præstare student; etiam illi, qui iustæ ætatis sunt. Quæ res locū prouerbio facit: *qui nescit dissimulare, nescit imperare.* quoniam scilicet silētio multa transmittēda sunt, ne subditi vel filij nostri, ab eo, quem instituerunt, gradu mediocri præpropero laudabilium operū studio retracti, in pusillanimitatem, quò ferè natura hominum vergit, decidant. Est enim eorum etiam, qui pueritiæ fines egressi sunt, conditio propè talis, vt si illi quibus sublunt modum excedant in reprehen-

1. Pet. 2.
Threnor. 5.

D. August. epist. 121. cap. 14.

 dendo,

dendo, cosq; proſcindant tanquam deploratæ ſpei, illi tum impatientia victi, furorem aut morbum aliquem grauiorem ſibi concilient. Nam vt ſpiritus promptus ſit, non eadem ratio ſenſuum eſt; quin tandem omni verecundia & pudore poſtpoſito, in omne nefas agatur. rebus ipſis exhibituri, quod per conuitia, &c. audiebant. Quô ſi ſemel ventum ſit, vix eſt, vt intra pomæria priſtinæ humanitatis & induſtriæ ſeſe vnquam recipiant; ſed eâ ipſa audaciſſimè patrant, quorum antè nec cogitationem in animũ admiſſuri fuiſſent. Fit etiam, qui aſſiduis reprehenſionibus percellitur, dum neq; modũ neq; finem calumniarum faciunt illi, in conſuetudinem veniat, & quaſi callo auribus obducto, nullos omninò exaudiat, omnia ſuſque deque faciat, neglectis aut proiectis quibus animum intenderat: in illos verò maſtigas ſuos pari contemptu armatur, à nullis quæ obfutura putet, ſibi temperat, talionem tot maledictis reddit. At qui ad eum modum ab alijs tractatur, ſi nihil mutat, perinde ſuis intentus, tranquilli & conſtantis animi, paratus benefacere ijs ipſis, quorum prauos mores experitur, an non præter & ſupra alios homines tantæ virtuti locus debetur?

betur? Nihil quidem ille turbatur, non de statu mentis deijcitur: sed tamen quos aculeos intus quæ tormenta sentiat, quis pro magnitudine rei explicabit? Cuius tandem quàm excelsi, quàm generosi animi est, his tam periculosis fluctibus non inuolui, nusquam effer- uescere, non verbis, non factis, non silentio de via decidere. Neque arbitretur quisquam hæc aliorum iudicia vel ipsius studio patientiæ vel perfectionis expeti à quoquā oportere, toleranda sunt cum vsus & necessitas fert. indignum est & alienum ab hominis Christiani officio, ex aliorum sceleribus aut peccatis gloriam quærere, tanquam virtuti & honestissimis exercitijs locus præclusus sit, nisi materia de vitijs petatur. Videamus tamen, si detractiones & contumelias exoptare perfecti aliquando hominis sit. (Volumus sanè, quæ communia sunt, maximè: sed vel aliquibus prodesse magnum etiam & præclarum ducimus.) Igitur peti possunt non simpliciter, sed propter effectus quos operantur in homine multos & laudabiles. Rationes variæ reddi possunt.

Vide cap. 8. de Monte, rationes supra recitauimus de Monte, cap. 6.

Primam, accipiemus in eam sententiam, qua de ægroto agimus alibi, qui *De Monte, cap. 6.*

sectiones & vsturas spe vitæ desiderat, quùm alia media deficiunt.

2. Vt per hæc grauissimis & periculosissimis quibusque tentationibus omnis aditus præcludatur, quod exemplo manifestū faciunt, Beatus Hieronymus & D. Thomas: vt ne qua irrumpat vel per insidias illatebret Satanas; non per ambitionis vel superbiæ laqueos subtiles & absconditos. Et quis est, qui non timeat sibi? cum ille gentium Apostolus, & vas electionis, sese ab hoc gloriæ stimulo non immunem fuisse protestetur.

D. Hieron. epist. ad Rustic. de græco adolescent.
D. Thom. opusc. de perfect. cap. 9.

3. Ait Augustinus. Sicut se infirmitas eorum, firmitasque habuerit, metuunt tentari, dolent in tentationibus. Vt autem cupiunt tentari, audiunt quendam virū fortem ciuitatis Dei, dicentem: *Proba me Domine, & tenta me, &c.*

Aug. de ciuitate Dei lib. 14. c. 9.
Vide lib. de Monte. cap. 17.

4. Vt imitatione Dauidis, omnem spem & fiduciam suam in Deo collocēt, non obprobrijs, vel sannis vicē reddant; sed illa exercendæ virtutis materiam accipiant, atque ita facientibus adesse, se gratiam dare & conferre testatur Dominus, vbi ait Apostolo: *Sufficit tibi gratia mea.*

Psal. 25.
Psal. 26.
2. Cor. 12.

5. Vt, qui cōtemnit, qui in alium inuehitur, sine peccato & scelere inuehatur; ne tamen in illo, qui patitur (quod quidem

quidem, vt vtrimque sic constet, difficile & rarum est) causa, ratio, vel scandali occasio sit.

6. Si non veritati, non virtuti fiat vis, sed ita tota res moderetur, ne quicquam falsi vel vitij committatur.

7. Vt hoc desiderium amoris sit, quo Christo, & sanctissimo cuique, per conuitia, contumelias, &c. quàm simillimi esse cupimus. Atque ad hũc modum vituperari, conuitium pati, nõ modo laudabile & cum gratia est, sed etiam ab homine perfecto peti in precibus & postulari potest. Sed nimirum quæ conditio cuiusque & naturæ nostræ infirmitas est, fortassis desiderari illa & expeti à quoquoquam ex vsu esse non videbitur, cum tantum malorum in promptu sit, tot adsint qui negotium quietis facessant: vt patientiam exoptare his sustinendis, quàm augeri hostium copias ad spem præclarioris operæ, moderati & pij hominis sit.

Postremùm, qui se sentiunt multum à summo abesse si hæc vltrò postulant, quid sibi tandem volunt? an vt pudorem omnem exuant, & susque deq; faciant quid alij loquantur? cum videlicet diligentissimè semper & ab omnibus insistendum sit illi cogitationi, necubi alijs

offendiculo simus, aut nostris moribus, animos & conuitia aliorũ prouocemus. fit etiã (quod tamẽ imperfecti & ægroti animi est) qui apud omnes malè audire, à parentibus & amicis sperni, à superioribus nullo loco haberi videat, quicquid agant, quoquo modo res suas instituant, nugas agere, non nisi ludibrijs & dicterijs se locum facere; hæc qui vident, nimirum illam studiorum, diligentiæ, laborum contentionem sensim remittũt, deficiunt, atque illos suos reprehensores itidem contemnunt: tandemque omnibus officijs homine dignis extremũ valedicunt: aut verò specie quidem sanctitatis, sed perturbato animo, & desperatis potioribus, vel coniugio vel Ordini alicui sese addicunt, nulla alia certa vel necessaria ratione: ideoq; eius facti postmodum seriò pœnitent: quoniam non animi benè cõstituti matura deliberatione, sed amicorum suorum, &c. contumelijs, in eam quasi foueam detrusi sint. Vt omninò qui in alio vitæ statu saluandus fuerat, in hoc condemnetur, quod tamen etiam contra fieri potest. Atque ita (vt sibi quisq; de Dei gratia, multum polliceatur) etiam atque etiam videndũ est, quantum in omnem partem momentum habeat in alium inuehi, iudiciũ

vsur-

vsurpare, aut non habere vnumquemq; eo loco quo habendus est, cum ferè pro illorum iudicio, qui vel sanguine cõiunguntur nobis, vel existimatione bona sunt, actiones nostras dirigamus.

Quæstio.

Quærat aliquis: Vir fidelis & probus, perfectus, quæ mandata sunt, omnibus (& vero, quanti hoc momenti verbum, quanti ponderis est) dicit se seruum inutilem, testatur se peccatorem, subiacere peccatis, malitiæ, &c vtique in se & sua scelera inuehitur ipse. quæ tandem doloris ratio est, si eadem illa obijciat alius? an non procul & alienum hoc à studio humilitatis? *Luc. 17.*

Responsio.

Ita sane inquietudo & dolor ille videatur esse signũ ægroti & superbi animi, videbitur etiã humilis esse, & generosi, vt quod offendiculũ timeat aliorum ex suis moribus, quod alia multa, de quibus alibi. Demus tandem, ita commoueri, hominis esse non perfectissimi: est tamẽ hoc ita tenue & exiguum, vt optimo cuique in bonum cedat. nam & verecundia illa, quid aliud, nisi dux & auctor præibit ad timorem? eum pariet & educa- *ca. 8. par. 3. de Monte. Vide supra.*

educabit; vt nimirum in se & sua conuersus, diligenter in omnem partem inquirat, ne fortè scandali occasionem cuiquam dederit. quæ ratio cum pulcherrima sit, & omni laude digna, plena etiam prudētiæ est. *Si ille*, ait Clemens) *peccat, cui consuetudo est, cum viro bono, peccat etiam vir bonus. Vtiq; reueritus fuisset mores huius, atq; adeo sibi à peccato temperasset, si conformem Dei, mandatis & rectæ rationi vitā egisset:* hoc est, nequaquam animū induxisset præ pudore & verecundia in talē virum quicquam cōmittere. Quamobrem, si ad hunc modum tuibatur, bene est, conscius videlicet infirmitatis, & miseriarum suarum, fieri tamen potest (raro quidem & inusitato exemplo) vt neque peccet ipse, neque peccati occasionem illis det, qui in immeritum maledictis omnibus inuehuntur; cui rei testimonio est, Domini nostri Iesu Christi vita, & sanctissimorū Martyrum, quos, quis est, qui vllius scādali accuset?

Clemens Alex. lib. 7 strom.

Secundò, ille qui se seruum dicit inutilem, peccatorem, &c. vtique nouit seipsum, solatio sibijpse est, colligit se, affectibus suis imperat, eosque in potestate habet: sed qui hæc ab alijs audit non satis certus est sententiæ illorum. Nimirum

rum sine peccato nemo nostrum est. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et ex institutione Christi orãt Apostoli: *Dimitte nobis debita nostra.* Quorsum tandem huius orationis necẽssitas, si culpa nõ subest? & si peccamus omnes, quod os illius est, qui hoc conuitio quenquam impetit, non prius de grauissimo vel enormi flagitio cõuictũ? Iustissima igitur dolẽdi causa illi est, qui sceleris vel criminum insimulatur, vtiq; ignoro, quorsum hæc tendant, quod vel se scandalum dedisse putet, vel aliorum calumnijs de recta quasi via deductum, ad eam impotentiam illum deuenisse: atque (vt probè & piè affectus est) cura & dolore augitur, ne hac insolentia Deus ad iram & vindictam excitetur, aut fouea & offendiculum ponatur proximo. Sed qui in dies seipsum examinat, atque hinc iudice Deo, inde scelerum suorum multitudine turbatur & contremiscit, ipse quo tandem animo his tantis miserijs, grauiora & plura adijci sustineat? quem non tædeat feritatis? quod omnẽ ille hominem exuerit, ac neque pudore huius neque verecundia quicquam cõmoueatur, sed nec Apostoli vocem exaudiat, qui flere nos iubet cum flẽtibus.

1. Ioan. 1. *Matth. 6.* *Iob. 17.* *Eccle. 4.*

Iterum

Rom. 12. Iterum difficillimum est, cuiusuis iudicijs satisfacere & offensis medicari, vt quàm potissimum componere rem aggrediatur, quid facto aut verbis statuat, vehementer ambigat. Quamobrem vt intra castissimos modestiæ fines actiones nostræ decurrant, magna in omnem partem cura opus est; vt vera humilitate & prudentia ad aspectum aliorum nos deijciamus sine scandalo, non censuræ superbia efferamur, nõ cogitatione quẽquam lædamus. Magna omninò & lata spacia exercendæ humilitatis sunt, vt se, & quæ agit, iustissimus quisque reprehendat, quæ tamen tanta virtus audientibus alijs in lapidem cedit offensionis, quod eam non capiant.

Postremum, vult quidem suos humiliari Christus, sed in oculis Domini, & æstimatione propria: nõ ad conuitia vult quenquam descendere, non opprobrijs & petulantiæ locum dat, nec ipse suos Apostolos prædicabat inutiles, sed potius omni laude & commendatione efferebat. Videlicet doctrinæ suæ sectatores, qui se exemplo & opere sequerentur, tanquam dilectissimos sibi fratres complectebatur, eis gloriam in futuro, gratiã in hoc sæculo prædixit, tum illa adiunxit suauissima *Vos amici mei estis. Iam*

non

non dico vos seruos, dico autem vos amicos. Vocat ad se seruum suum dominus, neque eo honore dignatur, vt ipsum accedat; amicus verò etiam potens lubenter amici sui ædiculas vel pauperis subintrat, hoc ipso testatam faciens suam erga illum beneuolentiam; atq; etiam hoc modo à se honorandum demonstrans. Eadem gratia est Dei Patris, Filij & Spiritus Sancti aduersum eos, qui mandata Dei custodiunt, ea benignitas, suauitas. *Veniemus*, ait Christus, *& mansionem apud eum faciemus.* O gratissima vox, & quasi retributio laborum omnium in auribus fidelis ministri. Ait Christus: *Amicos vos nō seruos habeo. Omnia quæcumq; accepi à patre meo, nota feci vobis.* Iterū *Qui diligit me, diligetur à me, et ego diligā eū, & manifestabo ei meipsum. Ego rogabo Patrem, & Paracletum dabit vobis et manebit vobiscum in æternū spiritū veritatis. Si quis diligit me, veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* Quàm amica hæc, quàm placida quàm benigna, & tamen ipse humiliari nos vult; non fastu vel ambitione attolli. Vt tandem, qui de seipso præclarè non sentit, sed vilem, abiectum, humilem verissimè prædicat, & cum iustis est *Prior accusator*

Ioan. 15.

Prouer. 18. *cusator sui*, meritissimè sperare possit, & *Matth. 25.* hoc vicem solatij accipere;se non hęc tristia, quibus seipsum appellat, sed eos sermones à Domino auditurum, quib. electos suos ad gloriæ coronam euocabit: *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione* *Luc. 15.* *mundi.* Atque ita iudicium cuiusque de *Matth. 25.* seipso non eodem loco habendum est, quo iudicium Dei & aliorum. Nam & Prodigus ille, cum se humiliato & demisso animo infra omnes abijceret, non ita Pater accepit; sed receptum in gratiā cum plausu & lætitia complexus est. Et aliter in iudicio iusti, ad iudicem: *Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus?* hoc est. Domine tu quidem bonis operibus nos præstare contestaris, quorum nobis conscij non sumus: aliter Christus, Deus & homo, vti iustissimus Iudex, opera eorum bona suauissimis verbis recenset, paratamque cœlestis regni hæreditatem promeritis tribuit. *Eccles 9.* Adhuc si quis rationem desiderat quid *De Monte,* sit, quod omnia in futurum seruantur *de timore* incerta, vt homo nesciat vtrum amore *cap. 3. 4 &* an odio dignus sit, id quoniam alibi à *sequent.* nobis explicatum est, eò lectorem remittimus.

CAPVT

CAPVT XII.

QVOD DE PERFECTIONE *extrinseca & corona altera, quæ Theologis est præmium accidentale.*

Quæstio.

SI, quod supra diximus, tota vitę perfectio in Charitate est, quin tandem tot miserijs nos expedimus? quorsum tot Religiosa instituta, cœlibatus, voluntariè assumpta paupertas? Item, quæ illa Christi sententia est: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me?*

Responsio.

Sciendum, neque molesta ea esse nec misera, sed qui vti debitè possit, ei solatio esse ad huius vitę necessitates, seruandis Dei mandatis quasi viam præstare multis modis faciliorem, vt iam mittamus illi ipsi perfectioni primæ & intrinsecę, tanquam custodem adhiberi, cuius ministerio paretur, crescat, & augeatur.

Iterum, si tanta charitatis amplitudo, quorsum præcepta, & tota lex Moysi? pro nihilo erunt prophetiæ, & illæ Prophetarum minæ quem tangent? sed & noui

noui Testamenti summa auctoritas asseruabitur?

Responsio.

Ita est, vti tum, ita etiam nunc collimant omnia ad eundem scopum charitatis. Nimirum si Ordines, Vota, Religiones, si reliqua collustres, quæ à Deo vel Ecclesia accepimus, causam habent salutis nostræ curam & desiderium. A charitate operum nostrorum exordium est, in charitate finis est, nequaquam ociosa censebitur. *Si quis diligit me sermones meos seruabit.* Hæc possidentem, eorum omnium facit participem, quæ ab alijs piè & cum merito fiunt. *Particeps sum ego omnium timentium te,* ait Propheta, *& custodientium mandata tua.* Vt etiam qui coniugum sanctè & plurè colunt, quamuis circa prophana occupentur, media charitate communicent spiritalibus sanctissimorum hominum operib. Eius effectus potissimum ille est, vt Christi imitatores nos faciat in humilitate, patientia, & virtutibus illis, quib. via fit ad illam *filiæ regis intrinsecã gloriam:* ad quam vt aliquando pertingãt certiore & leuiore itinere, fuit, quod eò tendentibus, cœlibatus, Religio, Vota Paupertas, Obedientia, tanquam optimi duces

Ioan.14.
D. Bern. apolo. ad Gulel abb.
Psa. 64.

duces & rectores actionum propositi & commendati sunt: quod consilium à capite Christo est, ab Apostolis, & qui post Apostolos: hoc filijs suis probatum reliquit Ecclesia. In quo qui eligit cum Christo ait Sanctis suis crucem tollere, præmium multo maximū & singulare ab alijs hæreditabat in cœlis. Erit quidē charitas illa prima & insignita corona, erit item Accidentalis, qualem & alia sibi singula vendicant, quæ recte & piè operamur. *Quicumq; potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine meo, amen dico vobis*, ait Dominus, *non perdet mercedem suam.* Neque non verissimum est, esse aliā Accidentalem, quæ propria Doctorum, Martyrum, Virginum: & dicitur *Aureola, accidentale præmium, essentiali superadditum*, confertur perfectissimis quibusque & maximis propter excellentes victorias. Nam perfectæ virginitatis meritissimas laudes quis est qui pro dignitate explicet? quæ si pura est, ab omni næuo integra & syncera, hoc tantum facinus, non est nisi hominis perfecti & (si dicendum est) victoriosissimi. Hactenus, si virgo hoc intēdat vt sancta sit corpore & spiritu, hoc enim fine duntaxat posito laudanda est. Idem iudicium

De statu Aureolæ virginum.

de

de Martyribus est. Aureola virginum est, quarum corpus & anima incorrupta est, quæ propositum inieruñt perseuerantiæ in omnem vitam, neque interest voto hoc firmarint, an non. Sed nec, vim passæ, perit corona. Est in S. Lucia exemplum, quæ minitanti ait: *Si me inuitam feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Ita viduarum fructus est sexagesimus, scilicet, quæ propositum habent in eo statu castè durandi. De Virginibus illa sunt in Scripturis. *Et cantabũt quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor animalia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno: & in ore eorum non est inuentum mendacium; sine macula sunt ante thronum Dei.* Centum quadraginta millia nota sunt infiniti numeri. *In cantico nouo* gaudium accipimus, laudes, & gratiarum actiones, propter integritatem & innocentiam corporis, qua assimilati sponso suo Christo, totis cordib. in Deũ feruntur.

D. Tho. 2. 2. q. 124. art. 4.

Apoca. 14.

Atque hactenus de Virginitate, quantum

tum instituto nostro cōueniebat: nimirum, vt ipsa prima & summa perfectio in charitate sit; quantò tamen cęteris paribus, maiore & perfectore virtute, Christum, tum in anima intrinsecus, tum in operib. extrinsecis sequimur & æmulamur, eò maiore gloria erimus in futuro.

In spontanea Paupertate Christum sequentibus dicitur. *Sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.* hoc est: incredibili quadam dignitate & gloria iudicabūt cum Christo viuos & mortuos. Quod de charitatis pōdere nō interpretabimur (pro cuius momēnto dubium non est statum beatorum in cœlis augeri vel minui) sed de hac corona, quam diximus Accidentalē & Secundam. Ait D. Thomas Virgines, quę sine proposito castitatis diem suum obeunt, nō quidem illa, quæ Virginum propria est, Corona insigniri, sed tamen aliquo integritatis & pudicitiæ suę gaudio affici. iterum, quod supra dicebamus de fimbrijs aureis & discolori vestitu *filia Regis*, actiones has & opera extrinseca accipimus. Igitur perfecta virtus & sanctitas in ijs etiam intelligenda est, quæ oculis vsurpamus: non tantum quæ intus sunt & in anima delitescūt: vt etiā quæ perfectè operamur & facimus,

Matth. 19. *Luc. 18.*

In addit. quæst. 96. art. 5. in corp.

F non

non instrumenti vel commodi rationẽ duntaxat habeant ad finem charitatis, sed ex sese producãt peculiares quasdam glorias, præmia, coronas: quibus ipsis in hac vita gratiæ augmentum promeremur, cuiusque merito ad plenitudinem charitatis renouamur, crescimus, & dilatamur. Vt omninò qui summa petat fastigia rerũ, qui perfectus & absolutus haberi velit, Christum eiusq; Apostolos sequi debeat, vt cùm ijs in anima & intrinsecis virtutibus coniungitur, tum Christi consilia, & perfectissima quæq; vita & actione (quantum homini licet) exprimat. Neq; hoc prætereundem est, charitatem quæ intus est, perfectè operari, & parere actiones sibi similes pro opportunitate recipiẽtium & diuersitate naturæ & gratiæ vnicuiq; collatæ. Exemplũ: In Cẽturione reuerentiã miramur cum insigni humilitate, qui Christo veniẽti misit, qui diceret: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: propter quod & meipsum non sum dignũ arbitratus, vt venirẽ ad te.* Sed cum conduxisset in domũ Zachęi principes publicanorum, ille lętus & alacer Christum hospitem suscepit; & hoc scilicet ab intrinseca charitate. Ita nimirũ cũ alia atq; alia etiam cõtraria subinde amplectamur Deo vocãte & in-

Vide c. 20. de reb. tẽp.

Matth. 8.
Luc. 7.

Luc. 19.

ſpirante, hoc totum ſoboles eſt extrinſeci amoris, & gloriæ *filia Regis*. Itaq; charitas ocioſa non eſt, ſed operatur continuè & vim ſuam exercet operib. extrinſecis; nec verò leuiſſimis de triuio nugis attendet, ſed grauiſſimis potius & perfectiſſimis actionibus, quæ eius perpetua & cōſtans ratio eſt, pro commoditate tamen naturę cuiusq; & capacitate. *Arbor bona fert fructus bonos. Ex fructibus cognoſcitur arbor.* caueat ſibi quiſq; ,ne per vecordiam tentet, cuius potens non eſt, aut alteri ad huiuſmodi ruinam conſilio vel auctoritate præeat. ſeipſum quiſque conſideret, vocationem, dona, gratiam à Deo collatā in omni humilitate & modeſtia, quot tandē Chriſto talēta debeat. quinq; ne duo an vnum? D. Bernardus enarrans ſenſu ſpiritali illa Chriſti in Euangelio, *Vt quid moleſti eſtis huic mulieri?* Ita ait: *Sed & nunc quoq; cum fortè quiſpiam videtur vacare Deo, tantoq; deuotionis & gratiæ. vt meritò credatur vngere caput Chriſti, perſiſtēs iugiter in ſancta quiete & gratiarū actione, & diuina delectatione deuotionis; nō deſunt, qui hoc perditionē dicāt: & iuſto, vt ſibi videtur, murmure conquerūtur, quod is qui pluri b. prodeſſe poterat, quieſcat ſibi, nō quod ſanctitati inuideant, ſed quod prouideāt cha-*

Matth. 7.

Vide cap. 18. & 19.

De Monte Bernar. in par. ſerm. 1. ſerm. 56.

Matth. 26. Marc. 14.

ritati. Cæterum ipsa charitas Deus huiusmodi animæ plerumq; parcit, quam videt spiritalibus studijs delectari, maximeq; si talem eam nouerit, quæ adhuc pusillanimitate & imbecillitate, vt mulier sit, & necdum in virum perfectum profecerit, quod vtiq; ipse melius discernit, qui cor in-
1.Cor.7. *tuetur; quàm homines, qui in facie tãtum*
Matth.19. *vident, & secundũ faciem iudicant, cum*
Marc.10. *videlicet minimè attendant non esse eius-*
Luc.18. *modi facilitatis deuotè quiescere & fru-*
Eccles.31. *ctuosè occupari: humiliter subesse, & vti-*
Chrysost. *liter præesse: regi sine querela, & regere si-*
in 1.Tim.3. *ne culpa: obedire spontè, & imperare dis-*
homil.10. *cretè. bonum deniq; esse inter bonos, & bonum inter malos. imò, etiã esse pacificum inter filios pacis, & his, qui oderunt pacem pacificum exhiberi. Sciẽs igitur Iesus qui sint, quiue non sint idonei implicari curis, pro tali delicata anima, quã præ sui teneritudine tractãdis adhuc negotijs minus sufficere sentit, aduersus aliud sentientes, & ob hoc eius quietem tanquam infructuosam, bono quidem zelo, sed non secundum scientiã insimulantes, ipso respon-*
Simil. *det effectu: vt quid molesti estis huic mu-*
Ambr.2 de *lieri? Nam & si (quod fatendum est) me-*
Abrah. *lius est, ad quod illam trahere tentatis,*
cap.10. *bonum tamen est, quod operata est in me, sinite eam interim operari bonum, quod*
potest,

potest. noui enim ego quod adhuc mulier sit. Cum autem mutatione dexteræ excelsi de muliere factus fuerit vir (quod & me, quando tandem erit, latere nō poterit, quia me prouocante promouebitur, me quoq; seruante tenebitur) tunc melior erit iniquitas viri, quàm nunc benefaciens mulier. Ecce tibi varias vitæ degendę rationes, varias item pro varietate hominū Dei vocationes: cui vtiq;, q̄ oculis, cor & intima quæq; penetrat, indoles & aptitudo cuiusque perfectissima est. & Christus in illos inuehitur, qui specie perfectioris vitæ aliorum mores culpant, & negotium facessunt ijs, qui sese à Deo ad maiora & perfectiora vocari necdū sentiunt. Scilicet, huic si ita viuat salutem hic status, alteri perniciem accelerat: cùm tamen hoc vitæ genus simpliciter acceptum multis modis præstet. Fit etiā hodiè, qui *Mulieri bonæ operāti*, hoc est, homini necdum perfecto, bono tamen, & bonis occupato molestiam exhibet: dū scilicet suo iudicio trahit illum ad potiora, fit dico, vt ille diu anxius vtroque tandem excidat. Heus tu igitur qui perfectus tibi videris, vide vt illa tanta perfectio inter Deū & te cōsistat; si se etiam ad proximum extendit, age, ita rem expedi, ne ab increpante Domino audias:

Eccles. 42.

Thom. opu. de perfec. cap. 2. per totum. & 2. 2. quæst. 184. art. 8.

Sine illam, quid molestus es huic mulieri? bonũ opus operata est in me, &c. mitte illam, dum pater meus illam vocet ad perfectius. Vides igitur sententiam nostram sanctissimorum & doctissimorum virorum testimonio confirmatam? Nam &
Act. 4. in Actis *multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna,* cum moribus & vita multum differrent. Quæ diuersitas offensioni non erat: nihil contemptim quisquam, nihil temerè de alijs. Vult Apostolus nos vnum esse. *Deus ait*
Rom. 15. *sapientia & solatij det vobis idipsum sape-*
Philip. 2. *re in alterutrum secundum Iesum Christum, vt vnanimes vno ore honorificetis patrem Domini nostri Iesu Christi. Propter quod suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei.* Sapimus se-
Aug lib. 4. confes. c. 4. cundum Christum, non si nostris sensibus aut stolidissimis fantasijs tantũ tri-
Philip. 2. buimus, sed si nos mutuò cõplectamus in Christo, quemadmodũ nos Christus. Et alibi. *Si qua cõsolatio in Christo, si quod solatiũ charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera misericordiæ, implete gaudium meum, vt idẽ sapiatis; eandem charitatem habentes; vnanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes; non*
qua

quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. Præclarè & dulcidè Paulus. illud quàm prudenter; *superiores sibi inuicem arbitrantes.* Est enim hominis ingenui & intelligētis, nō temerè de quoque sententiam ferre: maximè, si quod agit, pro animo faciētis bonum aut malum esse potest: sed omnia candidè accipiet, illum ipsum maiorem & meliorem se æstimabit, non habita ratione perfectioris vitę, quam vel ipse, vel alius instituerit. Virtutis, animi, profectus cuiusque iudex solus & certus Deus est. Non eò se demittet, qui verè prudens & pius sit, minimè omnium Pharisæum æmulatus, apud se dicet: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* &c. Vbi vide, si ille omni vituperio dignus censetur, quod se laudato; alium de publicis & apertis facinoribus arguat, iniustitia scilicet, rapinis, &c. quantò nobis metuendum est de graniore casu, quasi præ cæteris perfecti, de subiectis passionib. meritissimò gloriari possimus. Igitur neque hoc vsurpabimus neque eò descendemus, vt ex adiaphoris, quæque pro animo cuiusque bona aut mala sunt, iudicium constituamus. Iterum si cum Pharisæo *Luc. 18.*

damnantur, qui hoc apud se orant. illi quo tandem loco erunt, qui apud alios nemine cogente effutiunt, atque ipsum hominem variè turbant, aut miserrimè agitatum in laqueos præcipitant. Cuius facti ille finis est, vt qui antè in humilitate & modestia Deo seruiebat, ab omni studio alienus, ignauiæ & socordiæ se totum dedat.

Ezech. 13. mœrere fecistis cor iusti mēdaciter.

CAPVT XIII.

DE ADOLESCENTE DIVITE, cuius mentio est in Euangelio. De bona voluntate, & resignatione suiipsius.

Quæstio.

Dicitur è contrà: Mihi quidem hoc animi erat, vt illum sermonibus meis ad perfectissimum vitæ statum deducerem, quibus si abutitur ad desperationem molestum & graue mihi est; qui illi quàm optimè volo. Nunquid ab ipso Domino nostro Iesu Christo ad perfectionis altitudinem euocatus nobilissimæ & ditissimæ familiæ Princeps: *Si vis, inquit, esse perfectus, vade, & vende omnia, &c. Quia cum audisset adolescens, abÿt tristis.*

Matth. 19. Luc. 18. Mar. 10.

Responsio.

Responsio.

Tu quidem ita iudicas, atque interim dum contemnis, & aliorum mores pro tuo libito interpretaris, vides effectum, misera & mala multa; quorũ sit te causam esse negas, vide etiam atque etiam quid affirmes, ac primum, cum tanta infirmitas nostra sit, tam bruta, tam crassa ignorantia eius, quod commodè & opportunè fieri dicitur: vbi aliquando loqui, silere sæpius cum laude ducitur: vt omninò prudentissimo cuique rationes & actiones suæ dubiæ sint, vtcumq; intentio proba sit.

2. Quod pro salute proximi Dominũ non depreceris, non ieiunia, non pœnitentiam in vicem illius assumas, vt Deus monitiones & consilia tua gubernet & dirigat ad finem pulcherrimum. *Vide lib. de Monte c. 8.*

3. Iesus Christus Deus & homo intima cordium penetrabat, illum præteritorum, præsentium & futurorum memoria aut præscientia nihil ignorare patiebatur, expers peccati & criminis, qui virtutis suæ brachio omnia complecteretur: cui facilè esset premere, erigere, & à mortuis suscitare. Sed vt rationibus apud homines agamus, accuratius vidẽdũ est, quid sibi Christus his verbis velit. *Hieron. contra Iouinianum li. 2. & epist. ad Iul.*

Hieron. in Matth Chrysost. in Mat. Aug. epist. 89. quæst. 4. & epist. 24. Idem conf. lib. 13. ca. 19. Cle. Alex. strõ. li. 3 circa medium. Orig in ca. 19 Matt. Cyrill in Ioan lib. 3. ca. 30 Iere- na. aduers. heres. c. 26. Tho. in Matt & 2. 2. quæst. 189. art. 1. Idem opusc. contr. retra. ca 7. Amb. ser. 8 in Psal. 118. Portio mea

Iam primum sponte sua alloquitur Dominum: *Magister, quid faciam, vt habeã vitam æternã?* Ad quæ Christus de perfectione nihil, sed ita paucis: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quo non contentus quum plura requireret: *Omnia hæc,* inquit, *custodiui à iuuẽtute mea, quid adhuc mihi deest?* Cui Iesus: *Adhuc vnum tibi deest, omnia quæcumq; habes vende, & da pauperibus; & veni sequere me His ille auditis, contristatus est. quod videns Iesus dixit: Quàm difficilè, qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt.*

4. Aduerte, verba hæc non imperantis esse, *Si vis*; quoniam scilicet, non, se velle cum mandato proloquebatur, sed hoc arbitrio ipsius relinquebat, oblata etiam necessaria gratia: *Dico* inquit, *tibi, si vis perfectus esse.* hoc est: Audi adolescẽs, nolo te difficultatibus vel molestijs implices, vt saluus sis; minimè opus est hoc precio (conueniet vtique quod iam respondi: *serua mandata*) respondeo ad ea, quæ secundo rogabas, *si vis perfectus esse.* Nolo tibi persuadeas me quicquam agere, subtilibus, tacitis vel apertis verbis, quàm vt veritatem edocearis. Non te exagito importunis vel odiosis sermonibus, vt venditionem properes; ad rogata respondeo verbis simplicibus & apertis,

relicto

relicto super hac re tibi iudicio. *Si vis perfectus esse.* non te probrosis nominibus compello, humana & ciuila omnia.

dom Chry. epist. ad Titũ hõ. 1.

5. Quàm præclarè tecum agitur, quẽ nihil impedit quò minuis statim morẽ geras, & hac eleemosyna maiorem in hoc seculo gratiam, & me præceptorem pares, in futuro thesaurum incomparabilem & gloriam sempiternam. Si tibi tãtum animi est, si excellere & cum summis reputari vis, vende, quæ habes, ecce tibi socios Apostolos, me defensorem, Dominum ad pulcherrima quæq; præeuntem. O optandam pijs omnibus vocẽ, cuius tãta suauitas quasi quędã arrha est gaudij sempiterni. Nimirũ mereberis bonis tuis ita distributis, me procuratorẽ, qui de cibo, potú & quæ ad victũ, superaditis multis & magnis prospecturus tibi sim, thesaurũ etiam in cœlo, fructũ permansurũ tibi parabis: sed si me in humilitate, obedientia, charitate, si in omni virtũtum genere sequeris, perfectus eris.

Vide lib. de paupertate Euang. Caie. in illud Matt, 19. sequere me. & in illud, Vos qui secuti estis me.

De bona voluntate.

6. Sciendum est, Perfectionẽ in moderatione & ordine quodam voluntatis sitam esse: quod exemplis sanctissimorũ homiuum demonstrari potest, quorum quotquot antè nos fuerunt, in hoc sibi omnem operam collocandam putarũt.

D. August. epist. 89. quæst. 4.

non illos diuitiæ, non potentia quicquã impediebat (quemadmodũ nec Iacobũ in Mesopotamiam abeuntẽ) quin potius, cũ se daret occasio aut opus esset, voluntatis suæ pulcherrimos fructus in virtute & misericordia ostendebant. Atq; ita Pontifices & Episcopi magna cum laude amplissimas diuitias possident: quoniã hoc Ecclesiæ morib. & rationi consentaneũ est, qui tamen ipsi in summo perfectionis fastigio supra omnes cuiuscũque etiã ordinis Religiosos positi sunt.

Pulch. Thom. opusc de perfect. cap. 7. Caiet. 2.2. q.184. art. 7. Caiet. in illud Mat. 19. propter nomen meum. 2. Tim 3. Colos. 4.

Quamobrẽ dicendum est, Paupertatem, Obediẽtiam, Vota, & ea omnia quæ perfectionis studio extrinsecus assumuntur esse quidem instrumẽta, & magnum in omnem partem momentum habere ad perfectionem, atq; adeò gradus & limites quosdam cõstituere, necessaria tamẽ non sunt; sed nimirum volũtas ipsa, qua magno animo Paupertatẽ amplexuri essemus, si res ferret, atq; hoc ad Dei gloriã cederet, nisi adsit, perfectio intelligi non potest. Verba Pauli sunt: *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est vt perfectus sit homo Dei, et ad omne opus bonũ instructus.* hoc est, ita ab animo affectus, q̃ nõ vna aliqua virtute, sed si res ferat, omnibus rectè atque ordine vti possit: quique, q̃ ipse non agat, nequaquã reprehendat,

sed

ſed miretur & amet, aut ſaltem animo & voluntate perficiat. Apoſtolus in teſtimonium fidei & amoris ad Coloſſenſes: *Salutat vos*, inquit, *Epaphras, ſemper pro vobis ſollicitus in orationibus, vt ſtetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei.* Pleni ſunt vtriuſque Teſtamenti libri. Quod ait *ad omne opus bonū inſtructus*, ſimile illi eſt, quod in Monte ex ſententia Ambroſij explicuimus ſuper illa Pauli: *Scio & humiliari, ſcio & abundare. Vbiq; & in omnibus conſtitutus ſum, & ſatiari & eſurire, & penuriā pati.* Neque enim ſatis eſt, ſi quis animum Perfectioni promptū habeat, ſed vel maximè intereſt, ſi quando manus operi admouenda ſit, tum tota illa res diſcretè & ſumma prudentia inſtituatur: quæ vt ita ſe habeant, in eo tamen ſunt omnia, vt pari labore & conſtantia ad laudem Dei perſeueremus. Nam, & hoc vſu venit, qui tanto ſpiritu, & vehementia rē concupiſcunt, vt videatur nullius propemodū negotij, ſi liceat aggredi; illos intrinſeca perfectio, quæ caput & fons eſt cæterarum, ferè deficiat. Apud ſapientes in diuerbium abijt: *Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus.* Hoc eſt; qui ita multis occupantur, nequaquam maximo ſtudio, & ea, qua opus eſt, cura in ſingulorum

Coloſſ. 4.
Geneſ. 17.
22.
4 Reg. 20.
Matt. 5. 6.
Rom. 12.
Epheſ. 6.
Coloſſ. 1.
Philip. 4.
de Monte cap. 7.

gulorum vim, naturam, indolem, effectus inquirunt, non quæ rem circumstant aut contingunt. Quamobrem qui in ea quæ foris sunt, tanto studio feruntur, intrinseca (si cum his compares) ferè negligunt: atque iterum, qui intus toti sunt, reliqua contemnunt. Nam & illa, quæ totis viribus concupierunt, si aliquando consequantur, remittunt de animi contentione plurimum, magna sensim libertate, misso timore se ditissimos & pulchrè valere persuasum habent, neque conantur ad illam perfectionem, quæ in charitate & virtute fundatur, in illa cum Paulo non proficiunt;
Philip 3. ne hoc quidem intelligunt, ea omnia quę foris sunt, instrumenta esse intrinsecæ perfectionis, aut tanquam riuulos ex eo fonte deduci, vel vt custodes apponi; quum tamen quicquid hoc est, quod oculis patet, huic interiori consequendæ, augendæ & curandæ adiumentũ sit. Itidem homines, quod seipsos magni æstiment, eodem loco haberi sese, & honorem ab alijs sibi exhiberi postulant: quo iam quasi gradu facto ad lapidem offensionis corruunt, atq; inde verbis & exemplo lędunt vel offendunt proximũ. Neq; fieri possit vt solatium ægris adhibeant, vel Christiana humilitate cõsilio res af-

flictorum iuuent, quietis aliorum impatientes, importunè de suis vbique; ijs solis sibi placent, ea prædicant, & vti perfecta suspiciunt, aliena nullo loco habent. *Inde*, ait Taulerus, *peccatum omne deducitur, quod alio loco, quàm ratio & ordo* postulat haberi aut esse volumus: contrà verò omnẽ cõtemptũ æquo animo perferre, nihil sibi tribui velle, quocumq; loco apud quoscũq; tandẽ homines quisquam sit, vna & certissima ratio est veræ pacis; nec potest in hoc mundo quicquã dari, ex quo tãta securitas, quies, libertas in animũ hominis redũdet, atq; hac humillima pace. Quę si satis probantur, positũ sit hoc, pij & nobilis animi proprium esse, voluntate rectè affici. Et quid tandẽ nos fallimus, quid turbamur & diffidemus à nobisipsis? dum viribus & potẽtijs his quidẽ in Deũ ferimur, alijs verò pro lubidine nostra abutimur: quę sola causa est, cur in idẽ tristitiæ præcipitium cũ illo Adolescente decidamus. Neq; .n. cõsentaneũ est Deũ ꝑ sua sapientia, bonitate, & potẽtia quicquã omninò velle mãdare, proponere, vt nec eorũ rationẽ à nobis vnquã exigere, q̃ in manu nostra nõ sũt: quorũ vsu, necessitate, vel ratione impedimur. Sed inter ea omnia q̃ Deo in odorẽ suauitatis offeruntur, hoc sacrificium

Taul. serm. de dedicat.

modis

modis omnibus amplissimum & pulcherrimum est, quo abnegatis proprijs, purè Deo subijcimur: hoc solū volumus, & quidem læto lubentiq; animo, quod visum est ipsi. Quò qui affectu duci se sentit, prçterquam quod sui compos est, & stabilis, in quiete & lętitia, quanta verbis explicari non potest, principij rationē habet in hac vita, vel arrhæ vicem promissæ hæreditatis in cœlo. *Ambulat in*
Philip. 4. *nouitate vitæ, quasi in aditu æternæ. Hic*
Sapien. 16. *est panis ille de cœlo, omne delectamentū in se habens, & saporis omnis suauitatem.* Hoc in animo, tanquam in vtero matris concipitur & nascitur puer Iesus, & Angeli in cœlestibus canunt: *Gloria in Ex-*
Luc. 2. *celsis Deo; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* In hoc corde crescit Christus *gratia & sapientia apud Deum & homines*, crescit in virū perfectum, obediens Deo Patri ad mortem. Ita Paulus:
Galat. 4. *filioli mei, quos iterū parturio, donec formetur in vobis Christus.*

Postremùm, anima huius viri aduersum pericula & quātasuis hostium tempestates custodita est, quasi in *fasciculo*
1. Reg. 25. *viuentium* apud Dominum Deum. Sed non se deserit Satanas, tentat omnia, si quâ per rimas & anfractus illatebret, vt de hoc bonæ voluntatis quasi certissimo

quodam

quodam gradu hominem deijciat, speciei melioris & perfectioris (mentitus Angelum lucis) quo scilicet remissa custodia, quæ cor & intrinseca respicit, ad extrinseca dilabatur; quæ multò faciliorem dolis & insidijs suis viam præstant. quinimò terret eos, reosque pronunciat ignauiæ vel inobedientiæ, qui tam salutares Dei inspirationes non attendunt, si non statim illi suæ sententiæ accedunt. Sed vir paratis sensibus & edoctus inimicorum artes, nihil sese, cū Dei gratia, commouebit; eodē animo tranquillus & lętus durabit (cuius constantiæ rationes multas & varias toto hoc reperire est) neq; temerè ad extrinseca se conuertens, nec aggressurus quidem, nisi sentiat aptiora morib⁹ & naturæ suæ, & eorū rationem in Dei gratia & timore probè subductam habeat, atque adeò collatis dudum præteritis & præsentibus, nec futurorum considerationem omiserit, eadem semper & perpetua voluntate prōptus & paratus ad arbitrium Dei. Fit etiam, vt, quoniam hac se proficere nihil sentit aduersarius, alium arietem turbandæ voluntati admoueat. Impellit hominem vt sese totū constituat in manu Dei, paratus diuina visione, gloria & beatitudine carere, atque adeò ea ipsa

com-

commutare cum pœnis & flammis Gehennæ in æternum, ita, si Deo placeat: tanquam ea nō plena stultitiæ sint, procul ab omni ratione, & naturæ nostræ nobilitate, neq; nō contraria Scripturis,
De Monte cap. 5. Deo, & Ecclesiæ consuetudini: cū & Sanctissimi Patres huiusmodi nugas vno consensu explodant, & ipsa Dominicæ orationis sententia tales rationes nō ferat. Vt risu vel sibilo digni sint, qui stultitiæ suæ testimonium ex Moyse petunt:
Exod. 32. *Dimitte eis hanc noxam, aut, si nō facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Ne-
Rom. 9. que Pauli sententia erat, nec Moysis fuit Dei aspectu carere, aut sese ipsos flammis Gehennæ tradere: per somnium hæc illis in mentem non veniebant; sed quoniam incredibili quodam studio ad salutem proximorū incumbebant, cum animū suum Deo & hominibus testatum esse cupiebant: qua de re pluribus hoc loco opus non est. Neque negandum est esse, qui flagranti & resignato animo totos se ad omnem obedientiam Deo subijciant; ita quidem, tanquā sola ea virtus propria sit hominis in ordine ad Deum.
August. de Gen. ad litt. lib. 8. cap. 6. Fit autem vt qui ita affectus est, cum solus & totus in eo sit, eorum, quæ in cœlis & inferno sunt, quasi obliuiscatur: sed ad instar pulcherrimæ sponsæ tam arctis com-

complexibus Christó suo coniungitur, *Ioan.17.* vt cum eo voluntas vna, cor vnum, anima vna sit. Neq; verò ille obedientiæ, resignationis, amoris huius effectus est, vt ab aspectu & consortio sponsi sui diuelli se æquo animo ferat; non hoc Christiani & pij hominis est. Nam licet ille neq; de cœlo neq; de inferno expressam aliquã cogitationem habeat, nec electionem alterutrius faciat, ad cœlestia tamen illa omnia sed implicitè diriguntur: aut contrà, quæ in inferno sunt, & perpetuis supplicijs expiantur, quorumúe gratia à Deo conditus & redemptus nõ est, modis omnibus horret & auersatur. Quamobrem non illa speciosa anima (quantum in se est) separari se à sponsi coniugio vllatenus patiatur, neque quemquam admittat supra aut præter illum, probè memor preciosi sanguinis, quo redempta est; vt eos qui alia persuadere cogitent, perfecto odio oderit, & abominetur; ne verborum quidem commutatione dignos iudicans. *Inueni*, ait Sponsa, *quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam.* Neque efficit quicquam suis argumentis Satanas, quod etiam in damnatis elucescat & manifestetur Dei gloria. Videlicet alius habitus & gloria triumphantis est, qui imperio

Dion. Carthag. de verb. cont. de fructu. Psalmo. Vide in Monte de timore, part. 2.

Cant. 3.

dilectos

dilectos sibi filios, aut fideles subditos gubernat & regit: alius seueri domini, vlciscentis sese de inimicis & rebellibus suis. Vt omninò turbari nemo debeat & pati, vt in lucidos bonæ voluntatis suæ radios tenebras & caliginem inducat Satanas; tanquam à nobis aliquid requirat Deus, quod cum ratione pugnet. Quod ita non esse, infinitis Sacræ Scripturæ locis probatur. Nam Abrahæ exemplum (vt omittamus arcanam & plenam mysterij significationem) nostræ sententiæ adiumentū præstat, adeò non officit. nimirùm, vt si quicquam sese offerat, quod cū natura & ratione expressa pugnet, id ne faciamus, sed aliud loco illius, quod honestè & rectè fieri possit, vt ipse Abraham fecit.

Genes. 22.

CAPVT XIIII.

QVO MODO QVI CHRIstum in maximis præeuntem sequi non potest, in minimis possit: cum conclusione verborum Adolescentis illius, de quo suprà.

Consíderandum est, perfectionem illam intrinsecam & voluntatem ociosam esse non posse. Est quasi, assiduus

assiduus quidam monitor ad omnem virtutem, & honestissima quæq; corde & affectu semper, & si expediat, etiā opere perpetranda: non ignara omnia vnius non esse, neque quemuis statim ad perfectissima eniti. hoc tamen efficit ex illo adyto, quasi per quosdam canales in potentias animæ influens, vt tentet omnia & probet an ad gustum sint; quædam etiam amplectatur, & in habitum traijciat, vt decerptis vndiquaque flosculis suaueolentib⁹ varietate *filia regis* se commendet ad gloriam sempiternam. Vt pueri, qui matres comitantur, quamuis grauissimis oneribus ferendis non sufficiant, nisi tamen aliquid illis tenue aut paruum committatur, vociferantur & plorant. Ita Apostolus: *Si autem filij, & hæredes. hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Iterum: *Si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus.* Nam si Christum non voluntate, sed etiam operibus & factis imitemur, in cœlo regnabimus. Vult enim Paulus nos compati, cōmori, & viuere cum Christo. quod exemplar qui perfectissimè exprimit, qui ad eum scopum proximè accedit, modis omnibus erit beatior. Caueat quisque (quod

Psal. 44.

Rom. 8.

2. Tim. 2.

ſæpè monuimus) ne quicquam temerè assumat, ſubducat apud ſeſe; *quid ferre recuſent, quid valeant humeri:* quatenus Dei gratia prælucceat, &c. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt:* neque Angeli omnes in ſummo choro ſunt. Qui Chriſto aſſimilari nequit in continentia virginali (qui ſtatus abſolutè præclarior & melior eſt) ſit virgo intrinſecus & in anima, & in viduitate agat vel coniugio caſtè & integrè; nõ procacibus verbis offendat, non vultu, non moribus, aut factis. Iterum, cui integrum nõ eſt in ſpontanea & ſimplici paupertate, illi vtique promptum eſt in paupertate ſpiritus, Eleemoſynis, & omni genere miſericordiæ: quod ab ijs ſæpè factum fuiſſe qui in coniugio erant, atque interim maximis opibus abundabant, Sacræ Scripturæ & Doctorũ teſtimonijs apertiſſimum eſt. Qui docendis populis & prædicando Euangelio aptus non eſt, ideoque coronæ Doctorum expers, ille vel eo Chriſtum exprimit, ſi filios, ſubditos aut proximum ſuum ſermone vel exemplo doceat; ſi peccatores precibus iuuet: pauperibus deſolatis quaſi cõſortio quodã doloris miſereatur & condoleat. Cui martyrium negatur, quid? non illi patientiæ exercitia multa & magna obuia

Ioan. 14.

Geneſ. 18. & 14.

Greg. Nazianzen. orat. 9. de Gorg.

Hieronym. epiſt. ad Saluinam.

Gregor. hom. 36. in Euang. in ...

obuia sunt? miseriæ passim, oppressio, contumeliæ, conuitia: & illa omnia quæ in nobisipsis de originis vitio generantur. Cui vnus & simplex cum Christo vestitus non sufficit, vt nec capite nec pedibus nudis incedere, saltem per fastum & ambitionem curiosa & exquisita non quærat. Totas noctes in oratione non collocat, inualidus ieiunio & abstinentia, neque facilis ad seuera & grauia pœnitentiæ: at non se deserit, commendat se Deo manè & vesperè, cum excitatur, euigilans, aut quum quiescit: meditatur quæ ad Dei gloriam & suam salutem sunt. Abstinet, temperat sibi si non toto die, medio, aut certè aliquot horis; non se implet cibo, non ingurgitat, nec somno indulget, neque ignauia & torpore consumitur. in quo qui modum excedat, frustra speret gaudium & alacritatem in diuinis, profectum ad virtutes & honestissima quæque. Atque ad hunc modum in reliquis qui ad maxima eniti non potest, de paruis & minimis cur desperet? Qui haustum aquæ sitienti dederat, repromissionem mercedis accipit: & viduam prædicat Dominus, quæ duo æra miserat in gazophilatium. Bonus & fidelis seruus est, qui fortè duplicârat, qui serò

Chrysost. in Ephes. serm. 13. & in Matth. hom. 44. in fine.

Matth. 20.

in vineam venerat, cum diurnis mercenarijs reputatur. Ita Nazianzenus: *Qui primi & citius venerunt, plus videntur intulisse pro mensura laboris, non etiam, si æstimetur pondus voluntatis; cuius forsan ratione illi qui serò venerunt superabunt merito: & quidem (quod tamen rectè intelligi difficile est) serius vineam ingressi sunt, quoniam serò vocati sunt.*

Orat. 4. circa med. Orig. in Matth. tract. 10.

Fit enim vt qui pro accepta gratia, & modulo suo humiliorem & simpliciorem viam ingreditur in eo statu cū tanta Dei reuerentia & timore, tam excelso & constanti animo agat, vt exemplo viduæ omnem substantiam suam, quicquid scilicet virtute potest, Deo offerat, eoq; plus dedisse in hac sua spiritali paupertate censeatur illo, qui opibus spiritalibus affluit, cui occasio & vires suppetunt ad magna & præclara: atque ideò si illustria, perfecta, & in speciem magnifica perficiat, plus dedisse videatur. Sed quoniam diues ille totam substantiam suam in oblationem suam non collocat, collocat autem vidua paupercula; huius donum maioris est in paupertate, quàm illius pro magnitudine & opibus. Sed & hoc fieri potest, quod vir humilis plus mereatur, si opus exiguum pia intentione & viua quadam charitate perficiat,

ideoque perfectior alio, qui pari animo non versatur in magnis: maximè, si ille, qui minimis ad eum modũ occupatur, nullo suipsius studio totum se Deo ad quantosuis labores & molestias offerat, faueat alijs, laudet, admiretur qui maiora possit: prædicet Dei gratiam in illis, animo & charitate promptus ad omnia, nullo liuore vel subtili detractione cuiquam infestus. Nimirum duo talenta ad mercatum faciendum à Domino accepit, nihil turbatur si alios celsiore gradu videat, idoneos scilicet, & diuinio:e spiritu afflatos: non optat, non laborat illos ad se traducere, ne impedimentum ponat spiritui gratiæ: Hæc, quæ diximus, operatur in homine voluntas bona, & charitas, quę in corde est, nunquã ociosa. quod si videatur, parat præsidia, & conuocat in arcem copias, excubans vt piscator in captura piscium, si qua pateat occasio præclari facinoris. Vt felis subsidet & delitescit, sollicitè captans, si mus appareat. *Lib de Monte cap. 15.*

De diuite adolescente

Sed vt eò, quo digressi, reuertamur: neque Dominus noster Iesus Christus, neque Sanctorum quisquam ad alium aliquem in eam sententiam respondisse legitur. Vocatis Apostolis: *Venite,* inquit, *Matth. 19.*

Luc. 18. Marc. 10. *post me. Omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut Patrē, aut Matrem, aut vxorē, aut filios, aut agros propter nomē meum centuplum accipiet cum persecutionibus, & vitam æternā possidebit. Qui non negauerit omnia quæ habet, nō potest meus esse discipulus.* Hęc & his similia in genere multa in promptu sunt, non ita in specie: *si vis perfectus esse, vade, & vende.* Nam & illa differunt: patrē, matrem, agros vendas, an verò cogente necessitate pro derelicto habeas, neges vel contemnas: quod vel hinc intelligi datur: licet aliqua ratione vxorem relinquere, vendere nunquam licet. Itaque in magna differentia hæc sunt. Præclarum namque & egregium, Christi mandatis & Ecclesiæ primę institutioni valdè consentaneum, si quis possessiones suas ad vsus pauperum diuendat, quemadmodum Christianorum primi liberè, & perfecta charitate, vt in Actis videre est.

August. epist. 89. quæst. 4.

Actor. 2. & 4. & ibi Caiet.

Electio quadruplex.

1. Cor. 7.

Vouent multi Paupertatem, Obedientiam, Castitatem, &c. vt ijs quasi medijs ea omnia propulsent, quę impedimento vel in via sunt ad salutem, vel profectum in virtute tendentibus. Jn eam sententiam suadet Corinthijs Paulus: *qui coniugio alligati non sint, manere innuptis, si per Dei gratiam continere se possint.*

Sunt

Sunt qui hoc extrinsecæ perfectionis stadium ineunt, vt Deus pro sua misericordia in intrinseco ipsam perfectionem operetur: quemadmodum per opera & actiones peruenitur ad contemplationē: & per honestissima virtutū exercitia promeremur gratiam ad maiora, nā & ille in Euangelio seruus, *quod fidelis fuisset super pauca, meruit supra multa constitui.*

Alij, quamuis perfecti charitate sint, ex abundantia purissimi amoris huiusmodi vitæ statum eligunt.

Alij, in vicem perfectæ pœnitentiæ. Attendant qui saluti suæ consultum cupiunt, ne calore aliquo vel perturbatione spiritus incitati, quicquā temerè faciant, nedū voueant, de quo alibi latius. Nam in re tanta, magna prudentia & sapientissimorum hominum cōsilijs opus est: de quibus posteà. *Par. 2. de timore: & in orat. domin. super illa. Panē nost.*

De Diuo Ioanne Baptista Christi præcursore in Euangelio legimus, quod cū ad eum magna hominū turba Baptismi gratia cōuenisset, quęrebant ab eo *Quid faciemus?* nimirum, vt salui simus. *Et ille respondens dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Venerūt autē & publicani, vt baptizarētur, et dixerūt ad eū: Magister, quid faciemus? At ille dixit ad eos:* *Luc. 3.*

 nihil

nihil amplius, quàm quod vobis constitutum est, faciatis. Interrogabant autẽ eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? & ait illis: Neminẽ concutiatis, neq; calumniam faciatis, & cõtenti estote stipendijs vestris. Duæ tunicæ & cibus duplex significationem habent abundantiæ & superflui; quæ & Christi sententia est: *Veruntamen quod superest, date Eleemosynam.* Ex his diui Ioannis verbis hoc primũ patet, quod vel in tãta austeritate vitæ nihil de alijs ad se pertrahẽdis cogitarit: neq; in aliorũ instituta inuectus est: nõ cũ scrupulo vel anxietate populos dimisit, sed B. Joannes quemq; in eo quod cœperat, monuit & posse & debere ad salutẽ contendere; ab hac sorte nec publicanis quidẽ & militibus (quod mirum multis videatur) exceptis. Videlicet ipse D. Joannes prouectæ iam ætatis, plenus Spiritu Sancto, & omni sapientia, eorum omnium probè meminerat, quæ supra locis aliquot, & de Vita actiua docebamus. Neq; fugit viros sapientissimos, si qui sint quos Deus suo Spiritu repleat, quibus hunc animum inspiret ad societatem vel imitationem instituti sui, illos abundè moneri exemplo, moribus, & vita sua, quibus cõmoti spontè consilium vel opem suis rebus petituri sint. Quæ ratio

Luc. 11.

Cap. 18.

ratio cùm pl̨eclarissima sit, propria nobilissimi & optimi cuiusq;, tùm verò securitatis plena, grata vtrisq; & iocunda est.

Secundò, satis constat ex Scriptūris, Christum à Martha, Magdalena, & Lazaro conuiuio exceptum fuisse, eosque amasse. Et Christum *mulieres aliquæ sequebantur*, de suo ministrãtes ei quemadmodum & Apostolos post acceptum Spiritum Sanctum. sed non ea cuiquam Christus, non Apostoli dixerunt, quæ huic Adolescenti. abi, *vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & veni, sequere me.* Jlli sanè prompti & parati ad omnia quæ Christus mandasset, sed nõ ea illorũ ratio, non temporis oportunitas relinquendis omnibus, vt, quæ cupiebãt animo, cõplerent opere: cũ valdè probabile sit, mortuo Christo hoc ab ijs, quemadmodũ & ab alijs factũ fuisse. Cuiusq; rei sua maturitas, dies, hora est. Exemplũ in Christo: *Nolite*, ait Apostolis, *portare sacculum, neq; peram, neq; calceamenta.* Alibi ita: *Quando misi vos sine sacculo, pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc, qui habet sacculũ, tollat similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Jterũ dum in Zachæi domũ conuiua venisset,

Ioan. 11. & 12.
Luc. 8.
Luc. 10. 22.

Matth, 8. nisset, & quasi benedictione quã expressit ijs verbis: *Salus hodie huic domui facta est*, nihil de bonis vendẽdis addidit. Nusquã in nuptijs aut conuiuijs, ad quæ venit, simile quicquam legimus. Laudata Centurionis fide, quod similem in Israël non inuenisset, cum eius seruum sanasset, de hoc nihil.

Luc. 7.

Est igitur notanda hæc præ cæteris inusitata monitio Christi ad Adolescentem, qua hic tantoperè perturbatus est. Nihil tale de Apostolis. In Actis de Centurione scribitur, viro sanctitatis & virtutis admirandæ, quem etiam Deus visione & colloquio per Angelum suum dignababatur, excitato itidem Petro, qui illi Euangelium annunciaret. Et adhuc *loquente Petro, cecidit Spiritus Domini super omnes qui audiebant verbum, & statim baptizati sunt.* Nulla tamen mentio de venditione, &c. Philippus ab Angelo monitus, iret obuiam *Eunucho, qui erat super gazas Reginæ Æthiopũ, & venerat adorare in Ierusalem*, & in curru sedens Scripturas legebat (quod vtique testimonium erat electionis & gratię Dei) Philippus *autẽ euangelizauit illi Iesum, & baptizauit eũ: Spiritus autem Domini rapuit Philippum.* Nec tamen Philippus renunciandæ procurationis, aut vẽdendarũ possessionũ mentionẽ vllam fecit.

Act. 10. & 8.

Qua discretione ad Eleemosynam nos moneat Paulus, deq; illorum perfectione, qui eas accipiunt.

Beatus Apostolus Paulus, cum Gentibus euangelizaret, de quibusdam testimonium dat, quod sicut Angelum Dei se exceperint, sicut Christū Iesum: *quia*, inquit, *si fieri posset, ocul s vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Hoc est, in me, Ecclesiæ & verbo Dei: neque tamen specie tanti amoris & beneuolentiæ verba fecit de venditione bonorū, &c. sed discipulos suos monuit, vt hilari & lubenti animo egentibus distribuant, nulla animi anxietate vel tristitia; & cōcludit hoc pacto. *Consilium in hoc do: hoc enim vobis vtile est, qui non solùm facere, sed & velle cœpistis ab anno priore, nunc verò & facto perficite: vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis. Si .n. voluntas prompta est, secundū id ꝙ habet accepta est, nō secundū id quod nō habet. Non.n. vt alijs sit remissio, vobis autē tribulatio, sed ex æqualitate. In præsenti tempore vestra abundantia illorū inopiam suppleat, vt & illorū abundantia vestræ inopiæ sit supplementū.* Etiam atq; etiā videndū est, quid Paulus dicat. Voluntatē bonā Deo acceptā esse *secundū id quod habet, nō secundū* Galat. 4. 2. Cor. 8. Hieronym. cont. Vigil.

id quod non habet. Nimirum ponderat cuiusq; animũ Deus, neq; ab vllo quicquam exigit, quòd supra suas vires sit, neque vt de eo largiatur egentibus, quo opus habeat ipse. Ita & Thobias filio: *Si multũ tibi fuerit, abundãter tribue: si exiguum, etiã exiguum libẽter impartiri stude.* Neq; omnia, neq; supra quàm possit vult ipsum facere. Et Christus: *Veruntamen quod superest, date Eleemosynam: & ecce, omnia munda sunt vobis.* Nihil hîc de necessarijs, sed quod ex abundanti est; plura daturi, si facultas esset, vel omnia; si hoc voluntatis meæ arbitrium esset. Redeamus ad verba Pauli: *Non vt alijs remissio, vobis autem tribulatio.* Hoc est, nequaquã velim vos impartiri illis, qui Ierosolymis sunt, vt ociosos dies agant, vt affluant, & copia necessariarũ rerum abundent; vos verò inopia vel egestate consumamini: non ita est, sed ex æquo, discretè atque ordine, vestra abundantia suppleat illorũ paupertatem, non quę de necessitate vel vsu vobis sunt, sed quæ ex abundantia. Vt illorum abundantia, quę in spiritu & virtute est, paupertatem spiritus vestri orationibus & precibꝰ firmet aut suppleat. Postremùm confert & comparat inter se partes, vt ijs, quibus alterutris opus sit, mutuò sibi præsto sint,

Thob. 4.

Luc. 11.

Dionys. in 1. Ioan. 3. prolixi.

Caietanus in hunc locum.

& auxi-

& auxilium ferant. Vt rationi valdè consentaneum sit, qui Eleemosynas ad solatium corporalis necessitatis accipiunt, spiritualium locupletissimos possessores esse, de quib⁹ sufficiant in precibus, meritis, laudibus, & omni gratiarum actione ijs, quorum liberalitati, donationibus, testamentis ea debent. Quamuis illi ipsi benè faciant, qui ad laudem Dei pura & simplici intentione, tùm bonis tum malis ea constituunt & relinquunt. Cuius animi auctorem & exemplar habent Christum Dominum, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.*

Matt. 5. *Vide lib. de operib. misericord.*

Conclusio.

Et quoniam pulcherrima hæc sunt, nobilissimi & humanissimi cuiusque iudicijs apta, longiori sermone supersedebimus; quod neq; Christus ipse, nec Apostoli putarint quenquā acerbioribus verbis castigandum, aut molestia afficiendū esse, qui Paupertatem, & alia, quę extrinsecæ perfectionis sunt, nō assumeret. Nā cui pectus est Deo & diuinis legibus imbutum, illi satis superq; in his vitæ miserijs est, super quo tristetur & doleat, quod peccatis & pessimis quibusque affectionibus subiaceat, nequaquā securus ope-

rum suorum, paratus ad grauissima & maxima quæque, si vis & facultas esset. Quis igitur ille, qui specie misericordiæ vel amoris homini plus satis grauato, molestissimas & difficillimas cogitationes inuehat. Nihil tale in Sanctorum historijs, quos Sacra Scriptura memorat, nõ illi specie amicitiæ turbare quenquam consueuerunt, aut quasi in ancipiti statu eorum ponere, quæ benè instituissent; multò minus ad verborũ contentiones, censuras, conuitia se demittere; tanquam quod illi agerent, imperfectum esset, & periculis tentationum expositum, minimè sibi tantum de alienis moribus vsurpare, vt illud eorum institutum de malo esse; vt illud grauissimis pœnitentię operibus in hac vita, aut grauissimis Purgatorij vel inferni pœnis in futuro expiandum iudicarent. Indigna omninò, quæ Christi sanctissimis moribus, aut Sanctorum purissimis pectoribus inhæsisse dicantur. Facti sunt infirmis infirmi, vt infirmos lucrifacerent. Est igitur hic legitimus & syncerus Dei spiritus, à Christo in omnia Christi mẽbra dimanans, qui discretè, in omni humilitate & charitate, sed ordinata, viam Domini ambulabant, exemplo vel auctoramento alijs, qui pietate & virtute

Ezech. 13.
Bernard. serm. 56. in paruis.
1. Cor. 9.

duce-

ducerentur. Et quid agimus? Illi, qui in medijs sceleribus & peccatis volutabantur, cum emendandæ vitæ aliqua cogitatione ad ostium gratiæ Dei pulsarent, nequaquã à Christo aut Apostolis conuiuio excepti, sed cum egregia quadam animi testandi voluntate, illos ad conuiuia sequi, & omnibus humanitatis officijs complecti voluerunt. Ita est; dicit alibi Petro Christus: *Abi post me Satana.* & Apostolis, *ô stulti & tardi ad credendum.* Habent illa suas rationes apertas & grauissimas, quæ documēto essent in omnem posteritatem; quæ proinde ad fidei & salutis nostræ necessarias caussas referebantur, non ad Perfectionis statum, &c. Sunt nimirum illa duo in magna differentia, in rebus necessarijs grauiter & sincerè veritatem profiteri, & in nō necessarijs dissimulare, aut iudicium suspendere in rebus quæ bonis & malis communia, & imperfecti, sæpè etiam perfecti animi sunt. Quorum omnium tam dubia iudicia non à nobis æstimari, sed ad Deum, cui omnia patent, referri debent. *Marc. 16.* *Luc. 24.*

CAPVT XV.

QVOD DE IMPERFECTA perfectione, hoc est, ea sæpenumero esse perfectissima, quæ extrinsecus videntur imperfecta.

POstremùm meminisse debemus, esse, qui vita & morib⁹ videantur imperfecti; qui tamē quod germinent de radice charitatis, quę in intrinseco est, apud Deum peritissimū iudicem, absolutæ perfectionis rationē habent. Quod idem iudicium prudentissimum hominum est qui pro æquitate animi sui optimè omnia didicerunt interpretari. Scilicet imperfectus erat Paulus, *quod infirmus infirmis, quod omnibus omnia fieret, ut omnes lucrifaceret Christo.* 1. Cor. 9.

Iterum. affirmabit aliquis perfectius esse cū Ioanne in deserto pœnitentiam agere in cilicio, ieiunijs, &c. quàm Christum sequi liberiore esu, potu, ad conuiuia publicanorum & peccatorum; cum tamen & Christi & Ioannis vita in suo genere perfectissima esset. hactenus tamen quod Dominus noster Jesus Christus Deus & homo supra omnem omnium comparationem sit.

Luc 5. Marc. 2.

Ite-

Iterum. perfectiores videbantur, qui Ioanne magistro ieiunabant: (id quod ipsi confitentur) quod aliter erat in discipulis Christi. *Venient autem dies, tum & ipsi ieiunabunt.* Propria scilicet cuiusque rei mensura & tempus est. finiuit & posuit ordinem rerum Dominus, vt ille demum perfectè perfecta operetur, qui voluntati illius attendit vbique & insistit.

Matth. 9. *Luc. 5.* *Prosper de vita contempl. lib. 3. cap. 15.*

Videbitur parũ perfectè fecisse Christus, tum Diuus Paulus, quod cædenti se colaphis responderint, cumq; reprehenderint, quoniam verbum Domini sit: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Et tamen hæc Christi responsio & factum modis omnibus perfectissimum est.

Ioan. 8. *Actor. 23.* *Matth. 5.*

Qui sine crumena, sine mantico, nihil de crastino sollicitus, viuat; si opportunè, perfectissimè faciat: neque ideò non optimè Christus loculos habuit, asseruandis ijs quæ mittebantur, vt inde necessaria sibi & Apostolis pararentur; aut etiam pauperum miserijs succurri possit. Quid tandem, si fur Judas? alienissimum à consilio Domini nostri, vt de loculis haberet ille causam vel occasionem nequitiæ & furti. nam vtcumq; abuteretur deposito, ea propter non ab-

Ioan. 12. 13.

iecit oculos Christus. Quemadmodum si quis exemplo B. Martini scissæ tunicæ dimidiam pauperi largiatur iudicabitur perfectus & absolutus, nihil tamen de Christo vel Apostolis simile.

Ioan.13. *1.Cor.9.* *Luc.8.* *Matth.27.* *10.Mar.15.* *D.Doroth. hom.14.* Iterum. poterit videri perfectior, qui cum suas possessiones omnes in egenos tribuerit aut reliquerit, nihil amplius desideret, tum verò cibum ostiatim vel in Dei nomine emendicet: sed Christum & Apostolos de eleemosyna vixisse quidem, non tamen ostiatim victum emẽdicasse quisquam demonstrabit. Qui primi nostræ fidei nomina dederant, illi sanè venditis omnibus precia deponebant ad pedes Apostolorum (quemadmodum decuit illos facere, qui sibi beneficiũ præstari arbitrabantur ab illis qui *Acto.4.* acciperent.) at verò Apostoli, tum alij, *1.Tim.5.* qui curæ isti præponebantur, sedulò curabant, ne quid cuiquam deesset; atque ideò mendicitatis nulla erat necessitas: quibus tamen vires & industria essent, laborabant. Nimirum longè alia ratio est eius, qui quod alij piè offerũt hoc accipit, qui inuocatus hospitium vel prandium parari sibi cupit, vti Christus apud Zachæum, Martham, & illum in cuius domo postremum Pasca manducauit, erant vtique, & tales deligendi sunt qui-

bus

bus hoc frugiferum esset, qui vltrò gratularentur tanquam accepto beneficio, quod docebat suos Christus: *In* *Matth.10.*
quamcumq; ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete. Hæc videlicet ratio alia est ab illis, qui in oculis omnium Eleemosynam petunt.

At consilium nobis non est quicquã in ijs reprehendere, qui pio & laudabili instituto de Ecclesiæ auctoritate Mendicitatem vltrò profitentur, & in exercitium humilitatis ostiatim circumeunt: hoc nimirum vnumquemque persuadere sibi voluimus, ea quæ foris secus apparent, ita demum perfecta esse, si de charitate & reuerentia voluntatis diuinę proficiscũtur. Cęteroqui si nullus in in- *D. Tho. 2.*
trinseco talis motus est, imperfecta dici *2. quæst.*
& haberi possunt, atq; adeò non discre- *101. art. 4.*
ti animi, vt imprudẽtiæ notã mereãtur. *Eccles. 7. 8.*
Videlicet iam sæpè diximus, ita quemq; *Eccl. 39.*
rectè atque ordine fecisse videri, si maturè, aptè, si suo tempore fecerit: sin autem; mali potius & peccati rationem habeat.

Iterum poterit perfecti & absoluti hominis videri, relictis aut spretis, quę possederit, Euangelio vel altari deseruire; neq; tamẽ illius occasione, quæ vitæ degendæ necessaria sunt, à quoquã, petere:

sed

sed potius exemplo Pauli & aliorũ sanctissimorum & præstantissimorum hominũ manibus victũ quærere. & tamen Christo, & reliquis Apostolis potius visũ est, necessaria ab illis ministrari, quib. legem Dei & Euangelium annunciabant.

Ioan. 12. Neq; deerunt, quibus videatur parũ per-
1. Cor. 9. fecti Domin⁹ noster Christus & Paulus;
Luc 8. quod alibi carceres vel imminentem
Ioan 11.9. mortẽ fuga præuenerint; quoniã Christi dogma sit, nihil esse timẽdos *qui corpus occidunt*. at cum tempus appropinquasset, obuiam percussorib. ibant: quo solo documento patet sententia, ea sola
Luc. 4. perfecta esse, quæ pro ratione & tempo-
Act. 14. 19. re alio atque alio modo fiunt. Quid igi-
20. 23. 25. 9. tur hominum miserrimi de aliorũ mo-
21. ribus tam temerè iudiciũ ferimus, quorum nobis animus, voluntas, affectiones notæ non sunt? quis nos Iudices dedit? quid pronunciamus de Perfectione, vel peccato causa non cognita? *Manda-*
Ecclef. 17. *uit Deus vnicuiq; de proximo suo* vrget & trahit nos amor proximi, non vt ad cõtumelias verborum descendamus, vt ignominiam vel infamiam illis concilienus. Videtur aliquando perfectius esse, si quis æmulatus constantissimũ quemq; ad martyrij coronã lęto animo properet, quàm si animo turbetur *ad mortẽ vsq;*.

& oret

& oret cum Christo, & quoquo modo euadat passionem: & tamen illa tristitia Christi, Oratio modis omnibus erat perfectissima. Videbitur & ille perfectus, qui cum de manu Dei placidissimè omnia accipiat, tum verò doloris quodammodo expers sit, neque *hei mihi dictitet*, ac ne liberari quidem à malis desideret: quod tamen nos ita petere docuit Christus in oratione: *Libera nos à malo*, videlicet tum animæ tùm corporis. Nam & Thobias cum Sacra in lachrymis & insigni affectu animi, Domini misericordiã implorabant. & patent hæc legenti Scripturas, quoniam & optimus quisq; iam inde à mundi conditu sese à periculis eripi petijt, quod rationi valdè consentaneum est: nam & Christi Ecclesia sine intermissione ad Deum orabat pro Petro, & liberatus est Petrus ingenti miraculo. Et Apostolus cũ magna gratiarũ actione narrat se liberatum *de ore leonis*, liberatum *ab omni opere malo*. Iterum. *Orate pro nobis, vt liberemur ab importunis & malis hominibus.* Quamobrem qui hæc & his similia facie tenus consideret, iudicet esse imperfecta: sed qui sinceriore iudicio ad voluntatẽ Dei Patris adspexerit, qui animam Christi perfectissimam cogitauerit, easdemque rationes Sanctis adhibue-

Thob. 3.

Act 12.
2. Tim. 4.
2. Thess. 3.
Vide de Monte ca. 4. 5. 6.

adhibuerit, quibus causis quem finem intenderint, illi sine dubio absoluta & perfectissima videbuntur. Et quid verbis opus est, vt perfecta probemus quæ imperfecta videantur? imò, quod de sui natura mortale peccatum est, si Deo mandāte fiat, magnæ & perfectissimæ virtutis nomē accipiet: quod testatissimū est exēplis Abrahæ, Moysis, Phinees, Iudith &c. Iterum. qui de mandato Dei gladio iustitiæ in facinorosos vindicant, bene illi: quod qui suo iudicio patret, homicidij pœnam lucrifaciat.

Gene. 22. *Exod. 2.* *Iudith.* 13. *Num.* 25.

Si quis dicat, illas (facetenus) imperfectiones assumpsisse Christum in persona infirmorum hominum & imperfectorum, non admodum repugnabo: quamuis dici potest eà omnia Christum fecisse, quod ijs temporib. & hominibus ita conueniret. Hūc vocat Christus: *Veni*, inquit, *sequere me.* alium vltrò cupiētem non recipit Fuit, cum miracula, quę patrabat, in vulgus efferri prohiberet: fuit, cum enuncianda prædicaret. Videlicet, quæque suo tempore. Hæ perfectiones extrinsecæ Christi temporibus ignotæ erant, ideoque facere vel omittere multa consilium tum fuit, ne offendiculo cuiquam essent. Exemplū; quod vel reliquisset vel exhausta nummis esset crume-

Marc. 5. *D. Ber. ser. 3. de ramis palm.*

Vide lib. de vita act. cap. 4.

crumena, vt tamen tributum exoluerit, miraculo opus putauit, cuius rationem mox reddit Petro: *vt non scandalizemus eos.* quæ responsio magni momenti est. Non enim inquit, ne scandalum illi patiātur: sed, ne nos demus. Erat sanè Christus crucifixus, *Iudæis quidem scandalū, gentibus autem stultitia.* At non ille quēquam scandalizare poterat, quoniam hoc sine peccato non fit: cum qui accipit, quemadmodum Iudæi in Christo, de propria illorum malitia veniat. Itaque prius habuit Christus, vel per miraculum Publicanis satisfacere, quàm vt ab ipsis sibi condonaretur, vel aliunde emendicaret. Et quidem videbātur quadam reuerentia Publicani Christū prosequi (quem neque monere tributi sustinebāt, sed verbo, quo Petrus illi respōdit contenti) atque ideò facilè remissuri. At Christus, cui liquidò constaret, *quod hilarem datorem diligat Deus*, cum illi nihil vltrò remitterent, mentionem super ea re non fecit, ne illorum animi tristitia commouerentur. Erat igitur rationi valdè congruum, quod loculos deferret, quibus oblatas spontè, & hilariter pecunias in vsum suum vel pauperum expenderet (quoniam ille Paupertatem non profitebatur, vt per miracula humanæ

Matt. 17.

1. Cor. 1.

2. Cor. 9.

humanæ naturæ suæ subueniret.) Nihil igitur sibi remitti, nihil dari postulabat; nec quicquam à quoquam petijsse legitur, nisi quod à Samaritana haustum aquæ; in pascate cœnaculum; & cum solui iuberet asinum: satis certus, à quib.

Ioan.12.13. hæc peteret. legimus autem, *Iudam, quæ mittebantur, portasse. Et cum dixisset ei Iesus, quod facis, fac citius quidam putabant (quia loculos habebat Iudas) quod dixisset ei Iesus, Eme ea quæ nobis opus sunt ad diem festum, aut egenis vt aliquid daret.* Ex quo satis liquet hoc Christo vsitatum fuisse. Differunt multum, si iubeas pauperib. dari, aut emi quicquam: an verò vt per domos petat. *Iesus fatigatus sedebat supra fontem, & discipuli eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent,* non vt emendicarent. quod ijs temporibus apud ignotos homines non sine scandalo facturi fuissent: quoniam Paupertatem neq; ipse profitebatur, neq; posteris in scandalũ cõmendauit, sed in occasionẽ virtutis, sed amicitiæ, ad profectum in humilitate pulcherrimũ. Quod fit, quãdo liberali manu de abundantia sua pietati pauperum subueniunt diuites, cum & ipsis opus habeant, quibus largiuntur, neque non spiritalibus illorum diuitijs, precibus &c. vt supra docuimus. vt merca-

Ioan.4.
Aug. præfat. lib. de doctrina Christ.

mercator; de lucro & fortuna, lætari debent, si non desint in quos opes suas collocent. Christi igitur hoc consilium, non infirmis tantum commodabat, sed quoniam ijs temporibus & hominibus conuenientissimum erat. Aut, quod respondet Beato Ioanni: *Sic decet nos adimplere omnem iustitiam*. hoc est, quæ facienda sunt, oportuno tempore, rectissimo iuxta legem Dei & perfectissimo modo perficere. Sed ne quicquam difficultatis suboriatur, ne videamur implicari; sit ita, assumpserit Christus in his personā ægri & infirmi; & hoc sensu rationes nostræ congruunt. Nimirum præibat ipse infirmis quasi infirm⁹, vt animū adderet sequētibus, vt tanquā filios defenderet, adeò non exprobrabat, quod imperfecti, quod indomiti: sed vt consortio status & operum attolleret, lubentes faceret & iocundos. Quis tandem, si tam manifestæ veritati repugnamus? *2. Cor. 8.* *Supra ex Bern. serm. 56. in par.*

Conclusio.

1. Igitur probatum satis est, neq; vni omnia data, neque vni omnia expedire.

2. Absolutam & primam Perfectionem in intrinseca charitate Dei esse.

3. Quod illa quæ extrinseca est de Consilijs Christi veniat: postremum,

quod quæ deforis iudicantur imperfecta, perfectissima esse possint: hæc si ita sunt, hoc apud se quisque expendat, quàm pręclarum, quàm diuini sit animi præeuntem & operantem Deum sequi: si dico cōsilijs, auctoritate, alloquijs cuiquam auxilio esse possimus in eligendo vitæ genere, Religione, ordine &c. quo solo causam damus vt ille ijs quæ accepit cum vsura & fœnore in Dei gratia vtatur: ideoq; meritorum omniū participes & socij simus. Quos sanè (*cooperatores* vocat Apostolus) hic multa dona, magna gratia manet, in futuro maior gloria: expendat contrà quanta illorum ambitio sit, imprudentia, temeritas: qui nulla certa ratione ducti, ad aliquod perfectionis culmen, aut vitæ statum valdè dissentaneum instituto suo hominem pertrahunt. quod peccatum magis liquet, si idem ille, quem nolentem volentem aliò deducunt, in eo quod pridem tenebat cum bona Dei & hominum gratia viuebat. vt omninò humanitatis expertes videantur, qui etiam de imperfecto accusant illum, aut tandem qui maximis tentationibus & periculis sese vltrò induat, quod non missis alijs, quod ipsi dicunt, sequendum & anteponendum putet. Quæ cum magna

1. Ioan. 3.

magna ſint,illa ferina & belluarum propria, qui nihil promerito furorem & irã Dei comminantur, derelinquendum à Deo. atque adeò inferni vel Purgatorij pœnis addictum iri. Ieſus Chriſtus, *cui omne iudicium dedit Pater,* cuius oculis intrinſeca cordium patent, pro ſua miſericordia tueatur nos, ne in illos ambitionis & imprudentiæ laqueos præcipitemur: ſi cadimus, erigat nos de lapſu, & aſſerat redemptos iterum & reconciliatos iuxta magnitudinem potentię ſuę in verã libertatem; vt hoc, quod de peccato conceptum eſt, adoleſcat ad virtutem. Habet hoc Dei bonitas, qui de peccatorum ſceleribus fundamentum ponit conuerſionis electorum, doctrinæ, perfectionis. *Ioan.5.*

Poſtremùm rari ſunt, qui eam perfectionem amplectantur, quæ in extrinſeco eſt: rariores, qui intrinſecam habeant: rariſſimi, quibus vtraq; ſit: cum tamen ea, quæ in actione eſt niſi de animę fonte profluat, veræ perfectionis rationem non mereatur; maximè in illo, qui cõſilio, & auctoritate & cura aliorum ſaluti intẽdit. ſed, quæ intus eſt, facilius intelligi poſſit ſine extrinſeca, prõpto tamẽ & parato, ſi opus ſit animo, ad illam perfectio- *D. Aug. de vtilit. cred. ca. 17.*

fectionem, quæ ſuas opes in apertum producit.

CAPVT XVI.

QVI, ET QVALES SINT, qui conſilio & prudentia iuuandis alijs ſufficere poſſint, idonei ſalutis aliorum administri.

VIri, qui conſilio multum valent, qui, attenta ſemper voluntate & ſpiritu Dei, hactenus aliena curãt, vt ij, quibus conſulunt, monitis & rationibus ſuis commoti, meliora aut perfectiora capeſcant, illi ſanè pleni gratia & donis Spiritus Sancti, cum ijs comparari poſſunt, qui in magiſtratu & imperiò ſunt: eodem enim loco, & quaſi nomine cenſeri debent. Illorum autem conditiones multæ ſunt, quarum prima.

1. Quod ſeipſos parui faciunt, ideoq; magni in oculis Domini: Ita Samuel ad
1.Reg.15. Saul, *Nónne cũ paruus eſſes in oculis tuis,*
3.Reg 3. *caput in tribus Iſrael factus es?* & Salo-
Sap.8.9. mon: *Ego ſum puer paruulus, ignorans in-*
Preuerb.9. *greſſum & introitum meum.* hoc eſt, qui
Pſal 18. mihi ipſi non ſufficio: quomodo potero
118. *iudicare populum iſtum, populum tuum*
Matth. 11. *hunc*

hunc mutum? Et ait Dominus: *dedi tibi cor sapiens & intelligens, vt nullus ante te tibi similis fuerit. Si quis est paruulus,* ait Sapientia, *Veniat ad me.* Quæ vtiq; maximè necessaria illi est, qui consilium dare, & præesse alijs debet. Quę humilitas si perseueret, perseuerat Dei gratia & virtus: sin autem, (quicquid tandem alij dicāt) vel sola cogitatione in superbiā quis consentiat, & sibi magnus videatur, succedit caligo statim, & atra quædam nox expirantis gratiæ, vt frustra speret à se præstari quicquam posse, quod ad soluēdas difficultates & salutem proximi momentum aliquod habeat; nisi fortè rei ipsius simplicitas hærere quenquā & dubitare non pateretur. Vt omninò qui probi & prudentes sunt, cum se in hanc febrem incidisse sentiūt (quamuis omittendi consilij multæ aliæ & magnæ rationes esse possint) si de Dei gratia, quod opus est, credunt; prement rationes suas, durabunt in silentio, neq; se in consulta Dei lubrica & ancipitia immittent, (quæ proposita nobis iam materia est) nō mutabunt, vel ipsi; non, vt alij mutent, consilium dabunt; suspendunt: vsque dum discedente tempestate illa, succedat lux & splendor gratiæ, qui illuminet intellectum.

Prouer 9.
Psa. 18. 118.
Mat. 11.

ſed potius exemplo Pauli & aliorũ ſanctiſſimorum & præſtantiſſimorum hominũ manibus victũ quærere. & tamen Christo, & reliquis Apostolis potius visũ eſt, neceſſaria ab illis miniſtrari, quib. legem Dei & Euangelium annunciabant.

Ioan. 12. Neq; deerunt, quibus videãtur parũ per-
1. Cor. 9. fecti Domin⁹ noſter Chriſtus & Paulus;
Luc 8. quod alibi carceres vel imminentem
Ioan 11.9. mortẽ fuga præuenerint; quoniã Christi dogma ſit, nihil eſſe timẽdos *qui corpus occidunt.* at cum tempus appropinquaſſet, obuiam percuſſorib. ibant: quo ſolo documento patet ſententia, ea ſola
Luc. 4. perfecta eſſe, quæ pro ratione & tempo-
Act. 14. 19. re alio atque alio modo fiunt. Quid igi-
20. 23. 25. 9. tur hominum miſerrimi de aliorũ mo-
21. ribus tam temerè iudiciũ ferimus, quorum nobis animus, voluntas, affectiones notæ non ſunt? quis nos Iudices dedit? quid pronunciamus de Perfectione, vel peccato cauſa non cognita?
Eccleſ. 17. *Mandauit Deus vnicuiq; de proximo ſuo* vrget & trahit nos amor proximi, non vt ad cõtumelias verborum deſcendamus, vt ignominiam vel infamiam illis concilienus. Videtur aliquando perfectius eſſe, ſi quis æmulatus conſtantiſſimũ quemq; ad martyrij coronã lęto animo properet, quàm ſi animo turbetur *ad mortẽ vſq;*

& oret

& oret cum Christo, & quoquo modo euadat passionem: & tamen illa tristitia Christi, Oratio modis omnibus erat perfectissima. Videbitur & ille perfectus, qui cum de manu Dei placidissimè omnia accipiat, tum verò doloris quodammodo expers sit, neque *hei mihi dictitet*, ac ne liberari quidem à malis desideret: quod tamen nos ita petere docuit Christus in oratione: *Libera nos à malo*, videlicet tum animæ tum corporis. Nam & Thobias cum Sacra in lachrymis & insigni affectu animi, Domini misericordiã implorabant. & patent hæc legenti Scripturas, quoniam & optimus quisq; iam inde à mundi conditu sese à periculis eripi petijt, quod rationi valdè consentaneum est: nam & Christi Ecclesia sine intermissione ad Deum orabat pro Petro, & liberatus est Petrus ingenti miraculo. Et Apostolus cũ magna gratiarũ actione narrat se liberatum *de ore leonis*, liberatum *ab omni opere malo*. Iterum. *Orate pro nobis, vt liberemur ab importunis & malis hominibus*. Quamobrem qui hæc & his similia facie tenus consideret, iudicet esse imperfecta: sed qui sinceriore iudicio ad voluntatẽ Dei Patris adspexerit, qui animam Christi perfectissimam cogitauerit, easdemque rationes Sanctis adhibue-

Thob. 3.

Act 12.
2. Tim. 4.
2. Thess. 3.
Vide de Monte ca. 4. 5. 6.

adhibuerit, quibus causis quem finem intenderint, illi sine dubio absoluta & perfectissima videbuntur. Et quid verbis opus est, vt perfecta probemus quæ imperfecta videantur? imò, quod de sui natura mortale peccatum est, si Deo mandãte fiat, magnæ & perfectissimæ virtutis nomẽ accipiet: quod testatissimũ est exẽplis Abrahæ, Moysis, Phinees, Iudith &c. Iterum. qui de mandato Dei gladio iustitiæ in facinorosos vindicant, bene illi: quod qui suo iudicio patret, homicidij pœnam lucri faciat.

Gene. 22. *Exod. 2.* *Iudith. 13.* *Num. 25.*

Si quis dicat, illas (facetenus) imperfectiones assumpsisse Christum in persona infirmorum hominum & imperfectorum, non admodum repugnabo: quamuis dici potest ea omnia Christum fecisse, quod ijs temporib. & hominibus ita conueniret. Hũc vocat Christus: *Veni*, inquit, *sequere me.* alium vltrò cupiẽtem non recipit. Fuit, cum miracula, quę patrabat, in vulgus efferri prohiberet: fuit, cum enuncianda prædicaret. Videlicet, quæque suo tempore. Hæ perfectiones extrinsecæ Christi temporibus ignotæ erant, ideoque facere vel omittere multa consilium tum fuit, ne offendiculo cuiquam essent. Exemplũ: quod vel reliquisset vel exnausta nummis esset crume-

Marc. 5. *D. Ber. ser. 3. de ramis palm.*

Vide lib. de vita act. cap. 4.

crumena, vt tamen tributum exoluerit, miraculo opus putauit, cuius rationem mox reddit Petro: *vt non scandalizemus eos*: quæ responsio magni momenti est. Non enim inquit, ne scandalum illi patiãtur: sed, ne nos demus. Erat sanè Christus crucifixus, *Iudæis quidem scandalũ, gentibus autem stultitia.* At non ille quẽquam scandalizare poterat, quoniam hoc sine peccato non fit: cum qui accipit, quemadmodum Iudæi in Christo, de propria illorum malitia veniat. Itaque prius habuit Christus, vel per miraculum Publicanis satisfacere, quàm vt ab ipsis sibi condonaretur, vel aliunde emendicaret. Et quidem videbãtur quadam reuerentiâ Publicani Christũ prosequi (quem neque monere tributi sustinebãt, sed verbo, quo Petrus illi respõdit contenti) atque ideò facilè remissuri. At Christus, cui liquidò constaret, *quod hilarem datorem diligat Deus*, cum illi nihil vltrò remitterent, mentionem super ea re non fecit, ne illorum animi tristitia commouerentur. Erat igitur rationi valdè congruum, quod loculos deferret, quibus oblatas spontè, & hilariter pecunias in vsum suum vel pauperum expenderet (quoniam ille Paupertatem non profitebatur, vt per miracula

Matt. 17.

1. Cor. 1.

2. Cor. 9.

humanæ

humanæ naturæ suæ subueniret.) Nihil igitur sibi remitti, nihil dari postulabat; nec quicquam à quoquam petijsse legitur, nisi quod à Samaritana haustum aquæ; in pascate cœnaculum; & cum solui iuberet asinum: satis certus, à quib.

Ioan.12.13. hæc peteret. legimus autem, *Iudam, quæ mittebantur, portasse. Et cum dixisset ei Iesus, quod facis, fac citius. quidam putabant (quia loculos habebat Iudas) quod dixisset ei Iesus, Eme ea quæ nobis opus sunt ad diem festum, aut egenis vt aliquid daret.* Ex quo satis liquet hoc Christo vsitatum fuisse. Differunt multum, si iubeas pauperib. dari, aut emi quicquam: an verò vt per domos petat. *Iesus fatigatus sedebat supra fontem, & discipuli eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent,* non vt emendicarent. quod ijs temporibus apud ignotos homines non sine scãdalo facturi fuissent: quoniam Paupertatem neq; ipse profitebatur, neq; posteris in scandalũ cõmendauit, sed in occasionẽ virtutis, sed amicitiæ, ad profectum in humilitate pulcherrimũ. Quod fit, quãdo liberali manu de abundantia sua pietati pauperum subueniunt diuites, cum & ipsis opus habeant, quibus largiuntur, neque non spiritalibus illorum diuitijs, precibus &c. vt supra docuimus. vt merca-

Ioan.4.
Aug. præfat. lib. de doctrina Christ.

mercator; de lucro & fortuna, lætari debent, si non desint in quos opes suas collocent. Christi igitur hoc consilium, non infirmis tantum commodabat, sed quoniam ijs temporibus & hominibus conuenientissimum erat. Aut, quod respondet Beato Ioanni: *Sic decet nos adimplere omnem iustitiam.* hoc est, quæ facienda sunt, oportuno tempore, rectissimo iuxta legem Dei & perfectissimo modo perficere. Sed ne quicquam difficultatis suboriatur, ne videamur implicari; sit ita, assumpserit Christus in his personā ægri & infirmi; & hoc sensu rationes nostræ congruunt. Nimirum præibat ipse infirmis quasi infirm⁹, vt animū adderet sequētibus, vt tanquā filios defenderet, adeò non exprobrabat, quod imperfecti, quod indomiti: sed vt consortio status & operum attolleret, lubentes faceret & iocundos. Quis tandem, si tam manifestæ veritati repugnamus? *2. Cor. 8.* *Supra ex Bern. serm. 56. in par.*

Conclusio.

1. Igitur probatum satis est, neq; vni omnia data, neque vni omnia expedire.

2. Absolutam & primam Perfectionem in intrinseca charitate Dei esse.

3. Quod illa quæ extrinseca est de Consilijs Christi veniat: postremum,

quod quæ deforis iudicantur imperfecta, perfectissima esse possint: hæc si ita sunt, hoc apud se quisque expendat, quàm præclarum, quàm diuini sit animi præeuntem & operantem Deum sequi: si dico cõsilijs, auctoritate, alloquijs cuiquam auxilio esse possimus in eligendo vitæ genere, Religione, ordine &c. quo solo causam damus vt ille ijs quæ accepit cum vsura & fœnore in Dei gratia vtatur: ideoque meritorum omniũ partici-
1. Ioan. 3. cipes & socij simus. Quos sanè (*cooperatores* vocat Apostolus) hic multa dona, magna gratia manet, in futuro maior gloria: expendat contrà quanta illorum ambitio sit, imprudentia, temeritas: qui nulla certa ratione ducti, ad aliquod perfectionis culmen, aut vitæ statum valdè dissentaneum instituto suo hominem pertrahunt. quod peccatum magis liquet, si idem ille, quem nolentem volentem aliò deducunt, in eo quod pridem tenebat cum bona Dei & hominum gratia viuebat. vt omninò humanitatis expertes videantur, qui etiam de imperfecto accusant illum, aut tandem qui maximis tentationibus & periculis sese vltrò induat, quod non missis alijs, quod ipsi dicunt, sequendum & anteponendum putet. Quæ cum
magna

magna sint, illa ferina & belluarum propria, qui nihil promerito furorem & irā Dei comminantur, derelinquendum à Deo. atque adeò inferni vel Purgatorij pœnis addictum iri. Iesus Christus, *cui omne iudicium dedit Pater*, cuius oculis intrinseca cordium patent, pro sua misericordia tueatur nos, ne in illos ambitionis & imprudentiæ laqueos præcipitemur: si cadimus, erigat nos de lapsu, & afferat redemptos iterum & reconciliatos iuxta magnitudinem potentię suę in verā libertatem; vt hoc, quod de peccato conceptum est, adolescat ad virtutem. Habet hoc Dei bonitas, qui de peccatorum sceleribus fundamentum ponit conuersionis electorum, doctrinæ, perfectionis. *Ioan.5.*

Postremùm rari sunt, qui eam perfectionem amplectantur, quæ in extrinseco est: rariores, qui intrinsecam habeant: rarissimi, quibus vtraq; sit: cum tamen ea, quæ in actione est nisi de animę fonte profluat, veræ perfectionis rationem non mereatur; maximè in illo, qui cōsilio, & auctoritate & cura aliorum saluti intēdit. sed, quæ intus est, facilius intelligi possit sine extrinseca, prōpto tamē & parato, si opus sit animo, ad illam perfectio- *D. Aug. de vtilit. cred. ca. 17.*

hunc mutum? Et ait Dominus: *dedi tibi cor sapiens & intelligens, vt nullus ante te tibi similis fuerit. Si quis est paruulus,* ait Sapientia, *Veniat ad me.* Quæ vtiq; maximè necessaria illi est, qui consilium dare, & præesse alijs debet. Quę humilitas si perseueret, perseuerat Dei gratia & virtus: sin autem, (quicquid tandem alij dicāt) vel sola cogitatione in superbiā quis consentiat, & sibi magnus videatur, succedit caligo statim, & atra quædam nox expirantis gratiæ, vt frustra speret à se præstari quicquam posse, quod ad soluēdas difficultates & salutem proximi momentum aliquod habeat; nisi fortè rei ipsius simplicitas hærere quenquā & dubitare non pateretur. Vt omninò qui probi & prudentes sunt, cum se in hanc febrem incidisse sentiūt (quamuis omittendi consilij multæ aliæ & magnæ rationes esse possint) si de Dei gratia, quod opus est, credunt; prement rationes suas, durabunt in silentio, neq; se in consulta Dei lubrica & ancipitia immittent, (quæ proposita nobis iam materia est) nō mutabunt, vel ipsi; non, vt alij mutent, consilium dabunt; suspendunt: vsque dum discedente tempestate illa, succedat lux & splendor gratiæ, qui illuminet intellectum.

Prouer. 9. *Psa. 18. 118.* *Mat. 11.*

Sapien. 8. 9. 2. Confitentur vltrò, ſcientia & ipſa rerum experientia eruditi, ita ſibi perſuadent, & veriſſimè ſentiunt, nihil eſſe, quod ex ſeſe poſſint, ſibijpſis, vel alijs rectè conſulere ſine Dei gratia. Vt nauita parata & apta naue paratus eſt vela dare, quocumque ventus ferat: ita illi aptant & ſubigunt ſeipſos orationibus, Eccl. 38. & ibi Dionyſ. ieiunijs, ſuſpirijs & precibus ad Deum & Sanctos: expurgant intrinſeca cordiũ quotidianis eleemoſynis, virtutibus, & pijſſimis quibuſque operibus. Pœnitent pro ſe, pro illis quibus conſulunt, vt ea tanta pietate commotus Deus brachia miſericordiæ ſuæ extendat, & de ſuo ſpiritu impartiatur, quo inſtructi tum ſe, tum illum, cui conſulturi ſunt Deo offerunt cum prece & fiducia, quod ille pro beneplacito iudicij ſui ad ſalutem proximi conſilia ſua (tãquam miſericordiam 1. Cor. 7. à Deo conſecutorum) directurus ſit: vt inſpirationes Dei exaudiat, & aliquem vitæ ſtatum maximè ſalutarem amplectatur. At verò pro humilitate & acumine ſuo, non aliquod temporis ſpacium Deo præfiniunt, quo exaudiri debeant. Iudith. 8. ſunt exempla Sanctorum, Iudith, Annę, Saræ, Abrahæ, Iſaac, &c. par enim eſt, vt in longanimitate & conſtantia Dei gratiam expectantes, dubiorum & moleſtiarum

ſtiarum oceano nõ abſorbeamur. Nam, quod ait Bernardinus, docet & inſtruit nos Deus, quaſi magiſtro quodam tempore; quæ neque per Angelos, neq; alio vllo pacto aperire illi placitum fuit: maximè, ſi humiliter in precibus & oratione duremus, quoniam cum mutatione temporum multa mutant & variant. *Bernardinus de Senis. ser. 2. Pent. regula diſcret. vlt.*

Secundò, orandum eſſe illi, qui cum fructu monere aliquem, & de meliore vitę inſtituto perſuadere conetur, quamuis naturæ rationibus manifeſtũ ſit, de Scripturis comprobemus; *Exijt in montẽ Ieſus orare, & erat penoctans in oratione Dei. Et cũ dies factus eſſet vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos et Apoſtolos nominauit.* Ecce tibi Chriſtũ non parte aliqua nõ negligẽter, ſed tota nocte in oratione poſitũ, vt quemadmodũ ipſe in electione Apoſtolorũ præiuit, ita æmula Chriſti Eccleſia, ita boni oẽs & qui in magiſtratu ſunt, à Deo lucẽ & gratiam impetrẽt prius quã eò ſe demittãt, vt in nomine Dei cõſiliũ cuiquã dẽt, ad aliũ vitæ ſtatũ, vota, & ſi quæ ſunt alia maioris momẽti acceptãda. Neq; .n. Chriſti diuina natura quicquam huiuſce opis egebat, ſed exemplũ quærebatur Apoſt. & Sãctiſſimis quibusque, qui hoc modis omnib. ſibi ſequẽdũ exiſtimarũt. *Luc. 6.* *Ambr. in hunc locũ.*

Erant in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores. *Ministrantibus autem illis Domino, et ieiunantibus, dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, et orantes, imponentesq; illis manus, dimiserunt. Et ipsi quidem missi à Spiritu Sancto &c. Ministrātibus illis & ieiunantibus* aperit voluntatis suæ mysterium Spiritus Sanctus. Et mox iterum, ieiunia & orationes; vt firmaret constitutos, & inchoata perficeret. Ex quo etiam hoc videre est, nequaquam in portu nauigare, qui se sentiunt ad aliquem vitę statum à Deo euocatos, nisi vocationi satisfaciāt: tantundē, quātum anteà laboris operę, idem timori & humilitati studium impendant eadē cōtentione in precib. qua anteà. Saul, Ieroboam, & alij, nonne manifesta Dei vocatione imperiū cœperunt? sed ꝙ vocationi non insisterent, quod ab obediētia, humilitate, studijs prioribus in alia omnia irent, destituti gratia, derelicti à Deo; quod seipsis primi defecissent, pessimis quibusq; flag[i]t[i]js sese induerū[n]t. Pulcherrima in Apocalipsi sunt: *Habeo aduersū te pauca, quòd charitatem tuā primā reliquisti: Memor esto itaq; vnde excideris, & age pœnitentiā, & prima opera fac: sin autem.*

Act. 13.
Prosper de vita contempl. li 3. cap. 15. & con. collat.
Bernar. epist. 129.
August. epist. 137. sub finem.
Apoc. 2.

autem, venio tibi &c. Sed vt à digressione in viam redeamus, etiamnum ieiunat Ecclesia Quatuor tempora, quod ijs diebus ordinētur Sacerdotes, & in ipsos nouos Sacerdotes Spiritus S. descēdit. neq; dubitat, quin primi Religionis nostræ sanctissimi cuiusq; moris auctores idipsū fecerint, cū ad suscipiēdū ordinē mouere quenquā, aut suscipere cupiuissent.

Postremum, non potest non manifestum esse legenti Scripturas, de incredibili multorum in orationibus perseuerantia, ieiunijs, cilicijs, quæ, & maiora vsurpare mos fuit illis, si res aliqua maioris momenti incidisset. Quo munere censeri debent, vitæ aliquem statum incipere, magistratus, vota, matrimonium inire, & alia ciuilia vel Ecclesiastica: aut verò ijs petēdis consilium dare; quæ sanè pro sui pondere magna sunt, quod ab eis salus hominis tùm animæ tum corporis dependeat, etiam in futuro seculo: maximè, quoniam illi, qui huiusmodi vitæ institutum iam acceptarit, multa tū experiūdo sese aperiant, quæ neglecta antè vel incognita, si probè perspecta habuisset, ab eo negocio animum abstinuisset. Neque tamen pia nostrûm omniū mater Ecclesia, quicquam de suis dubitat, quin etiamnum sint, qui ad eum modū

Vide ca. 15. de vsu rer. temp.

res suas iustituant cum filios suos, aut eos, quibus præsunt, maioribus officijs aut perfectiori vitæ destinant: atq; adeò ipsi filioli à prima infantiæ teneritudine huiusmodi vocibus & petitionibus assuescunt: neque frustrabũtur, si perseuerent. cum alienum sit à rationibus amãtissimi Pátris, purissimis precib. suorum filiorum quicquam denegare.

3. Sollicitè inquirunt, si hoc à Deo, si à recta ratione iudicium sit, vt sese in aliena negotia, curas, consilia immittant. *Beatus seruus, quem constituit Dominus super familiam suam*, nõ qui seipsum cõstituit. Tũ, sanctissimi Apostoli, & Christus ipse in reb. pondere suo grauissimis (vt sint fundamenta Christianæ fidei, quibus omnium nostrûm salus innititur) magna animi æquitate tolerandũ & maturandum putarunt, vt occasio tẽporis, vt Dei vocatio & missio rectius intelligerẽtur: quanto hi, in ijs quę de salutis necessitate nõ sunt? Vna omnium fides, vnum baptisma, quo qui saluus esse velit, carere non possit. at non, vt omnes idem vitæ genus, eosdemúe Ordines amplectamur.

4. Consiliarij nostri de illorum numero sunt, de quorum fidelitate meminit

nit Christus: *Quis, putas, est fidelis seruus, & prudēs, quem constituit Dominus suus super familiam suam, vt det illis escam in tempore?* Et alibi. *Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens quem constituit Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* Et Apostolus: *Hic iam quaritur inter ministros, vt fidelis quis inueniatur.* Vt satis pateat ex toto Christianorum numero sapientissimum quemque & fidelissimum seligi ad cibum boni consilij, monitionū, &c. alijs exhibendum: & quidem suo tempore, & in debita mensura pro salute cuiusque & vtilitate. neque enim omnia conueniunt tum danti tum accipienti, sed pro sua prudentia qui fidelis & sapiens est, discernit tempora, præstolatur dum se ferat occasio; sollicitè considerās quomodo ipse spirāte illa Dei gratia moueatur, quid in altero moueat Spiritus, cui cōsilium daturus est; quę affectiones illius, dum sensim monet illum, & alia multa; quorum inprimis ratio habenda est, vt via fiat serijs & grauissimis consilijs, quæ ad vitę statum vel mutationem faciunt. Nam vt facies hominum differunt, etiam alia atque alia suppetunt, monendis hominibus, & probis consi-

Matth. 24. *Luc. 12.* *1. Cor. 4.* *Act. 14. Videns quia fidem haberet, &c. & 16. 16. 17.*

consilijs, quasi Thesei filo, ducendis: Secundò Medici prima & potissima cura est de morbi causa & origine, de cōplexione, & habitudine corporis, &c. tum demum præscribit, & pharmacum porrigit? eadem ratio medici spiritalis est, maior propter nobilitatem animi; tentat omnia, an ad gustum sint: inquirit in illa quæ circumstant, quæ propria, quæ accidant illi, cum de mutatione vitæ, aut de nobiliore & maiore gradu cupit persuadere.

CAPVT XVII.

QVOD DE FIDELITATE & prudentia.

Bernar. in declam.

QVæ de fidelitate & prudētia suprà diximus, ex sententia B. Bernardi explicabimus, luculēta illa & elegantissima. Igitur super illa Christi apud Matthæū: *Quis, putas, est fidelis seruus, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis escam in tempore:* ita ait. *Quaris fortè quā escā? Meus* inquit, *cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, nimirum vita in voluntate eius? qua quidem, nec pasci ipse, nec alios pascere poterit, nisi fidelis sit & prudens, vt eam & intelligat & diligat: diligat*

Col. 6.
Matt 24.
Ioan. 7.
Psa. 24.
Rom. 2.
1. Cor 34.

autem fortiter, diligat & feruenter. Quādo enim excusare ignorantia possit hominem, qui se magistrum infantium, doctorem insipientium profitetur? Ignorās utiq; ignorabitur, imò et multos ignorare faciet & ignorari. Quid enim periculi sit, vbi nō inuenit pastor pascua, ignorat dux itineris viam, vicarius nescit Domini volūtatem, Ecclesia quotidie multipliciter & miserabiliter experitur. Est enim vt sanctissima sic & sacratissima res voluntas Dei, et occultum omninò consilium, de quo et Apostolus gloriatur: Puto, inquiēs, quod & ego consilium Dei habeam. Vtilis proinde lectio, vtilis eruditio est, sed multò magis vnctio necessaria; quæ sola docet de omnibus. Vnde autem scire videbitur quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens, & perfecta, qui nec pulsare, nec quærere, nec petere cōsueuit: qui, donec alienarum curā susciperet animarū, nunquam suæ gessisse curam, sed in vano visus est eam accepisse. Atq; vtinam vel tunc curaret suam, vt meam quoq; postea curaturum sperare liceret, et de suo prius oculo festucā eijceret, vt de meo videret eijcere trabē. Vult nimirū vir sanctissimus, qui alios de volūtate & placito Dei docere velint, illi modis omnib. instructi sint, fideles & prudentes: vt quærant, vt pulsent, vt toto

1.Ioan. 2.
Sap. 9.
Luc. 11.
Matth 7.

pectore Deũ desiderent; eruditi, &, quod caput est, vnctione Sancti Spiritus ineffabili quodam modo docti: Quę quamuis pulcherrima sint, & sui luce clarissima, veniat tamen in partes Chrysostomus: *Dominus noster ostensurus quanta varietas sit istiusmodi seruorum, ita rogat; Quis, putas, est fidelis seruus & sapiens? Fidelis est, qui nihil eorum sibi vendicat, quæ Domini sunt, nihil prodigit; sed qui sapiens est, dispensat omnia pro temporis et loci ratione.* Idem alio loco: *Quis est fidelis seruus & prudens? Rem quidem laudabilem proponit, rarissimam autem, vt quis fidelis inueniatur, & prudens. Ecce, si quæras fideles, id est, Deum timentes; & ipsos quidem non multos inuenies, tamen adhuc facilè inuenis. Item, si prudentes quæras, inuenies multos: fidelis autem & prudens difficile inuenitur. Quomodo qui fideles sunt, id est, Deum timentes, difficilè sunt & prudentes: & qui prudentes inueniuntur, difficilè sunt & Deum timentes. quantò ergo rarior inuenitur fidelis & prudens; tantò, qui inuentus fuerit, beatior est. Prudentem autem dico, non scientem & doctum, sed sensatum & mẽte acutum: qui potest rerum põderare naturas, & secundum quod potest rationabiliter*

In Matth. hom. 79. in primo commẽt. & de Sacerd. lib. 2.

In matth. hom 51 ca. 24 comment. 2.

biliter omnia agit. Omnis quidem prudẽs potest scientiam habere ex parte, non autem et omnis sciens prudentiam potest habere: quoniam prudentia cuiusq; in actu probatur, scientia in sermone. Fidelis quæritur vt faciat, prius quàm dicat: prudens autem postquam fecerit dicat, & dicat, cui qualis doctrina conueniat, & quando. Item fidelis, quæritur, vt memor sit pauperum, sicut Paulus: prudens autem, vt intelligat cui, & quomodo debeat dispensare. Et hoc est quod dicit, dare cibos in tempore, & spiritales & corporales Sic prudenter, quia non semper omnia neque omnibus omnia sunt dicenda: frequẽter illa quæ alios ædificant, alios destruunt. In tempore; ne importunè illatá doctrina non prosit, sed noceat. sicut esca cruciat extra tempus accepta. *Hæc eadem subindicat, fidelitatem dico & prudentiam, siue eruditionem,* B. Augustinus eo loci, vbi de perfectis quibusdam hominibus loquitur. *Homo,* inquit, *fide, spe, et charitate subnixus, eaq; inconcussè retinens, nõ indiget Scripturis, nisi ad alios instruẽdos. Itaque multi per hoc tria etiam in solitudine sine codicibus viuunt. Vnde in illis arbitror completum esse, quod*

Rom. 15. Act. 6. Psal. 40.

Aug. de doct. Christ. ca 39. Item de morib. Eccle. lib. 1. ca. 31. 32.

1.Corin.13. *dictum est: Siue prophetia, euacuabuntur; siue linguæ, cessabunt; siue scientia, destruetur. Quibus tamen quasi machinis, tanta fidei, spei & charitatis inest instructio, vt perfectum aliquid tenentes, ea, quæ sunt ex parte, non quærant. Perfectum sanè, quantum in hac vita potest.* ac si dicat: Vide etiam atque etiam quanti negotij sit alios docere, cum etiam in Viris vsq; adeò perfectis Scripturæ cognitio requiratur: non quod ipsi egeant, sed vt sit vnde alijs de eruditione sua impartiri, solatio & consilio sufficere possint. Neque enim non plurimum differunt, seipsum quis regat, an alios. Et si qui vitam viuit omni laude & commendatione dignam, eo solo aptus non sit, qui alios regat; quantò minus ille, qui sibiipse non sufficit? quod ait Apostolus: *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* hoc est: nequaquam existimandum est consilio, exemplo, & virtute præire alijs posse, qui nō potest sibiipsi, & famulæ suæ imperare didicerit. Elegāter Ambr. *Quis vtilē causa aliena iudicet, quem videt inutilē vitæ suæ? Quomodo enim potes iudicare consilio superiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet esse, cui me committere paro. An verò idoneum eum putabo qui*

Hieron. lib. 1. aduers. Iouin. in illud Doctorem te non percussorē. Pulchrè Bonauent. de sex alis Seraph.

1.Tim.3.

Ambro. officior. lib. 2. cap. 12.

qui mihi det consilium, quod non dat sibi? & mihi cum vacare credam, qui sibi non vacet? cuius animum voluptates occupent, libido deuincat, auaritia subiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? quomodo hic consilij locus, vbi nullus quieti? Ex quibus satis liquet, eas consiliarij dotes ferè proprias esse, si scriptum regat, si viuat bene, si prudens & doctus Scripturas, si aptitudine quadam ingenij, si sapientiæ, si alijs naturæ donis se commendabilem præstet. Ideoq; Pharao & Moyses cura maxima inquirebant de viris intelligentibus. Vera Theophilacti ratio est: *Sicut in dispensationibus diuitiarum: ita & in diuinis opus est fide & prouidentia. Scio enim multos, qui videntur virtute, pietate ac fide praditi, propterea quod Ecclesiastica prudenter administrare nequeant, damnosos esse Ecclesiæ, & non solum facultates sed etiam animas perdere; vt exempli gratia: Peccauit quispiam peccato, quod animam offendit: nisi prudens sit qui præsidet, sed tantùm habeat fidem, hoc est, virtutem absq; iudicio: vel ex immodica increpatione, vel ex intempestiua illius mansuetudine corrumpitur is qui lapsus est, & non sanatur, sed conteritur.* Qui plura in hanc sententiam videre volet, annotauimus loca & Aucto-

Caietan. in Gen. 47. Exod. 18.
Theophil. in cap. 12. Luca.
Prou. 26.
Gregor. Nazianz.

orat. 22. res, ex quibus ad satietatem haurire potest. Vides quanti, quàm perfecti hominis sit, qui consilio ducere, aut retrahere ab eo quenquam velit, à quo salus animæ suæ pendeat. Audiamus quid suauissimus ille & sanctissimus Bernardus huc faciat; est nimirũ in omnibus idem spiritus, qui corda, animos, ora suo: ũ implet & afficit. *Omnes iuxta Domini preceptum etiam inimici diligantur, sed ad consilium eligantur, qui videantur & prudentes esse, & beneuoli. Absq; prudentia & beneuolentia non sunt perfecta consilia. Propterea Dominus & imprudens Discipuli & fratrum infidele consilium refutabat, respondens inprouido: Vade post me Satana, non sapis qua Dei sunt. Et maleuolis: Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem nõ ascendam. Quærens denique cui se credere debeat, cui tutò committat sua dispensanda mysteria, & quasi difficilè inueniens sub admiratione interrogat; Quis, putas, est fidelis seruus, & prudens? Quamobrem & Petro curam ouium crediturus, prius eius studuit probare beneuolentiam, ter sciscitans si se diligeret. Probauit & Prudentiam, quando & errantibus hominibus & putantibus ipsum esse quempiam ex Prophetis, ille prudenter veritatẽ aduertens, Deum potius*

Chrysost. in 1. Cor. hom. vlt. Bern. ser. 2. de pasca. Aug. lib. 2. de serm. Dom. in monte. Hieronym. lib. 1. aduers. Iouini. Bern. epist. 42. Luc 6. Matt. 16. Ioan. 7. Matt. 24. Ioan. 21. Matth. 16.

tius Prophetarum confessus est. Tu es, inquiens. Christus filius Dei. Vix in multitudine hominũ vnũ reperias in vtraq; gratia consummatũ. Haud facilè siquidẽ vel prudenti beneuolẽtiam, vel fideli inesse sapientiam deprehendas: sine numero autẽ sunt, quos vtriusq; muneris expertes esse constiterit. Hinc ipsa castorũ consiliorum mater de seipsa loquens: Ego sapientia (inquit) *habito in consilio. Sed quali consilio? Nunquid in qualicũq;? Et eruditis*, ait, *intersum cogitationibus. Sed & quod infida cõsilia declinãda sint, per os Salomonis taliter monet: Causam tuam tracta cũ amico tuo, & secretũ extraneo ne reueles. Pulchrè quoq; per alium quendã sapientem, cum sine consilio nil agẽdum consulat, virorum tamen consilij intuens paucitatem, ita loquitur: Multi sint tibi amici, consiliarius autem vnus de mille.* *Prou. 8.* *Prou. 25.*

Superest iam, dicamus, quid fidelitatis & Prudentiæ nomine accipiendum sit. In fidelitate enim intelligimus charitatem, beneuolentiam, affectum ad Deũ & oues Dei. Volebat hoc Christus, cum ter rogaret Petrum: *Petre amas me? pasce oues meas.* Quod quidem à Christo factum fuit, antè quàm illi oues suas commendaret; in signum quod maximè opus esset illi charitate, & ani- *Ioan. vlt.*

mi promptitudine erga commissas oues. Difficilè dictu sit, quid possit promptus, beneuolus & amans in eo, quod sibi faciendum putat: ita experimur omnes in bonis & malis, in alijs, in nobismetipsis. Amor enim ille & affectio nequaquam patitur ociosos dies hominem agere, satagit noctes, dies; obsecrat, adulatur, instat, cœlum & terram commouet; hoc est, ea omnia saluti & auxilio aliorum adhibet, quę cogitatione quisquam consequi possit. Non ille respicit quid fiat de diuitijs suis, de gloria, dignitate vel imperio: per molestias, tormenta, per ignes & gladios, preces, ieiunia, vt maximè tantis laboribus ingratitudo refundatur, penetrat, & quasi cor vnum cum illo quem amat, efficitur, illiusq; animos & affectus subintrat & exprimit. Vna huius amoris cum Moyse vox est: *Dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro, quem scripsisti.* Et cum Paulo: *Veritatem dico in Christo, nõ mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabã enim ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.* Opera hæc perfectæ & absolutæ

Chrysost. hom. 3. de laud. B. Pauli.

Exod. 32.

Rom. 9.

absolutæ cuiusdam charitatis sunt, plena fidei & purissimæ affectionis: non quod ijs mens aut animus fuerit separari à conspectu Dei, sed hac quasi figura, illos affectus suos testabantur, sine mensura, sine fine: illam diligentiam diligentissimã & curam, qua ad salutem proximi afficiebantur. Vsitata ea forma Scripturis, quod viri sanctissimi quo tandem modo poterant significare hominibus (quibus docendis paratæ sunt Scripturæ) amoris sui magnitudinem cuperent. In eã sententiam Iob & Ieremiam dici ortus sui maledixisse legimus. Et Apostolus. *Sunt & alia multa, quæ Iesus fecit, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libres.* Quo quidem loquendi genere vtuntur, vt magnitudinẽ causæ demonstrent. An verò probabile est Paulum & Moysen, qui tanto tamque incredibili studio de salute aliorum satagebant, de promerita in cœlis gloria, de beatitudine propria sollicitos non fuisse? à qua tamen certum est nec cogitatione, nedum aliqua virtutis specie discessuros vnquam fuisse. Sed Pauli apertissima sententia est epistola ad Romanos cap. 8. Iam apud se hoc quisque æstimet, quàm multa & magna illi patiantur,

Vide supra cap. 13.

Iob 3.

Ierem. 20. & 45.

Ioan. 21.

tiantur, quàm sæpè tristitiæ magnitudine contabescant & pereant, cū eos, quos omni affectu complectebantur, subditos aut filios suos, procul abscedere de via Dei, nihili habere vident Inspirationes, & vocationem Sanctis Spiritus.

In Matth. hom. 78 in 1 cōment. Clem. Alexand. strom. lib. 5. & 6. Sap. 8. Ambros. lib. 2. de Abrah. cap. 10. & lib 1. offic. cap. 26. & 28. Gregor. de cura past. lib. 3. per totū. Amb. lib. 2. offic. cap. 8 9. 12. 14. 17. Basil de abdicat. sec. ser. 2.

Adijciamus aliquid præter hoc, quod supra dicebamus ex Chrysostomo de Prudentia: Comparat illa rem cum eo, quod consequitur, paria imparibus, bona malis; vetat, imperat videlicet quæ bona sunt, amplectitur: mala fugit & auersatur, ex præsentibus futurorum rationes accipit. Oportet, ait Ambrosius, *viri sapientis animam die noctuq; in exercitio iugi specula pratendere ad comprehensionem rerum earum quæ sunt, & singularum causarū cognitionem. Etiam futurorum interpres sapientia est; scit pratevita, & de futuris æstimat. Scit versutias sermonum, & solutiones argumentorum.* Iterum. *Quia consiliorum vsus maximè conciliat homines, ideo prudentia & iustitia in vnoquoq; desiderantur, quæ possit vtile consilium ac fidele desideranti dare. Quod si eū inueneris, qui viuacitate ingenij, mentis vigore atq; auctoritate præstet, & accedat eo vt exemplo & vsu paratior sit, præsentia soluat pericula, prospiciat futura, denuntiet imminentia, argumenta expe-*

expediat, remedium ferat in tempore, paratus sit non solum ad consulendum, sed etiam ad subueniendum: huic ita fides habetur, vt dicat, qui consilium petit: & si mala mihi euenerint, per illum sustineo. Huiusmodi igitur viro salutem & existimationem nostram committimus, qui sit, vt diximus, iustus, & prudens. Magna & multa sunt hæc, quę in eo qui consilium fidele daturus est, requirit vir sanctissimus: quisque seipsum noscat, an sufficiat oneri, an satisfaciat officio. Quamobrem qui de imperio vel consilio commendari volet, in suorum mores, vultum, sermones, incessum, pronunciationem, atque adeò actiones omnes singulari studio & cura animaduertere consueuit; quod ex ijs ita consideratis, multa deprehendat, quæ facilioris & aptioris consilij vel imperij rationem faciant, nisi ille cui consulere parat per hypocrisim & fucum falsa simulet: quod si faciat, non nisi seipsum fallit. Nam & vulgò dicitur, difficilè cognosci quemquam nisi per familiarem & domesticam consuetudinem. Igitur inquirit in complexionem illius, cui consilium parat, affectiones, naturam, & dona à Deo data, videt, quæ præterita, quæ præsentia sint, & (quantum probabili

probabili ratione possit) futura: quibus potissimum tentetur, vnde illi solatium, vnde timor & anxietas. His ille cogitationibus tanquam proprijs, cum timore & cura sæpenumerò occupatur, suspirat ad Deum, expectat descensum Sancti Spiritus in pluuia & rore & vnctione cœlesti.

Quod ita esse naturæ ratio vnumquemq; nostrum docet, Scripturæ, Doctores, Sanctorum exempla, experientia; & tamen quanti est consilium fidele & probum? cuius tantæ difficultatis causam nos ipsi damus: ea est hominum ignauia, stupor, inscitia, negligentia, & quod est caput, studium nostri. quà ratione fit, vt ijs, vbi cardo rei vertebatur non attendamus, atque ideò & silentio & sermone peccamus, neque consilium nostrum tempestiuum est. Reliquum est vt suppleat negligentiam nostram gratia sua Dominus: quam promerebimur, si nos pios, misericordes, & deuotos exhibeamus. Quod qui ita faciunt, nihil causæ est cur non magno animo & certa in Deum fiducia progrediantur, moneant, hortentur. Neque frustra sanctissima Christi Ecclesia, doctore vtique Sancto Spiritu, annum probationis (ita vocant) nouiter Religionem ingressis, præ-

August. de vtilitate credendi. Chrysost. in 20 cap. Ioan. Coloss. 1.

præscripsit; atque ipsis nouitijs vnum aliquem superintendere & præesse voluit: qui scilicet vniuscuiusque indolem, naturam, mores, an oneri feréndo essent, sincerè dignosceret. ijsque vbi opus esset, cõsilium & operam adhiberet. Nam, qui prudens est, causas rerum videt, rebusque præsentibus adiungit atque annectit futuras. *Cicero in offic.*

Conclusio duorum capitum præcedentium.

Patet igitur, quod illi, qui aliorum curam suscipiunt, sese ipsos magni non faciunt, simpliciter & certò fatentur, sine Dei gratia nihil esse quod possint, ideoque singulari constantia ad Deum conuertuntur, eum precib⁹ & pijssimis quibusque operibus propitium sibi faciunt; vt cum Paulo misericordiam Dei consequantur; atque ita tum prudenter & rectè alijs cõsulant. Sed in eo maximè sunt, vt oportunè hoc faciant, medijs & tempore aptissimis; vsque dum à Deo mittantur, vt sese alienis negocijs immisceant, quod faciunt in ijs duntaxat, quæ moram facilè ferunt, neque ad salutem necessaria sunt. Postremùm de fidelitate diximus, de amore, beneuolentia, vnctione Sancti Spiritus, & prudentia, qua imbuti *1. Cor. 7.*

imbuti esse debent, qui de consilio dando cogitant. Et sanè pulcherrima hæc sunt, quæ sufficire in omnem partem multis videantur: sed reliqua est virtus vna seu conditio maximi momenti, si Scripturas & sanctissimorum hominum rationes attendamus, atq; naturæ ipsius iudicium; quam tamen tenelluli quidam & inuestes pueri, aut qui sine causarum & circumstantiarum ratione magna sibi & præclara pollicentur, eleuant aut contemnunt: quorum iudicia quoniam nihil moramur, quæ illa tanta virtus sit, accuratè videamus.

CAPVT XVIII.

QVOD DE EXPErientia.

Thom. 2. 2. qu. 47. de prudentia.

Viri boni & prudentes, docente Sãcto Spiritu hoc cũprimis apud se expendunt, an ætate, rerum vsu & experientia regendis & manuducendis alijs, an fideli & sincero consilio dando sufficiant: cùm, vt quisque summo ingenio, eloquentia, sanctitate, neq; destitutus lumine & donis Sancti Spiritus esse videatur, admirabile tamẽ sit (quod quidem illi qui flagranti & rapido spiritu du-

tu ducuntur comprehendere vix possint) quantum tempore ipso, ignorans etiam & circa alia occupatus, vsu proficiat & experientia. *In antiquis est sapientia*, inquit ille, *& in multo tempore prudentia*. Hactenus: si idem ille tũ natura tum supra naturam à Deo doctus sit, si in ijs omnibus, quæ auribus, quæ oculis vsurpat, sibi ipsi præsto sit, se moneat & assuefaciat, fidelem esse, prudentẽ, qui per preces, lachrymas in veritate iuxta & charitate omnia sibi impetranda putet. Quæ si deficiant multa vidisse, &c. commendabile non sit, atque adeò doctrinæ & senij specie, simplicioribus imponitur; qui scilicet arbitrentur sibi rem esse cum viro graui, & multarũ rerum perito, à quo consilium & summa omnia expectent: quem tamen, facto periculo, non multum à stultitiæ & imprudentiæ sordibus abesse, cum euidenti rerum suarum detrimento, experiuntur.

Iob 12.
Vide de Monte cap. 10.

Experientiæ apud Sapientem testimonium & quæstio est: *Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum.* Vbi qui videt iterum atque iterum repeti: tentari, cogitare multa, experiri, discere; videt senten-

Eccles. 34.

sententiæ nostræ veritatem. Neq; enim virum qui oretenus multa viderit & audierit, qui multos annos habeat, qui immensis itineribus & vrbium aspectu sese venditet, eundem esse cum illo censebimus, qui hactenus cũm illo etiam paria faciat: sed qui in res ipsas accurato studio intenderit, pleraque expertus ipse sit, qui causas & origines rerum indagarit, atque eodem acumine de fine, & quę ad finem, sibi putârit inquirendum; quibus omnibus eò tendat, vt plenè eruditus impleatur *agnitione voluntatis Dei in omni sapientia & intellectu spiritali.*
Coloss. 1. Neque sufficit Paulo *agnitio voluntatis* (cuius rei pondus apud se quisque expediat) nisi adijceret *in omni sapientia spiritali & intellectu.* Magnum sanè & arduum cognoscere, & plenum esse Dei voluntate: sed nimirum opus est vt benè cognita & percepta singulari iudicio & prudentia in opus deducat, custodiat &
Deut. 16. defendat. Quæ sententia Dei est in Deuteronomio: *Quod iustum est, iustè persequeris.* Quæ omnia vt rectè intelligantur, operæ precium erit, si illum Scripturæ locũ accuratiore studio exponamus. eget res ipsa maiore cõsideratione, quod plerique sibi persuadeant, quocumque tandem colore rapiantur specie virtutis

aut

aut Perfectionis, cum scilicet motum de Spiritu Sancto esse: cuius erroris sui hanc suam parant defensionem; quod Deus pro sua bonitate, nulla ætatis, doctrinæ, progressus ratione habita, vnumquemque pro iudicio suo nulla personarum ratione dirigat, ijs medijs & modis, quibus illi visum est. Quod quidem ita esse, qui neget, nemo est, manifesta probatione in Scripturis.

Sed quemadmodum Satanas Dominum nostrum aggreditur ad tentationem: ita & hi proponunt. Erant enim illæ per se veræ, & opponenti Scripturas Scripturarum testimonia obiecit Dominus: eadem huius argumenti ratio est, quod vtique veritati congruit, nobis verò hactenus cōmodabit, si sanè accipiamus. Nam vt Scripturarum, ita virtutū connexio est: quarum vnaquæque rationē & sensum accipit de coniuncta. Tentare Deum videtur, qui per miraculum sibi velit tribui, quod vsitato, & naturæ debito ordine seruato consequi posset. Vt ex ea ratione consequens non sit, ea omnia de Spiritu Sancto esse: ad quę nobis moueri videamur specie recti. Quicquid in hac rerum natura est, potentiæ diuinæ subijcitur, nec tamen illa semper per miracula operatur: sed vnumquodque

Matth. 4.

Gregor. in Ezech. hom. 2 & de cura

past. lib. 3. ad 26. que in sua natura iam inde ab initio constituit. reliquit ad doctrinam nostram Scripturas, Ecclesiæ constitutiones, Prophetas, Superiores, Doctores, memoriam & intellectum animæ nostræ indidit, conuenientibus & aptis medijs hominem erudiens; quemadmodum per semina, sationes, herbas, arbores, res scilicet naturales, opera naturalia operatur. Qui nō seminat semen bonū in tempore suo, frustra messē & fructus expectet.

Vide lib. de Monte cap. 8. Secundò, natura nostra, & vires nobis inditæ, atra quadam cæcitate percussæ sunt, vt vel ipsæ Dei inspirationes propter cordis nostri corruptionem euanescant: aut verò temerè receptas, sinistrè interpretamur aut sanè mutatus & nostras prauas cupiditates vicem Inspirationum accipimus.

Dionys. Carth. in hunc locum. Redeamus vnde digressi sumus. Sacræ Scripturæ illum locum Dionysius enarrat in hanc sententiam. Qui non est tentatus ab hostibus animarum nostrarum, carne, mundo, satana, quid sit? vtiq; parum, inexpertus & intētatus, neq; ideoneus, qui aliorū tentationibus speret succurrere, qui dubios & scrupulosos quorundam animos erigere; nisi fortè vnctio Sancti Spiritus, cui impossibile nihil est, experientiæ defectum suppleret. Vt

omninò

omninò periculi plenū sit, apud huiusmodi rudes spiritaliū rerum, & ignaros tentationum, pericula nostra proponere. Rectè, nisi vnctio Sancti Spiritus suppleret defectum experientiæ, neq; enim in quosuis, neque quouis tempore influit: nec enim semper miracula fiunt, nec expectari à nobis debent, si aliter possimus. quoniam neq; hoc sciamus, an ille, à quo consilium petimus, eo Spiritu plenus sit. Est igitur periculosum. *Vir in multis expertus, cogitabit multa*, magna scilicet circumspectione, consideratis & mutuò comparatis præsentibus, futuris, & præteritis, ex Scripturis & sanctissimorum hominum exemplis, quasi ex ditissimo quodam penu hauriet responsorum oracula. *Qui multa didicit, enarrabit intellectum: didicit* magno studio, illustratus lumine Spiritus Sancti: vsu ipso variarum rerum: aut certè qui magistros & Doctores Sapientissimos audierit; ab illo geminam habebimus Scripturæ interpretationem, & in difficultatibus nostris certa consilia. Quæ licet apertissima sint, tamen ne quis distorto aut prauo iudicio ea secus accipiat, quàm par est, Pauli ad Corinthios illa verba sunt: *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater miseri-*

Ambros. lib. 1. cap. 26. 38. & lib. 2. cap. 8. 12. 17.

Thom. 2. 2 qu. 47. art. 2.

Lege Hieronym. in Isai. 3.

2. Cor. 1.

misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo. Præclarè hoc & dilucidè. Quod ait, *in omni tribulatione*, quàm, inquit Dionysius, patimur propter iustitiam ab hoc mundo, carne, diabolo, solatur nos Deus cum liberat de miserijs; aut patientiam largitur, vt solatium alijs præstemus. Quo satis probatur, aptum nõ esse consolandis alijs, qui Dei alloquia nunquam sensit. Rectè igitur: *qui in multis expertus est, cogitabit multa.* Neque tamen non verum est, vt paululùm digrediamur, esse, qui postquàm ad Deum conuersi sunt, & summis rerum difficultatibus torquentur, nulla tamen lætiore aura, nullis solatijs confouentur, quibus cœlum naturam metalli induisse, terra
Iob 30. ferrum videatur. Possunt illi cum Iob
Ierem. 20. clamare: *Redactus sum in nihilum, abstu-*
& 45. *lit quasi ventus desiderium meum, & velut nubes pertransijt salus mea, & possident me dies afflictionis. Clamo ad te, & non exaudis me. Sto, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tua aduersaris mihi.* At tamẽ
illi ... illi non deficient, neque cadent animis, non

non socordia tabescent; exspectabunt misericordem manum Dei in longanimitate & patientia, qui sperantes in se derelinquit nunquam. Ait enim Iob: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Non ad vana & inania cõuertentur, quæ sensum afficiant. *Renuit*, inquit ille, *consolari anima mea*, sensuali, vt vocant, solatio: *memor fui Dei, & delectatus sum.* Et nimirum, qui ad eum modum derelicti, vna animi fortitudine miserias & tentationes omnes superarunt, quarum animas exemplo Mariæ & Sanctorum doloris gladius pertransiuit; illi profectò maximè idonei sunt, qui iuxta gratiam, quam consecuti sunt à Deo, non quod ipsi ex sese sentiunt, sed quemadmodum à Deo acceperunt, ita eis consulant, eosque consolentur. Quæ fuit causa Christo, cur Petro diceret: *Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Et in veteri Testamento monet, repetit, inculcat Dominus: *Aduenam non contristabis, neq; affliges eum: sed diligetis eũ quasi vosmetipsos, scitis enim aduenarũ animas, quia & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti.* Hoc est, vos ô filij Israël qui re ipsa experti estis, quæ vires, quis animus, quæ spes aduenis in terra aliena sit, quot, quàm leuibus modis sæpè deijciantur;

Iob 13. Psal. 76. Luc. 22. Exod. 22. 23. Leuit. 19. Deut. 10.

vobis omninò facillimum est hoc mandatum meum; &, qui rationes eius omnes cognoscitis, quid causæ est, cur non itidem rectius & melius obseruetis; Quo loco hoc etiam videndum est, quod fortassis extra propositã materiam esse videatur, quanta cum ratione mandatum suum explicet Deus, cui scilicet vltrò causam addit, & profectò, quod non vi tantũ obedientiæ facimus, sed etiam, quoniam ita fieri debere intelligimus, id lubentius & cum suauitate quadam operamur.

Bernard. de gradu humil. c. 2. & serm. 36. in Cant.

Experientiæ testimonium luculentum est apud Beatum Bernardum. *In numero*, inquit, *beatitudinum, quas suo sermone Dominus distinxit, prius misericordes, quàm mundicordes posuit. Misericordes quippe citò in proximis veritatem deprehendunt, dũ suos affectus in illos extendunt, dũ sic per charitatem se illis conformant, vt illorũ vel bona vel mala tanquam propria sentiant. Cum infirmis infirmantur, cũ scandalizatis vruntur. Benè illud vulgare prouerbium: Nescit sanus, quid sentiat æger; aut plenus, quid patiatur ieiunus. Et æger ægro, & ieiunus ieiuno quantò propinquius, tantò familiarius compatiuntur. Sicut enim pura veritas non nisi puro corde videtur: sic miseria*

miseria fratris verius puro corde sentitur; exemplo scilicet Redemptoris nostri; qui pati voluit, vt compati sciret: miser fieri, vt misereri disceret: vt quomodo de ipso scriptum est; didicit ex his, quæ passus est, obedientiam; ita & misericordiã disceret. Non quod antè misereri nesciret, cuius misericordia ab æterno, & vsq; in æternũ; sed quod natura sciebat ab æterno, temporali didicit experimento. Sed & ex alio loco: Nusquã enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehẽdit? vnde debuit fratribus per omnia similari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deũ, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse, & tẽtatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari. Vnde, id est, ex qua seminis assumptione, debuit per omnia fratribus similari, id est, oportuit ac necesse fuit, vt similis nobis passibilis nostrarum omnium (excepto peccato) miseriarum genera percurreret. Si quæris, qua necessitate? vt misericors, inquit, fieret. In quibus verbis quid melius intelligi possit, non video, nisi quod ideo pati ac tentari, omnibusq; humanis voluit communicare miserijs, vt similiter passis ac tentatis humano compati disceret experimento. Quo quidem experimento; non dico, vt sapientior efficeretur, sed

Matth. 6.
Sap. 7.
Heb. 5.

propinquior videretur: quatenus infirmi filij Adam, quos suos fieri & appellari fratres non dedignatus est, suas illi infirmitates committere non dubitarent. qui sanare illas & posset vt Deus; & vellet vt proximus; & cognosceret vt eadem passus. Isa. 53. Hebr. 4. *Vnde Esaias eum appellat virum dolorum, & scientem infirmitatem. Et Apostolus: non enim habemus, inquit, Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absq; peccato. Sciebat quippe per naturam omnia, non autem per experientiam. Per quam tamen experientiam, non illi (vt dixi) scientia, sed nobis fiducia creuit adire thronum gratia ipsius: quem nimirum, sicut alibi scriptum est, languores nostros tulisse, & dolores nostros portasse cognoscimus: & in eo, in quo passus est ipse, nobis compati posse non dubitamus.* Subicit plura in eam sententiam vir Sanctissimus: sed iam satis abundeq; probatum est, quanti eam cognitionem, quæ per experientiam habetur, Saluator noster fecerit; quantoperè eam sanctissimo & prudentissimo cuique commendatam esse voluerit: maximè, qui aliorum curam subeunt consultò, aut coactè. Non quod pericula & tentationes à Deo expetere vltrò debeamus,

Vide de Monte c. 5. & 6.

beamus, quarum ad manum semper copia est, ideoque petenda potius liberatio: At verò qui ea in seipsis nunquam experti sunt, debebunt illum, cui superesse velint, tanto amore complecti, vt quæ ipse patitur, quadam amoris coniunctione ipsi sibi videantur pati; ne tamen vnquam peccatis consentiant. Quamobrem, qui prudentes esse velint, memores eorum, quæ iam docuimus, tempestiuis iudicijs assuescent; non ea quæ dicunt, tanquam oracula, modis omnibus rata haberi nolint, quorum rudes sunt & inexperti, quæ plenè non perceperunt, in ijs nihil sibi præter alios sument, nihil audacter, nihil temerè asseuerabunt.

CAPVT XIX.

DE IIS, QVI PLENE COgnouerunt aliorum naturam, mores, &c. cum latiore explicatione super illa: Multi sint tibi amici, consiliarius autem vnus de mille.

VIri docti & timorati, qui monere alium, regere, suo consilio & impellere aliò vel auertere cupiunt,

illis ſatis nō eſt, (& tamen quanti exempli, quam rari?) ſi perfecti ſint ipſi prudentes, magna experientia & fide, maximarum quoque rerum periti: ſed in eo ſunt noctes & dies, orant, examinant ſimplici & puriſſima intentione, veſtigant, odorantur, inquirunt in mores illius, cui conſilium daturi ſunt, in ſermones, ſilentium; conferunt actiones illius præteritas cum præſentibus, vitæ rationes omnes euoluunt; quæ naturæ dona, quæ gratiæ, quibus turbetur vel afficiatur; qui morbi, paſſiones, quas pugnas pugnauerit: vt ijs omnibus in Dei gratia & virtute Sancti Spiritus benè intellectis, aliquod de rerum futurarum ſucceſſu iudicium haberi poſſit.
Sap. 8. De æterna Sapientia in ordine ad nos legimus. *Scit præterita, & de futuris æſtimat.* Quod vt rectiſſimè fiat, plurimum in omnem partem conducet, ſi quis tum ſibijpſi benè notus ſit, tum alios benè notos habeat; multorum indolem & naturas plenè cognouerit.
Rom. 12. Si quis exemplum quærat Apoſtoli in promptu eſt: *Qui præeſt*, inquit, *in ſollicitudine*: eius doctrinæ & vitæ idem ordo vndique lucet. Nomine ſollicitudinis ea omnia comprehenduntur, quæ huc faciunt; vt quæ omni tem-

nì tempore curet omnia. quod testatur Sapiens: *Iudicium durissimum his,* *Sap. 6.* *qui præsunt, fiet.* Si necessariò quisque *Philip. 2.* curat, quæ sua sunt, atque adeò *cum* *2. Cor. 7.* *timore & tremore suam salutem operatur,* *Psal. 2. 6.* *Deo seruit & exultat in tremore,* quæ tandem parentum, superiorum, consiliariorum cura est de filijs, subditis, & ijs omnibus, quibus opera, vel consilio sufficiunt? Erat hæc in Paulo, cum de diligentia, quotidianis suis laboribus, & Ecclesiæ cura contestatur: *Vos scitis*, inquit, *qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino, cum omni humilitate, & lachrymis & tentationibus.* *Actor. 20.* *2. Cor. 11.* Et mox: *Memoria retinete, quoniam per triennium nocte & die non cessaui cum lachrymis monens vnumquemq; vestrum.* Vide quid dicat: *noctes & dies, cum lachrymis,* propter peccata illorum, quorum veniam à Domino precabatur. quemadmodum & Moyses: *Domine dimittis illis peccata, &c.* monens non modo vniuersè, *sed vnumquemq; vestrum*, vt in eo maximè viuat quisque, *Exod. 32.* valeat, proficiat, quo illum Dei gratia, natura, & recta ratio ducit. Quæ si apertissima & pulcherrima sunt, fatendum est nobis, frustra ab ijs tale quicquam ex-

pectandum esse, qui rudes & inexperti illarum rerum, nec mores quidem & consilia aliorum pernouerunt; Quamobrem qui prudentes & pij sunt ab alienis negotijs manum abstinebunt, nisi necessaria aliqua ratio cogat, quæ si exigat accedent cum humilitate & tremore.

De Christo legimus, quod *cœpit Iesus facere & docere.* Et tamen Christus ab ipsis vitæ initijs plenus omni sapientia, cuique nihil accreuit ætate, ad exemplum & doctrinam nostram aliquot annis quasi in silētio sibijpsi videtur vixisse, & tandem ab anno vitæ tricesimo docendis alijs elaborasse? non antè cuiusque negocijs se immiscuit, sed rebus ipsis ad humillima quæque & perfectissima exemplo alijs præiuit. Quæ docendi ratio modis omnibus nobilissima est. Fuit sanè cum natus *annos duodecim, sedit in medio doctorum, audiens & interrogans illos, prudenterq; respondens.* Sed quoniam nihil amplius, fit idipsum quod dicebamus: cum discipuli & bonorum subditorum sit audire loquentes alios, & quæsitis respondere: principis verò & magistri, consilium dare alijs, imperare, aut iudicium ferre. Jn hanc sententiam Bernardus, sermone

Actor. 1. *Hieron. epist. ad Rusticum.* *Vide supra cap. 13.* *Luc. 2.* *Gregor. de cura past. par. 3. adm. 26.* *Bernard.*

sermone ad Christum conuerso virilis ætatis spacia ingresso: *Ecce domine Iesu, vel iam nunc loquere: Quousq; siles, quousq; dissimulas? Diu tacuisti, & valdè diu, vel iam nunc loquendi licentiam habes à Patre. nam vox Patris audita est, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui, ipsum audite. Quam diu virtus & Dei sapientia, quasi infirmus aliquis & insipiens lates in populo? Quamdiu nobilis rex, & rex cœli, fabri filium te facies appellari pariter & putari: O humilitas, virtus Christi, quantum confundis superbiam nostræ natiuitatis? parum aliquid scio; vel magis scire mihi videor, & iam silere non possum: impudenter me & imprudenter ingerens & ostentans, promptulus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et cum Christus tãtoperè silebat, cum seipsum abscõdebat; nobis cauebat, nos instruebat. Tacebat ore, sed instruebat opere, et quod postea docuit verbo, iam clamabat exemplo: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Nam de infantia Domini parum aliquid audio, ex tunc iam vsq; ad hunc tricesimum annum, nihil inuenio. Nunc verò iam latere non potest, qui tamẽ manifestè demonstratur à Patre.* Quæ cum sint verissima, satis patet Christum, cuius

serm. 1. de Epiph. Gregor. in Ezech. hom. 2. Nazianz. post. med. orat. 40. Orig in Luc. sub finem. hom. 19.

Matth. 11.

ius sapientiæ nihil accreuit tempore vt nos instrueret, ante annum tricesimum, neque de Apostolorum vocatione, neq; de alia vlla re, quæ spectaret alios, magnoperè sollicitum fuisse. Atque adeò quę alios docturus erat, in seipso probasse & expertum esse, exemplo posteris: quanti sit, cum maturitate annorum & rerum vsu paratam habere experiētiam. Hactenus de Christo, cuius actiones & opera omnia exemplar sunt et speculum vitæ nostræ.

Par.3. de quat. general. documentis cō tra malus tentat.

Rectissimè Gerson: *Qui se spiritalibus exercitijs & deuotioni dant, hoc cum periculo & imprudentia facere si Scripturas non intelligant, neque viri alicuius, modis omnibus paratissimi opera vtantur: qui experientia, pietate, fide, & consilijs ad optima quæque praeat; cui committere tuto & credere se & sua possint.* Quæ valdè rationi nostræ consentanea sunt, quoniā Deus pro potentiæ suæ magnitudine nō semper supra naturam operatur: Prudenter & benè sapiens: *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius tibi sit vnus de mille.* hoc est, qui te amore & beneuolentia cōplectitur, non statim consilio tibi proderit. Cuius rei tantum pondus, tanta difficultas est, vt diligenter considerandum tibi sit de mille amicis vix vnum

Eccles.6.

huic

huic functioni idoneum. Si reperisti vide ne effluat; tene, complectere: aperi omnia, quæ te mouent; collige, examina, ne sors tua inter fœminas reputetur, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. 2. Tim. 3.

CAPVT XX.

QVI AD EAM EXPERIENTIAM parandam natura apti sint.

DIcendum nunc est, qui potissimũ ad hãc experientiam idonei sint, qui ea rectè vti, docere alios & cõsulere posse videantur. *Puer*, inquit ille, *eram ingeniosus, & nactus animam bonam.* hoc est, ingenium mihi natura pręter cæteros egregium dederat, deditum & aptum *ex sese* ad omnem sapientiam & virtutem. nam & hoc videre est in multis, qui natura ad castitatem, honestatem, misericordiam apti & procliues, sed si sine charitate, sine merito sunt. Volunt etiam Sacræ literæ, vt in principes ex tota plebe eligantur viri sapientes & eruditi, qui scilicet nati videantur, prudenter & aptè agere. Nam quod suprà diximus, consueuit DEVS dona

Sap. 8. Aug. de pec. mer. & remiss. lib. 1. ca. 22. & de musica lib. 6.

Aug. lib. 6. confess. ca. 12. Aloysi. in Exod.

cap.18. & in Gen.47. Caiet. & alij.

dona quædam & potentias homini indere:iam inde ab exordio natiuitatis suę, quibus,quasi organis quibusdam vtitur ad ipsum,tum per ipsum,ad eruditionẽ aliorum.

supra. cap.9.

Sunt etiam apti, qui comprehendere rem, indagare, percipere modis omnib. contendunt: qui excutiunt omnia, gustu & odore venantur, neque quiescere possint:ita sibi ad summum laborem nihil reliquum faciunt,prodigi opũ quando opus est;nullo metu perturbati,dum eius, quod cupiunt, causas omnes & finem comprehendant:non profectò nouitate aliqua aut curiositate adducti,nõ solius scientię delectatione,nulla inordinatæ inquietudinis, quasi lepræ cuiusdã admixtione; *sed vt in humilitate et prudentia vitam agant,vt noscant,placeãt, custodiant.* Dolent cum Maria & Ioseph, & soliciti quærunt puerum Iesum, qui vera *via,veritas, & vita est.* *Aliud* enim quod ait Origenes, *quiddam dolor et quæstio parentum,quam simplex lector intelligit, sonat; Quomodo enim tu, si quando Scripturas legis, quæris in eis sensum cum dolore quodam & tormẽto,non quod Scripturas errasse, aut perperãm quid habere arbitreris, sed quod illa intrinsecùs habeant veritatis sermonem atq; rationem; & tu ne-*

Luc.2. Ioan.14.

Orig.in Lucam hom.19.

tu nequeas inuenire quod verum est. Et illi quærebãt, ne fortè recessisset ab eis, ne relinquẽs eos ad alia transmigrasset: et quod magis puto, ne reuertisset ad cœlos, cum illi placuisset iterum descensurus. Atq; huiusmodi ferè affectiones in prima ætatis pueritia sese adaperiũt: ideoq; quod indagent omnia, & scire velint quicquid vsquam agatur, vbique præsentes & attenti, operosi, curiosi pueruli compellantur. Quæ ipsa (vtpotè Dei dona) plurimum in omnem partem momenti habent, ad parandam illam, quam quærimus, experientiam. Hactenus: si quis moderatè & debitè vtatur, in timore & humilitate; vtuntur autem paucissimi. Scribit Ambrosius: *Omnibus hominibus inest secundum naturam humanam verũ inuestigare. quod ad studium cognitionis & scientiæ trahit, & inquirendi infundit cupiditatẽ, in quo excellere vniuersis pulchrum videtur, sed paucorum est assequi; qui voluendo cogitationes, consilia examinando, non mediocrem impendunt laborem, vt ad illud honestè beateq; viuendũ peruenire possint, atq; operibus appropinquare.* Atque ita affectis & natura institutis etiam in vsu est (quod vel maximè facit ad experientiam) rem propositam non pro suo iudicio accipere, nõ ad

Ambro. li. 1. offic. sub finem c. 26.

ea

ea exigere quibus afficiuntur, vel exercētur, ipsi non tanquam molestam & contrariam sibi per patientiam sufferre: sed eam quo ocio, quoquo negocio expediunt totam, excutiūt omnia, quærūt cum puero Iesu in medio Doctorum, in templo audiunt, & quæsitis respondēt prudenter; & pari modestia vestigant quæ consentanea, quæ dissentanea: atque ita crescunt annis & sapientia apud Deum & homines. Atque hæc hactenus. Quamobrem qui se alienis reb. parat immiscere, præesse, &c. videat ipse an instructus tot donis & virtutibus, an alijs, quāta rei ipsius magnitudo requirit, quæ inquisitio prorsus necessaria est, si res, in qua consilium petitur, sui pondere magna sit: vt sunt Vota, Ordines, vitæ status aliquis, & similes quibus vitæ præsentis fælicitatem, & futuræ beatitudinem metimur.

CAPVT

CAPVT XXI.

QVA DE CAVSA DEVS consiliares tales aut omninò non cõcedat, aut concessos tollat. datur prima: ne malicia mutet intellectum. Ex quo hoc etiam liquet, quanti sit malorum consortio abstinere.

Certum est, Deum pro iustitia iudicij sui, sæpè nobis copiã non facere virorum prudentium: aut, si eos aliquando largitus est; morte, morbis, senio, & alijs multis modis de medio tollere. Quorum vicem subeunt adolescentes, rerum omnium ignari & inexpertes; ideoque magno cũ incõmodo ea discũt, quæ viri senes & experti minimo negotio composuissent. quod cum apertissimum sit, maiore probatione non indiget. Estq; accipiendum non de ijs modo, qui temporalium rerum administri sunt, aut rectores, aut cõsiliarij, sed & spiritaliũ. Neq; est cur Deum optimũ Maximum sine summa ratione quicquã velle existimemus. Nam vt magnum illud mysteriũ & iudicium volũtatis suæ, quę prima & omniũ causa est summa, silentio transeamus; operæ precium fuerit, si excerptas de communi rationes aliquot legentium vtilitati subijciamus.

August. de pecc.mer. & rem.lib. 1.ca. 22 & de prodest. Sanc.lib.1. cap.14.

1. Qui Scripturarum sententiam inquirit de viris Sanctis, illi in promptu est videre de cita illorũ & præmatura morte; ne fucata falsi specie fallerentur, aut etiam in baratrum malitiæ præcipitarentur. Potest sanè Deus omnia, & facilè illi, à malo bonos præseruare, sed pro sua sapientia ferè iuxta ordinem rerum à se conditarum in homine operatur: atque ita de cõsortio malorũ vitando referunt sacrę literæ: *Cum sancto, sanctus eris; & cum peruerso, peruerteris.* Et quod huc facit: *Iustus perit in iustitia sua, & impius multo viuit tempore in malitia sua.* Itẽ ũ. *Iustus si morte praoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata cani autem sunt sensus hominis, est & ætas senectutis vita immaculata. Places Deo factus dilectus, et viuẽs inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et incõstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia.* Sine malitia hoc est, facili & leui morbo. Ita Paulus: *Corrumpunt bonos mores confabulationes prauæ.* Et si ea ipsa, quæ iam mox ex Scriptura retulimus, ad sanctissimum Enoch ex

2.Reg.22. Psal.17. Eccl.7. Sap.4.

1.Cor.15.

Docto-

Doctorum sententia referri debent, qui *ambulasse cum Deo, & in paradiso constitutus legitur*, quid causæ est, cur non idē de alijs intelligamus? quos mori vult Deus, vel in flore ætatis, ne immutenter malitia. Christus sermone de Antichristo: *Tunc*, inquit, *scandalizabuntur multi: & nisi breuiati fuissent dies illi*, (dies tribulationis & mœroris) *non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.* *Genes. 15.* *Eccles. 44.* *Matt. 24.*

CAPVT XXII.

MOLESTOS ESSE STVLtis sapientes; ideoq; separari à Domino.

2\. Ait Sapiens. *Grauis est nobis* (peccatoribus) *etiam ad videndum iustus, quoniam dissimilis est alijs vita illius.* Quemadmodum enim difficillimi sunt, & molestissimi Sapientibus stultitia etiam stultis Sapientes. At non deserit suos Deus, succurrit per mortem Sapientibus, quo ipso etiam insipientibus benè & pro voto est, qui verecundia & pudore prudentum liberātur. Nam & populi Israel vota sæpè Deus exaudiuit, in iusta quidem illa, *Sapien. 2.* *Eccles. 6.* *Vide lib. de Monte cap. 10.* *Num. 11.* *Psal. 77.*

illa,& à ratione dissentanea.

CAPVT XXIII.

NON DARI NOBIS VIROS prudentes, ne crescat peccatum, crescat & damnatio nostra.

Bern. ser. 58. in Can. & 74.

3. DEus quod pro suo iudicio videat insipiẽtes illos aut nihil benè acturos, aut certè Sapiẽtum consilia & rationes flocci facturos, huiusmodi virorum copiam illis non facit: quemadmodum nec voluntatis suæ beneplacitũ innotescere quibusuis vult, ne fortè abutantur, atque ideò maiorem sibi damnationem adsciscant. Quosdam etiam mori iubet, vt aliquis peccatorum finis sit. *Si non venissem*, inquit, *& locutus non fuissem, peccatũ non haberent: nũc autem excusationem non habent de peccato suo.* loquitur quando veritatem annunciant.

Ioan. 15.

Matth. 13. Marc 6. D. Hieron. D. Chrysos. Ioan. 15.

Legimus quod Christus *nõ fecit multas virtutes in patria sua, propter incredulitatẽ eorum.* ne scilicet eorum peccata supra modum augerentur: qui nec tot miraculis ad pietatem conuertebantur. *Si*, inquit, *opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nam*

seruus

seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis: qui autem non cognouit, et fecit digna plagis vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Luc. 12.

CAPVT XXIIII.

VIROS PRINCIPES ET CONSULTISSIMOS eripit Deus, & eorum vicem stultos vel infantes substituit, quoniam iratus in nos atq; ideò in vindictam peccatorum nostrorum labi & errare illos patitur, cætera optimos & prudentissimos.

4. OFfensus peccatis nostris Deus, neq; in spiritalibus neq; in temporalibus rebus patitur nos habere fidos cōsiliarios, sed aufert eos. Patet hoc legenti Scripturas. *Qui regnare facit*, ait ille, *hominē hypocritam propter peccata populi.* Et Esaias. *Ecce dominator Dominus exercituū auferet à Ierusalem et Iuda validum & fortem Iudicem & Prophetam, ariolum & senem, & honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici. Et dabo pueros principes eorū, & effœminati dominabuntur*

D. Ambr. Offici. lib. cap. 12. Iob. 34. Hierony. 52. Esa. 3.

buntur eis. quibus statim subijcit ea omnia, quæ ex eo secuta sunt mala. Rectè igitur ille: *Væ tibi ciuitas, cuius rex puer est. Et oseas: Dabo tibi regē in furore meo.* Super quæ Augustinus: *Iniustum nō est, vt improbis accipientibus nocendi potestatem, & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur. Nam vt per potestatem diabolo datam & Iob probatus est, vt iustus appareret: & Petrus tentatus est, vt non de se præsumeret: & Paulus colaphizatus est, ne se extolleret, &c. Cum ergo per potestatem quam Diabolo dedit, omnia iustè ipse Deus fecerit; non tamen pro his iustè factis, sed pro iniqua nocendi voluntate, quæ ipsius Diaboli fuit, ei reddetur in fine supplicium: cum dicetur impijs, qui eius nequitiæ consentire perseuerauerint: Ite in ignem æternum, quem parauit pater meus Diabolo et Angelis eius.* Ex quo etiam hoc intelligi potest, potestatem illam, quæ in malis est à Deo esse; videat quisque vt ea quàm optimè vtatur. quemadmodum illa Iob, Petro, & Paulo in bonum cessit. Neque verò pro merito Deus reputabit si quid boni in bonis mali operentur, sed vindicabit se de illis pro malitia voluntatis eorum. Diuus Hieronymus in commentarijs super Esaiam: *Inter cæteras gratias*

Eccl. 10. Osea. 13. Aug. de natura boni cont. Manich. c. 32.

Aug. lib. 9. confes. c. 8. Hierony. in Esa. ca. 3.

gratias etiam hoc Dominus abstulit à Iudæa, vt nullum habeant consiliarium, sed cunctá faciãt absq; consilio. Et Græci Poëtæ laudabilis illa & admiranda sententia est: Primum esse beatum, qui per se sapiat: secundum, qui sapientem audiat. Qui autem vtroq; careat, hunc inutilem esse tam sibi, quã omnibus. Vnde & in nostris libris legimus: Cum consilio omnia age, & dabit tibi prudentia admirabilem consiliarium. Senatus quoq; consulta dicuntur, et principes quondam Romani consules appellati sunt, vel à consulendo ciuibus, vel ab agendo cuncta consilio. Et ait Dominus per Prophetam: Sublatis, his quos ante dãnaueram, dabo pueros principes vestros: hoc est, nequaquam mihi sufficit, quod vos sine principe bono tanquam orphanos reliquerim, quinimiò in eorum locum malos, imprudentes & stultos substituam, quę vtiq; pœna duplex est, eiusque causa in peccatis nostris. Cæterum quod iam multis commune est, hoc ad mũdi finem penetrabit in omnes nationes. Tũc enim pro iusticia sua Deus imperium dabit Antichristo in orbem vniuersum, qui fallet multos, & præcipitabit in damnationem pro merito peccatorum suorum. Sed & hæc plaga mirabilis est, & cõsideratione eget non parua;

Prou. 13.

Greg. & Dionys. in hunc locum.

Iob. 34.

2.Cor.10. maximè apud eos, qui *in captiuitatẽ non*
1.Reg.15. *redigerunt intellectum suum*, neque in timore Domini, quemadmodum debebant, eruditi sunt: & est, cum viri hactenus probi & fideles habiti, quando magistratum accipiunt cum statu mutãtur & degenerãt in prauos. Exẽpla in promptu sunt in Saul, & alijs.

Sed & hoc exigentibus subditorum peccatis permittit Deus, vt qui præsunt, illi etiam peccent: quo facto, vindictę suę aciem in vtrosq; exercet, maximè tamen in populos, cuius sententiæ nostræ manifesta veritas in Dauide est. Ita Gregorius. *Si irascente Deo secundum merita*
2. Reg. 24. *nostra rectores accepimus, in illorũ actione*
Deut.1. *colligimus, quod ex nostra æstimatione pẽ-*
Greg. in ca. *semus: quamuis plerumq; & electi subia-*
Iob 34. lib. *ceant reprobis. Sic pro qualitatibus subdi-*
25. cap. 74. *torum disponuntur acta regentium: vt sæpè pro malo gregis etiam verè boni delinquat vita Pastoris. Ille enim Dauid tumore inflatus peccauit, & tamen vindictam populus, Dauid peccãte suscepit. Cur hoc? quia videlicet secundum meritũ plebium disponuntur corda rectorum. Iustus verò Iudex peccantis vitium ex ipsorum animaduersione corripuit, ex quorum causa peccauit. Sed quia scilicet sua voluntate superbiens à culpa alienus non fuit,*

fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit. Certum verò est, quod ita sibi inuicem & rectorum merita conectantur & plebium, vt sæpè ex plebium merito mutetur vita pastorum. Idem alibi. *Malitia remanentium meretur, vt hi qui prodesse poterant, festinò subtrahantur.* Atque ita quarta ratio manifesta est: quare aut concedere nobis viros prudētes nolit Deus, aut concessos auferat. Nam quæ principum, Regum, & Superiorum ratio est, easdem in Consiliarijs intelligemus. *Dialog. lib. 3. ca. 37.*

CAPVT XXV.

RATIO V. QVONIAM NON satis honoramus illos.

5. NEgat nobis, aut concessos eripit consiliarios Deus, quoniam eis non eam, quam debebamus, reuerentiam, gratitudinem & obedientiam præstamus; neque vt eos aut consequamur, iisue in multos annos fruamur, à Deo postulamus. Nam & Christus cum in patria sua non subsisteret, neque ibi vt consueuerat, miraculis se cōmendaret, rationem hisce verbis reddidit: *Non est, Propheta* *Matth. 13. Marc. 6. 3. Reg. 1:*

sine honore, nisi in patria sua & in domo sua. Propheta Dei Helias *orauit super Quinquagenarios duos, & super quinquaginta qui sub ipsis erant, vt descenderet ignis de cœlo, & deuoraret eos:* quod quidem factum est, quoniam illi nuncium Regis sui, non ea qua debebāt reuerentia Prophetæ enunciassent: at tertius Quinquagenarius cum quinquaginta qui erant sub eo, ad Heliam à Domino suo Rege missus, *cum venisset, curuauit genua sua contrā Heliam, & precatus est eum, & ait: Homo Dei, noli despicere animam meam, & animas seruorum tuorū, qui mecum sunt: & obsecro vt miserearis animæ meæ. Surrexit igitur, & descendit*

4. Reg. 2. *cum eo ad Regem Helias.* Iterū Quadra-
1. Tim. 5. ginta duo pueri ab vrsis cōsumpti sunt,
Exo. 20. quod illusissent Helizeo Prophetæ pro-
1. Cor. 10. pter caluitiem. *Qui benè præsunt,* ait Apo-
Philip. 2. stolus, *duplici honore digni habeantur.*
1. Tim. 6. Innumera de Scripturis referri possunt testimonia, quibus iubemur colere parētes, superiores & Doctores nostros. Vult enim complecti nos gratia sua Deus, ita, si eam quęrimus & veneramur in famulis suis cum omni reuerentia, gratitudi-

Gen. 14. 18. ne &c. id quod multis sanctissimorū ho-
19. 27. minum exemplis, Abrahæ, Loth, Isaac,
1. Reg. 17. Heliæ, &c. alibi à nobis probatum est.

Labo-

Laboratbat Paulus, vt ignem illum gratiæ diuinę in alijs excitaret, vt Deo pro se supplicarent, gratias & laudes agerent. Et verò opus omnibus modis gratissimum præstabant Paulo, si qui eum charitatis, animi, virtutis ad suam vtilitatem monuissēt, & quasi dormientē exuscitassēt. Sara Thobię, cum dęmoniū Asmodeus sponsos suos septē subita morte interemisset: *Aut ego, inquit, indigna fui illis, aut illi forsitan mihi non fuerūt digni.* Ad quem modum & nos indigni esse possumus, qui taliū virorum opera vtamur: aut certè ij sunt qui nobis non sufficiant.

4. Reg. 4. 8.
Phil. vlt.
Vide lib. de operib. miseric.
Thob. 3.

Postremū, ait Sapiens, vt allegat B. Hieronymus: *Cum consilio omnia age, & dabit tibi prudentia admirabilem consiliarium: aut, qui agunt omnia cùm consilio, reguntur sapientia.* hoc est, qui consultò agunt omnia lubenter audiunt quid alij dicant: bonis consilijs obtemperant; illi scilicet hac animi sui ingenuitate consequuntur à Deo, virum omnibus modis aptissimum & prudentissimum. quod qui non faciunt, indigni sunt, quibus vir talis contingat: vt satis cōstet cultu & veneratione virum prudentem & consiliarium nos mereri; aut demereri, si non exhibemus.

D. Hieron. in Isai. 3.
Prouer. 13.

CAPVT XXVI.

RATIO VI. QVOD HOC QVIBVSdam cedat in augmentum salutis, vtque impleantur Spiritu Sancto.

Ioan.16. Aug in Ioan.tract. 92.94. Idem de pecca.mer. & rem.lib. 2.ca.32. Idem de verb domini in Ioan.ser. 60.Gregor. lib 8.moral ca.13. Bern. de ascens.serm. 3.ca.6. Item in die Pent. serm.3.

6. SI, inquit Christus Apostolis, *ego nõ abiero, paracletus nõ veniet ad vos.* Nam quod Apostolis præsentiam Christi in carne affectu quodam humano percuperent (possunt tamen & aliæ multæ rationes dari) fuit illis lõgè saluberrimum, si mortalis, tum etiam post resurrectionem immortalis corpore abesset. Nam qui maiore quadam vi & affectu homini denuincitur, maius eo ipso impedimentum præstat Inspirationi Sãcti Spiritus. Quę causa fuit cur Diuus Ioannes Baptista, vti vir perfectus, Christum in carne secutus non sit, cum tamen & cognato sanguine iungerentur, & inde amicitia, & ætas vtriq; par. Nam ille quidem ab ipsis vitæ initijs perfectus erat. at non ita Apostoli: quãmobrem cum de abitu suo mentionem Christus fecisset, quodque illis multa mala imminerent; mœrore & tristitia conturbabantur: qui scilicet in intrinseco Sancti Spiritus virtutẽ, alloquia, & flammam non sensissent: ea, quæ in Christo

Christo oculis videbant, illius suauissima consuetudine capti, amittere trepidabant. *Sed nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos.* hoc est, nisi has ciborum delicias, nisi lac & vel vobis subtraxero, quo vos alui hactenus, quando tandem virilem & solidum cibum esurietis? si carnales carnem sapitis, quæ spes de Spiritu superest? hoc est: quamdiu Christum carnalib. oculis contuemini. Paulus spiritu & virtute Dei plenus, *& si cognouimus Christum secundum carnē, sed iam nūc*, inquit, *non nouimus*. Quamobrem hi tales viri Sacrarum literarū scientia imbuti, deinde ex fide viuebant. Atq; hæc præclarè explicarit Sanctissimi Patres, quos supra annotauimus: cum sententiæ nostræ veritas abundè constet, quod Apostolos aliquo saltem carnali sensu, erga Christum affectos fuisse demonstratum est. Quod mirum videri cuiquam nō debet; quoniam ille speciosus supra filios hominum, cuius beatissima facies omniū animos; mirè sibi deuinciebat omni beneuolētia, humilitate, & morum suauitate Apostolos suos tāquam dilectissimos filios cōplectebatur. Quorū tamē affectus carnales influxum Sācti S. impediebāt. nō quod illi S. Spiritu carerent, quibus Christus dixerit:

2. Cor. 7.

Abacuc. 2.
Heb. 10.

Psal. 44.

Ioan. 13. 15. *Vos estis lux mundi*; sed necdum eam abundantiã Spiritus Sãcti senserant, quã in die Pentecostes perceperunt. Vide & hoc: Christum nihil suorum latebat, nõ animi, & amor carnalis & imperfectus erga se; sed non hoc exprobrat, non eius mentionem vllã facit, sed omni humanitate & verborũ lenocinijs discipulorũ animos consolatur: exemplũ vt sequãur.

Sed quod in Christo & Apostolis demonstratum à nobis iam est, hoc in alijs itidem accipiemus: qui si careant omninò, aut amittant illos, quorum consilijs stare consueuerant, cedit hoc illis ad salutem, & coronam in cœlis. Nã illi qui-

Ioan. 15. Deut. 4. Philip. 2.

dem iam dudum cum Apostolis magisterio viri prudentissimi exerciti, ab eo si deserantur, dolent etiam, sed non deficiunt: non aliqua tempestatis violentia deijciuntur, vt vinea amputatis ramusculis, ita hi, scissione quasi vel interitu consiliariorum, aptiores fiunt, & maiorem fructum faciunt. Non illi ociosè & negligenter Dei opem implorant, sed toto corde Deum quærunt, mœsta & concussa funditus anima, fracti, humiles, & turbato spiritu, in timore & tremore, quod ita non consueuerant. Neque dubitãdum est, illos, qui se destitutos omni humana ope vident, & Christo lapidi firmiter

Psal. 2. 50. Esa. 65. 1. Cor. 2.

miter innitũtur, lõgè aliter res suas tum instituere, in pœnitentia, ieiunio, precibus, eleemosynis, &c. nequaquam facturi, si opera aliorum pro voto vti licuisset. Nemo sibi contemnendos putet homines, eorum subsidijs & alloquijs non egere, ideoq; nec quærere: faciant hoc, quibus volupe est tentare Deum. nam neq; scimus, quatenus & quanto tempore hominum ope & consilijs carere possimus; & demonstratum iam est, & porrò demonstrabimus, nihil nisi consultò faciendum à nobis esse; neque Apostoli præsentiam Christi primi repudiarunt: non hoc studio fuit illis vnquam, vt relinquerent vel relinquerentur, sed quod aliter esse non posset. (erat scilicet hoc iudicium Dei) reliquum fuit vt se subijcerent spe maioris gratię & donorum Spiritus Sancti. Quantum enim labore & ingenio contendere possumus, tentanda sunt omnia, neque non eò maior erit fiducia nostra in Deo, quod etiã in diuerbium abijt. Si tibi ipse aderis, aderit Deus. *Chrysost. in Act. hõ. 1.*

Atq; his tot rationibus probatũ quoquomodo sit, quare Deus aut omninò non largiatur viros prudentes & cõsultos, aut concessos citò transferat.

CAPVT XXVII.

FIDELI CONSILIO OPVS esse omnibus, ideoq; rectè atq; ordine facere, qui quærant. quid tandem illis faciendum sit, qui non inueniunt.

Lege Greg. dialog lib. ca. 1. de his, quos Spiritus S. per se instruit.

VIri boni quanto possunt studio laborant sæpè & contendunt, sicubi nancisci possint prudētes viros, quorum consilio vitam instituant, sed frustra vigilant, & quærũt. Quæ manifesta prabatio Dei est, vt scilicet illi in sudore & labore spiritalē escā parent, & mãducent. Quod videmus, qui tēporalia magna animi & corporis cōtentione acquisiuerunt, attentiore cura seruandis illis euigilant: eadem spiritalium ratio est, maiore scilicet studio laborant, ne quid eorum effluat, quæ tanto studio compararunt, ne quid in indignos tribuatur. Qui ipsi si eum locum aliquando deueniant, vt præesse alijs, consulere, dispensare Dei gratiam de officio debeant: tum verò eò plus valent acumine, consilio, prudentia: quãtò ijs parandis maiori negocio elaborarunt. Meditati siquidem in lege Dei dies ac noctes in precib., in multa

Psal. 1.

animi

animi anguſtia, rebus ipſis & diuturna experientia edocti, rerum omnium cauſas, progreſſus, & cum præſentibus futura & præterita ſolerter compararunt, veſtigatis & benè comprehenſis omnibus, quæ rem circumſtant. Atque adeò multo vſu & exercitio maximarum virtutum, pulcherrima quæque & honeſtiſſima in habitum animi tranſmiſerunt, vt vel aliud cogitantes fructus virtutum & veritatem in ſe ipſi germinare ſentiāt. quemadmodum qui malis inſueuit, ea ſentit nullo deliberatæ rationis examine præcedente: ita ſe in inuidiam, iram, ſuperbiam prorupiſſe, ignorantem quodammodo & neſciētem. Et quidem huius veritatis & virtutum affectiones in ſomnijs ſeſe proferunt. Neque tamē verum non eſt, etiam perfectiſſimos quoſque pro Dei iudicio concupiſcentiæ motus licet non eodem modo omnes in ſe ſentire, tum vigilantes tum dormientes. Sed vt de illorum humilitate, qui magno ſtudio conſiliarium inquirunt paulò latius diſſeramus, offert ſe primum Chryſoſtomus: *Licet*, inquit, *mirū in modum ſapiens ſis, & perſpicias ea quæ oportet, attamen homo es, & conſiliario, tibi opus eſt.* Et *propterea de eo ſolo dicitur*: *Quis*

Dionyſ. carth. in Clim. gra. 19. pulchrè idē in cap.
Prouerb. 3. & Cant. 5.
Aug. li. 12. de Gen. ad litt. cap. 15.
Ambr. de obitu fra. Satyri.
Chryſ. de lau. Pauli hom. 9.

Esa. 40. *Quis cognouit sensũ Domini aut quis consiliarius eius fuit? Cæterum homines nos*
Rom 11. *etiamsi plurimum sapiẽtes simus, in multis tamen reprehendi meremur, atq; hinc natura nostræ apparet infirmitas.* Hactenus ille: magna Scripturarum copia repetens idipsum atque inculcans. In eam

libro de vita spri. c. 4. August. de vtilit. cre. ca. 10. 12. sententiam Sanctus Vincentius. *Sciendum quod homo facilius & in breuiori tempore posset ad perfectionem pertingere, si haberet instructorem cuius regimine duceretur; cuius obedientiam in omnibus actibus paruis & magnis totaliter sequeretur; quàm aliquis posset seipsum perficere, quantumcumque vigeat acumine intellectus: & libros habeat in quibus videat omnium virtutum structuram exaratam. Immò plus dico, nũquam Christus suam gratiam ministrabit (sine quo nihil possumus) si homo habet à quo possit instrui & deduci, & negligit, vel non curat alterius ducatum amplecti, se credens*

D. August. lib 10. confess. ca. 42. Gen. 27. August. præfat. lib. de doct. Christ. *sibi sufficere, & per se posse inuestigare & inuenire quæ sint vtilia ad salutem. Ista enim via obedientiæ est via regia, quæ homines inoffenso pede ducit ad summitatẽ scalæ, cui Dominus apparet innixus. Hanc viam tenuêre omnes Sancti Patres in eremo, & breuiter omnes qui ad perfectionem attigerunt, post hanc semitam.*

tam processerunt: nisi fortè Deus aliquos per se ipsum instruxerit, & priuilegio gratia singularis, deficientibus eis & non inuenientibus qui eos foras instrueret: quia tunc pietas diuina per se supplet, quo exterius minimè reperitur; si tamen corde humili & feruenti ad Deum accedunt. Et quidem isto tempore, hei nobis miseris, quasi nullus reperitur, qui alios de perfe-ctione vita instruat: quin potius si homo velit tendere ad Deum, inueniet retrahentes multos, & quasi neminem adiuuantem. Quamobrem expedit, vt homo toto corde ad Deum recurrat, & ab eo instrui cum omni orationum instantia & cordis humilitate deposcat, & se in Deum proijciat, se sibi totaliter committendo; vt ipsum benignus tanquam orphanum sine patre, recipiat: qui neminem vult perire, sed vult ad cognitionem veritatis quoscumq; venire. Igitur ad te dirigo sermonem meum, qui magno cordis affectu Deum desideras inuenire, qui ad perfe-ctionem anhelas, vt animabus aliorum vtilis esse valeas. Ad te ergo dirigo sermonem meum, qui corde simplici & non duplici accedis ad Deum: qui quaris virtutum intima penetrare, qui per viam humilitatis peruenire desideras ad gloriam maiestatis.

Gregor. dial. lib. 1. cap. 1.
D. Hieron. in vita S. Hilarion. post init.
Nota.
Dion. Carthag. in Cant. 3. 9.
D. August. epist. 20. post initium.
H. Harp. de myst. Theol. 2. cap. 12.

Cant. 3. Quid, an nõ idẽ sensus sponsæ in Canticis? *In lectulo meo per noctes, quæsiui quẽ diligit anima mea: quæsiui illum, & nõ inueni. Surgam, & circuibo ciuitatẽ, per vicos & plateas quærã quem diligit anima mea: quæsiui illum, & nõ inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num, quem diligit anima mea, vidistis? Paululũ cũ pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* Hoc est, cum totũ hoc effuderim, quod intrinsecis virib⁹, quod extrinseco opere potui, (neq; improbissimi illius laboris me vnquã tęduerit, nõ si dies, menses, annos impendere debui) tandem misertus est mei Deus, consolatus est, & exaudiuit me. Vide quàm modestè, non illa in alium quenquã culpam reijcit, quod nõ inuenerit: sed ita simpliciter, non inueni.

Thren. 3.

Thob. 3. Quæ eadem Saræ sententia est: *Aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan mihi nõ fuerunt digni: quia forsitan alij viro conseruasti me. Non enim est in hominis potestate consilium tuum. Hæc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.*

Vt iam ex Scriptura manifestũ sit, quod supra Vincentij auctoritate docebamus.

Patet

Patet iterum qua constantia standum & enitendum illis sit, qui in eo quod quærunt omni humano auxilio destituuntur. Patet tandem vt modis omnibus in viros prudentes inquirant; sollicitè tamen videant, qui, qualis sit; cui se committunt, quem rebus suis consultorem adhibent. Cuius inquisitionis & iudicij monet nos Scriptura: *A consiliario serua animam tuam; prius scito quæ sit illius necessitas* Hoc est, vide ne cui temerè, re non satis considerata, fidas. Probanda enim prius & experienda fidelitas est, tentanda sensim mens eius, rebus adhuc integris, vide quibus indigeat, an inopia prematur, si consilio tibi dato, studeat suo commodo: si quærit ex eo solatium & opem sibi. vtique vir ille est, qui sibi soli vigilat, cuius verbis tibi standum non sit. Docet etiam Scriptura, à quibus petendum consilium, à quibus non sit: *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia, cum timido de bello, cum viro liuido de gratijs agendis, cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum seruo pigro de multa operatione: Non attendas his in omni consilio: sed cum viro sancto assiduus esto, quemcumq; cognoueris obseruantem Dei timorem,*

Ecclesi. 37. Hieron. in 2. Cor. 11. Basil ser. 20. de abdicat. seculi.

Eccles. 37.

rem; cuius anima est secundum animam tuam: qui, cum titubaueris in tenebris, condolebit tibi. Et cor boni consilij statue tecum: non enim est aliud pluris illo. Anima viri sancti enunciat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. Et in his omnibus deprecare Altissimum, vt dirigat in veritate animam tuam. Ante omnia opera verbũ verax præcedat te, & antè omnem actum consilium stabile. Et quid supra quærimus? hæc enim tam pulchra, tam dilucida, ea omnia quę exposuimus sub breuitate comprehendunt.

Primùm, ne à quouis consilium petamus; sed illius sententiam accipiamus, qui expertissimus, & eius rei, quàm quęrimus, benè peritus habeatur: qui sanctus sit, & timens Deum cui res cordi sit: qui vnitus tibi anima & corpore: cui credere possis, quemadmodum & tibijpsi. Qui misereatur tui si labaris, & in morbis vicem sit medici. Monet vt *in his omnibus deprecemur Altissimum* Nam vt sapientissimi viri consilio tibi videaris vti, qui pietate, fide, experientia præclarissimus sit, ne quicquam expectas, si nõ consultor & rector Deus. Monet vt *verbum verax præcedat* Hoc est; priusquam facias, vide etiam atque etiam, an quod

Actor. 4. Chrysost. hom. 3. de laud. B. Pauli.

2. Cor. 11.

paras consonet veritati Sacrarũ Scripturarum. Ait alibi sapiens: *Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem vbi multa consilia.* Hoc est, qui in dies singulos res omnes iusto iudicio inter se conferunt & examinant, aut alijs sanioribus & prudentioribus lubenter se subijciunt, apud eos & imperij firmitudo, & periculorum nullus metus est. Et alibi: *Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est audit consilia.* Vbi Dionysius: sæpè reuelare Deum vni, etiam illi, qui humilis vel in infimo sit, quæ cælat superiores: nam & facilius inueniunt, si multi quærant, & multorum precibus facilè flectitur Deus. *Qui sapiens est, audit cõsilia;* per quæ scilicet occurritur periculis, quæ latent & emergere possunt. Item. *Fili nihil facias sine consilio.* Hoc est, nihil incipias quod momentum aliquod habeat, nisi super eo cum alijs qui apti sunt consilio prius habito. Ita Tobias: *Consilium semper à sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant:* quæ eadem Dauidis est oratio.

Prouer. 11. *Prouer 12. & ibi Dionys.* *Prou 12.* *Thob. 4.* *1. Paralip. vltim.*

CAPVT XXVIII.

DEVM INSTITVENDIS E *docendis hominibus etiam sanctissimis hominum opera vsum fuisse.*

INquiramus an non Sancti, quoru meminerunt Sacrę literæ, atque ade illorum primi & potissimi, consil hominum audierint, eaque secuti sin etiam de mandato Dei. Breuiter popu lus Israëliticus per Moysen erudiebatu in quo tanto numero multi scilicet s pientissimi & peritissimi viri extiterun Tota Scriptura inspirante Deo per m nus Prophetarum, Apostolorum, & ad nos deuenit, qui tamen & ipsi hom nes. Quod quoniam apertissimum e probandæ sentētiæ nostræ pauca exen pla de Scripturis referemus. Cui enii ignotum sit, doceri nos à Deo per h mines, tum per eos qui præsunt nobi tum per eos qui subijciuntur; vt nulli consilium contemni à quoquam deb at. Summus Patriarcharum Abraha consilio vxoris suæ vtitur, atque ad

Genes.16. mandatum à Deo accipit: *omnia qu*
21. *cumque tibi dixerit Sara, audi voce*
Exod.18. *eius.* Hoc est, fac quod illa dicit: Mo ses sanctissimus Prophetarum lubent

auc

audit consilium Ietro hominis gentilis in rebus maximè serijs. Neque Dauidem puduit consulere Natan, essetne rectè fa cturus, si templum Deo extrueret? Cuius humilitate motus Deus exposuit per eundē, quid facto opus esset. Consultus Deus à Dauide per Sacerdotes, responsa dabat per eosdem. Castigatur itidem per Natã & Gad Prophetas à Deo. Ad Paulũ mittitur Ananias, ad Cornelium Petrus, qui aliâs à Paulo reprehenditur. Igitur hominũ præstantissimi iam inde ab orbe condito, aliorum etiam inferiorum consilijs attendere, ijs moueri, & re ipsa tandem sequi cõsueuerunt. Patet nimirũ ex historijs tùm Sacris, tùm prophanis: patet etiamnum viros Principes in rebus serijs concilium suorum aduocare: quoniam à multis ea facilè eruuntur, quæ vni alicui inuia & abscondita sunt. Quo referri debet ex Dei & Ecclesiæ mandato obedientia, qua magistra parentibus filij, superioribus subditi, discipuli magistris faciles & morigeros se præstant, vt eorũ consilijs quasi Thesei filo deducti, in omni virtute cum ætate itidem gradum faciant; atq; inde iudicium parent dignoscẽdis Dei inspirationibus, tum verò in omni humilitate & modestia præsto sint, & sibi mutuò opẽ ferant.

2. Reg. 7.
1. Reg. 23.
2. Reg. 12.
24.
Act. 9. 10.
Galat. 2.

CA-

CAPVT XXIX.

PROPONITVR EXEMPLVM Diui Augustini, quorum consilio vsus fuerit, qui sese habuerit in vocatione Dei: vt eius exemplo constet, quid facere nos oporteat. Annotatur passim, feruorem illum animi immoderatum inducere rationi caliginem.

Aug. lib. confess. 8. cap. 1. & de vtil. cred. cap. 7. & de quant. anima. gra. 4. Clem. Alexand. strom. lib. 1.

Videamus nunc, quid sanctissimi Ecclesiæ Doctores ipsi fecerint, quidq; alijs sequendum præscripserint in vitæ statu ineundo, simili ne maioris momenti negocio videbimus illos non quorumuis consilio vsos: sed eorum duntaxat, qui ijs dotibus ornati essent, quas supra explicuimus. Sed vt breues simus, sufficiat Sanctus Augustinus. extant eius verba de seipso. Est oratio ad Deum. *Immisisti*, inquit, *in mentem meam, visumq; est bonum in conspectu meo, pergere ad Simplicianũ: qui mihi bonus apparebat seruus tuus, & lucebat in eo gratia tua. Audieram etiam quod à sua iuuentute deuotissimè tibi viueret, iam verò tunc senesceret, & longa ætate in tam bono studio sectanda vita tua, multa expertus, multa edoctus mihi videbatur, & verè*

& verè sic erat. Vnde vt mihi proferret, volebam, conferenti secum astus meos, quis esset aptus modus sic affecto, vt ego eram, ad ambulandum in via tua. Videbam enim plenam Ecclesiam tuam, & alius sic ibat, alius sic. Nec me prohibebat Apostolus coniugari, quamuis hortaretur ad melius: maximè volens omnes homines sic esse, vt ipse erat. Sed ego infirmior eligebam molliorem locum, & propter hoc voluebar in cæteris languidus. Hactenus ille, quæ si accuratius introspiciantur, habebimus illa omnia, quæ supra retulimus.

1. Desiderium & affectum bonum Augustini ad Deum, preces, &c. *Aug lib. 8. confess. cap. 2.*

2. Quod Dei ductu Simplicianum accessit, *patrem in accipienda gratia tunc Episcopi Ambrosij: & quem verè, vt Patrem diligebat.*

3. Hanc Dei Inspirationem magno studio apud se expendebat, an sincera & apta? subductis omnibus & consideratis, probauit.

4. Quod Simplicianus esset seruus Dei bonus, qui scilicet non sibi soli viueret, sed Deo seruiret. atque ideò fide, pietate, prudentia, doctrina iuuare alios & consilio potens.

5. Lucebat in illo Dei gratia, qui esset

ex eorum numero, quos Christus affatur: *Vos estis lux mundi.* In cuius moribus, sermone, operibus ille splendor & virtus Spiritus Sancti elucebat.

Matth. 5. Simile D. August. de matre sua. confess. lib. 9. c. 9.

6. Quod à iuuentute sua deuotissimè vixisset, ideoque experientia & doctrina iuxta præclarus.

7. Atque eodem vitæ tenore senectam vsque durasset, cuius actiones omnes maturæ, graues & seriæ, nihil iuuenile aut temerarium redolebant. Nam qui imperiti rerum & inexperti calore quodã concitantur, possunt illi sanè placere Deo, sed parum idonei docere alios, vel imperio regere. Et quoniam satis nõ est audiendis multis & videndis insenescere, quod etiam insipientes possunt, describit Augustinus Simplicianum nõ modo senem, qui cum vita pietati insueuisset, expertum; sed adijcit, multa edoctum. Quæ cum ita haberent, petijt ab eo consilium rebus suis. Neq; dubitauit seipsum illi credere, quẽ talem comprobasset. Vt traditæ à nobis doctrinæ veritas hoc exemplo manifestissima sit. Neque ignorare possint, quibus aliquod ingenij lumen est, quibus sola ratione & rerum vsu quotidiano perspicere hoc facillimum sit. Nam feruidæ illæ & calidæ affectiones, etiamsi ex se bonæ sint, of-

D. Gregor. in Iob 5. cap. 31.

ficiunt

ficiunt nonnihil iudicio rationis, neque patiuntur ea ab homine intelligi vel indagari, quæ integer & sui iuris intellecturus fuisset. Quemadmodum qui ira, aut belli tumultubus perturbantur, si vis aliqua corpori fiat, aut leuius vulnerentur, eo æstu agitati vix sentiunt. Vt consultissimum sit in ijs omnibus quæ necessariò non vrgent, morari & sistere gradum, atque interim toto animo ad Deum conuerti, dum feruor abeat. Fit enim vt calor ille, & innata hominum cupiditas, rationis iudicium vel negligat, vel anteuertat. quod aliorum testimonijs, quorum loca asscripsimus satis patet. Sed hac de re latius, cum tempus erit.

D. Ambr. de obitu fratris sui Satyri. Bern. serm. 2. de pass. Idem in Cant. ser. 19. 47. Theoph. in 12. Luc.

Cæterùm D. Augustinus scire desiderat non, quid in genere melius sit, sed quid sibi sic affecto: attenta scilicet Dei gratia & naturæ donis, quæ ipse habebat quod quidem esse non potuit, nisi ille se, consilia sua & circumstantias omnes Simpliciano patefecisset. In quo simpliciores ferè falluntur, qui sese abundè putant præstare, si consilium quærant; neque prius inquirunt in omnia, quæ rem circumstant, quæ iuuant, quæ contra sint: atque ita non omnia quæ debebant consiliario suo adaperiunt: quam-

Philip. 1. Coloss. 1. 1. Cor. 12. Rom. 10.

quamobrem consilia quæsitis respon-
dent, aut certè nihil datur quod cum sa-
lute & fructu sit.

Postrema Augustini verba rectè acci-
pienda sunt: neque enim coniugem ac-
cepit, sed nondum plenè conuersus ad
Deum, infirmitate victus, consensit in
matrimonium duntaxat, re non subse-
cuta: sed edoctus Dei legem magistro
Simpliciano, repudiato priore consilio,
cœlibatū elegit. Notanda quæ sequun-
tur: *propter quod infirmior elegeram, vo-
uebar in cæteris languidus.* Nam q
sciens volens in Christianæ fidei funda-
mentis tepet & iacet, in fide, spe, & chari-
tate, potentiæ, sapientiæ & bonitatis De
nihil est, quod de maiore in cæteris vi
tutibus animo sibi promittat: voluet
eadem prorsus socordia, vsque dum pl
nè & perfectè conuertatur. Eo morb
affectus erat Augustinus cum matrim
nium eligeret. non ita, tanquam illi ni
le, qui coniugem in Dei nomine acc
piunt, aut quoniam se continere nequ
unt, nubunt: sed vocabatur à Deo
1.Cor.7. summa Augustinus. Ait Apostolus: *Q
matrimonio iungitur, bene facit: qui n
iungitur, melius facit*, ita si cœlebs & c
stus viuat. cæteroqui obtinet sententi
melius est nubere, quàm vri. Quonia
igit

igitur Diuus Augustinus à Deo destinabatur ad castitatem, debebat isti gratiæ cũ omni diligentia insistere: at verò cum ille infirmus spe, fide, & charitate nõ auderet; respectu habito non ad Dei potentiam, sapientiam, bonitatem, sed ad infirmitatem & miserias suas: cui mirum sit si ille in omni cultu Dei & virtutum studio languesceret, dum serenior aura fiduciæ diuinæ animum illius illustraret. Superant hodiè in exemplum multi, qui negligentes aut contrarij Deo, à quo euocabantur ad Castitatem, nullo parentum aut tutorum metu vel coactione vxorem ducunt, qui tandem à pristina pietate deficiunt, & in teporem resoluuntur; nisi matura & seuera pœnitentia, nequaquam derelicto prioris vitæ instituto (quod fieri nõ potest) doleant, & in Dei misericordiam se totos abijciant, qui illius gratiam tam impotenter neglexerint, aut cum lubidine commutarint.

CAPVT XXX.

QVI ATTENDERINT VOcationi suæ tres Reges, quorum mentio est in Euangelio.

Quæstio vltima.

Dicat aliquis. Nato Christo petunt ab Herode consilium tres Reges; petunt, & perdunt stellam: ita si homo stella lucente intrinsecus gratiæ & splendoris diuini quoquam moueatur, atque interim cõsilia hominum ambiat, pro expectato hominũ auxilio promeretur subtractationem luminis & stellæ cœlestis.

Responsio.

Sanctus Matthæus non refert de consilio ab Herode quæsito, sed quod venerunt Hierosolymam, dicentes: *Vbi est natus qui natus est Rex Iudæorum? Audiens autem Herodes turbatus est.* Neque hoc probabile est, stellã perdidisse, quod Hierosolymam contenderent, opera aut consilio hominum vsuri.

Dionys. Carth. in hunc locũ.

2. Neque hoc dici potest. Principes tam pios iuxta ac morigeros (qui scilicet Spiritu Dei mouebantur) quicquam vel ab Herode vel ab vllo mortalium quæsi-

quæsituros fuisse super nato Rege, nisi iam antè à stella derelicti. Cuius manifesta ratio in eorum simplicitate & obedientia est: quando monitu Angeli in silentio *per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Sed cum stella (mysterium hoc erat Dei) desijsset apparere, rectè atque ordine Regium puerum in ciuitate Regia sibi quærendum existimârunt. Sed latior istius mysterij explicatio hoc loco peti nō debet, quod illustrando nomini & gloriæ diuinæ, cōfusioni autem & pudori Iudæorum parabatur. Illud hîc intelligemus, viros bonos quasi derelictos à Deo haberi, molestis & anxijs cogitationibus versari, vt illi, quorū consilia ambiunt, ad tam incredibilem horū hominum simplicitatem, timorem, innocētiam, &c. aliquando pudefiant, doceantur, & in melius cōmutent omnia.

3. Probatio erat constantiæ Regum, in exemplum nobis, vt eodem modo animi robore progrediamur in Dei vocatione, si sensus ille gratiæ & spiritus nos destituat, nequaquā dubij aut consilium quæsituri super vocatione, cuius certi sumus (quemadmodum nec Reges an natus esset Christus, rogabant) sed qua potissimū ratione & modo vocationi nostræ satisfaciamus, atq; ijsdem pru-

dentiæ & diſcretionis paſſibus ad finem vſque perſeueremus.

4. Eſt hoc benè inſtituti hominis æſtimare alios, neminem contemnere. Potuerunt igitur etiam Reges pro animi ſui ſimplicitate de ſententia eorum inquirere, ad quos hæc potiſſimum ſpectare, quiq; eminere ſupra cæteros ſcientia videbantur. An probabile eſt Reges ethnicos animum potuiſſe inducere, ab ipſis Iudæis atque adeò Scribis & Principibus ignorari & negligi Regem ſuum (tot ſæculis per Prophetas denunciatū) recens natum, quem ipſi tot millium ſpacio diſſiti, & religionis ignari cognouiſſent? Si ipſi animi ſui iocunditatem & lætitiam exteriore gaudio ſignificabant, quos triumphos in Regia & diuina ciuitate expectabant ſuper nato Rege?

Poſtremùm. Illi poſt ſtellæ occaſum faciunt, quod ab hominibus præſtari potuit ſimpliciter & rectè. inquirunt eo loco & ab ijs, quos reſpondere poſſe quiuis exiſtimaret. Quæ cauſa fuit, quod ab ijs, cætera impijs & ſuperbis, reſponſum de Scripturis acceperunt, vſique eorum conſilio in Betleem ierunt, ſtella apparente rurſum & deducente eos. Vt hæc quæſtio ſententiam noſtram nihil

oppugnet,

oppugnet, probet potius & explanet. Quando etiam Scribæ & Pharisæi sedentes super Moysis cathedram in simplicitate petentibus benè consulant: maximè, si illi rem esse putent cum viris pientissimis, qui sapientia & doctrina reliquos omnes multum excellant. Adest mox illis Deus, (quemadmodum & tribus Regibus exeuntibus Hierosolymam stella rursum apparuit) & supplet de gratia, quod illis omnia humana tentantibus, apud homines frustra quærebatur. Quem animum & diligentiam, gratiam verò & influxum à Deo largiatur & tribuat nobis bonorum omnium fons, pastor, consiliarius certissimus Iesus Christus, Amen.

Matth. 23.

Chrysost. de laud. D. Pauli. hom. 3.

CAPVT XXXI.

DE CVRA ET STVDIO BONORUM virorum in vocatione Dei. Et primum de ea ratione, qua seipsos Deo offerunt, atque ita apti fiunt, & capaces recipiendis Inspirationibus.

QVi se Deo offerunt, illi sanè idoneos eo ipso se faciunt, quibus per Spiritum suum loquatur Deus,

 aut

aut voluntatis suæ mysteria aperiat; quod patet ex verbis Apostoli: *Obsecro, inquit, vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentẽ, rationabile obsequium vestrum. & nolite conformari huic seculo, sed renouamini in nouitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Atque hic mihi vide in illum humanum animum Pauli: obsecrat, non imperat: quoniam qui verè ingenui sunt & nobiles (quales tum Romæ plurimos fuisse, vrbe totius orbis domina, libenter credimus) duci, nõ trahi volunt. Docet igitur Paulus, eum, qui discretè & recta ratione corpore suo & extrinsecis vtatur, gustu quodam & suauitate Sancti Spiritus percepta, probare quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens: quã illi primũ bonam probant ex se, neq; obesse cuiquam. secundò, beneplacitam, suauem quæ electis omnibus iocundissima sit. Nam *qui ex Deo est, verba Dei audit.* Hoc est: probat Dei voluntatem, & acceptam habet. Postremùm probant Dei voluntatem plenam & perfectam, quæ nusquam infirmetur aut deficiat, quæ dignitate & sanctitate res omnes multum excellat; homini verò viam præstet & dux

Rom. 12.

Caietan. & Dion. in hunc locum.

Ioan. 8.

& dux ſit ad ſummam perfectionem. Qui ſanè ſtatus, cœleſtis vitæ initium eſt, & fructus boni vſus corporis ſui.

Quæremus iam, quomodo nos vti velit corpore noſtro, & rebus extrinſecis Paulus, vt hunc fructum, cognitionem, & guſtum voluntatis diuinæ percipiamus, & initium ponamus in hac vita de ſuperna beatitudine. Ait igitur: *Obſecro vos per miſericordiam Dei.* Hoc eſt, velim vos meminiſſe fratres, qui, quales ſolius Dei miſericordia ſitis; quanta, quàm magna in futuro expectetis. *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem*, ne corpori, ſenſibus & potentijs veſtris vim aliquam inferatis impotentia imperij, nimia oſcitantia, nullo modo in ſomno, cibo, potu, ocio, aut alijs animi preſſuris vel moleſtijs: ſed parate corpora & ſenſus veſtros (quantum in vobis eſt) vt benè affecti ſint, vt viuant, vt alacres & parati ſint ad omne beneplacitum Dei. Neque tantum *hoſtiam viuentem*; *ſed ſanctam*, puram ab omni immundicia & peccato; ſed Deo placentē in omni virtutum opere, exercitijs, & ſtudio Diuinæ pietatis, diſcretè tamen atq; ordine. Hactenus de oblatione cor-

 poris,

poris, cum quatuor conditionibus, vitæ, sanctitatis, beneplaciti diuini, & rationis.

Sed de vsu rerum extrinsecarum ita ait: *Nolite conformari huic sęculo.* quod sui pondere valdè multum est. cuius rationes & momenta apud se quisq; subducat. De vsu bonorum temporalium alibi egimus. *Sed renouamini,* inquit, *in nouitate sensus vestri*, ad illud sapientiæ flumen (cui ita integrum est) quod petitur ex Scripturis, & exercitia optimarum virtutum. Quæ omnia in illo præire debebunt, qui suauitatem voluntatis diuinæ volet gustare. Atque illa qui habeat, causæ non est, cur dubitet sensum & gustum illum, quem sapit, esse de Spiritu Sancto.

Lib. de vita act. de bonis. tēp. de operib. misericord.

Sit igitur hoc ex Scripturis iam positum, quomodo per spontaneam sui oblationem capacem se faciat homo, & præparet ad Inspirationes, & rectum iudicium de Dei voluntate, vt nihil necesse sit plura hîc de Scripturis aut Doctoribus testimonia congerere; quoniam vel solus naturæ ductus & ratio his docendis sufficiunt. Sumus enim serui Dei. *Cum feceritis*, inquit Christus, *omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus. quod debuimus facere fecimus.*

Vide supra de bona voluntate.

Luc. 17.

mus. Et Apostolus: *Non estis vestri, empti estis precio magno.* Quod si illud præcium nō interuenisset, sumus certè creatura Dei, ipsa nostrûm cuiusque substantia, forma, vis, virtus omnis à Deo est, sine quo nihil possumus. Quid igitur potius volumus, quam vos maximo commodo nostro Deo offerre. cuius rei veritas ex Scripturis & ratione manifesta satis est. *1. Cor. 6. 7.* *1. Paral. vlt.*

CAPVT XXXII.

DE DISCRETA SVI OBLAtione, ne tentemus Deum. Confidere nos Deo, & contendere manibus simul oportere. Cum Deo nos posse omnia, sine Deo nihil.

Docuimus superiore capite testimonio Diui Pauli, non satis esse si quis se Deo offerat; requiri etiam eas quatuor conditiones, vt viua sit oblatio, vt sancta, beneplacens, & rationabilis. *Quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autē eis, qui fidem habent in illum. Facile videtur ab his qui diligunt eum, & inuenitur ab his qui quærunt illum. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei: obseruabunt* *Sap. 1. &*

 manda-

mandata eius, & patienter expectabunt faciem Domini. Non tentat Deum, qui quod poteſt, facit conatu & omni diligentia adhibita: ille ſimpliciter & rectè Deo confidet. Atque ita ſanè ſanctiſſimi quiq; totis viribus cōtenderunt. & tum ſeipſos, tū hoc opus ſuum Deo obtulerunt in holocauſtum. Videndū tamē eſt, vt diximus, ne ſpe fiduciæ, qua in Deum ferri videamur, ſi manus & operam ipſi nō adhibemus, ignauiam, torporem, & negligentiam noſtrā foueamus, cuius finis eſt deſperatio. Sed qui ſuæ diligentiæ ſolū innititur, illi periculū maximum eſt à ſuperbia: ſibi ſoli fidit, contemnit præ ſe reliquos, tanquam neq; Dei neq; hominis cuiuſquam auxilio opus habeat. Vt omninò qui ſibi ad ſummam diligentiam nihil reliquum facit, atq; interim prouidentiæ diuinæ cōmittit omnia, id cū valdè magnum eſt, ſignum etiam & teſtimonium de ſe præbet ſinceræ perfectionis. & verò qui medium vno & perpetuo tenore ſecat, nihil de hac via deflectens, omni laude & cōmendatione dignus eſt. *Audi hominē*, ait Bernardus, *quē ſecundū cor ſuum inuenerat Deus. Paratū cor meum Deus, paratū cor meum. Paratum ad aduerſa, paratū ad proſpera. Paratum ad ſublimia, paratum ad vniuerſa*

De vita act. c. 22.

Vide de Monte. de timore par. 2. & cap. 17.

Bernard. ſerm. 2. in capite ieiunij.

Pſal. 56.

uersa quæcumq; præceperis. Vis pastorem ouium facere, vis constituere regẽ populorum, paratũ cor meum Deus, paratũ cor meum Deus. Inde autẽ cordis duritia, inde mentis obstinatio, quia meditatur quis nõ legem Domini, sed propriam voluntatem. Hoc est: satis scio Domine, me in & per te omnia, sine te nihil posse. debebam te præter & supra omnia quæ in terris aut in cœlis sunt deligere, obedire, & ministerio tuo deseruire, de tua manu omnia accipere, te inspirante offerre me tibi ad omne beneplacitum tuum: paratus seruire tibi, & cum Abraham exire de terra, & cognitione mea in terram alienam. Ecce paratum cor meum Deus. Vis me procul à domo paterna seruire, & cum Iacob oues pascere, paratum cor meum: an vt exemplo Isaaci in silẽtio vitã transigam in domo patris: aut certè vt pro iudicio voluntatis tuę tibi seruiam in Paupertate, Obedientia, Castitate: da mihi quod vis, apta me tibi, flecte vt vis. Quis est, qui mysteria iudiciorum tuorũ perscrutari possit? sit nomen Domini benedictum. Dic verbo, & sanabitur anima mea: nõ est à quo solatium sperẽ, nisi à te solo. Ego quidẽ in simplicitate effundo animũ & effectus meos, sed nõ meipsum noui. Tempus est, quo videar mihi cum

August 10. lib. confess. cap. 31.
Rom. 11.
Matth. 8.
Psal. 76.

Ezech. 1. Petro loqui posse: *Quare non sequar te,* paratus animam pro te ponere? Tempus est, quo cum eodem negem me nosse Christum; sed mox in gratia tua resurgam maiore & constantiore animo, amore, humilitate: vt in vocatione tua perseuerem in æternum, & sequar quocumque eas, & vbicumque sis. Non in *Dan. 9.* meis meritis, non in mea manu & robore hæc effundo: in tua potentia, bonitate sapientia spem & auxilium meum omne colloco. Tu hoc me velle voluisti, me immeritum: te custode maneat & duret ea voluntas. moue, rege me, & ea omnia de manu tua tribue mihi, quæ ad hanc vocationē meam in nomine tuo adimplendam, tum intus in anima, tum extra iuuare possunt, ad laudem & honorem *Apoc. 14.* tuum, salutem meam. Nimirum crea- *Ioan. 12.* tionis meæ ille est finis, vt opera mea accedat aliquid sponsæ tuæ Ecclesiæ, crescat & firmetur proximus, quam precioso sanguine tuo redemisti. Domine Deus meus sine te nihil possum. Si pro affectibus meis voluor, si pro animi mei impotentia matrimonium mihi seligo, aut cœlibatū Ecclesiasticum aut Religiosum statum; si ocia amplector, si diuitias, si suaues & iocundos dies ago; quorsum hæc consilia euadunt, si tu mihi nō ades

dux

dux & consultor? si tuæ vocationis metam transilio? At verò Domine meus, si ego quicquā eligo puro & simplici corde, quod tuæ voluntati placere probatū mihi sit, quis est, qui contra me ponat faciem suam, qui impediat, qui obsit? si non te primus desero, si in te firmus cōsisto, in te possum omnia, te manum dāte in quouis vitæ statu, quibusuis etiam periculis, & dæmonum impressionibus saluus esse & perfectè viuere possum. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* hoc est, quemadmodum alibi explicat: *Superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neque instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundū, neq; creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Quæ si vera sunt, nos cū Deo omnia, & sine Deo nihil posse, nihil vtique reliquū nobis est, nisi vt totos nos Deo subijciamus cū humili oblatione nostri. Atq; ita facti iā in fide, spe, & charitate, viua sancta, & beneplacens Deo hostia, apti simus ad influxus, & operationes Dei in nos recipiendas: quoniam illa Dei similitudo, ad quam creati sumus, resurgit in nobis & reuiuiscit, & qui ea spe in Do-

Rom. 8.

Clem. Alex. lib. 4. strom.

in Dominum est, purum & sanctum se facit, quoniam ipse sanctus est. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, audient vocem Dei, quemadmodum oues pastoris sui. *Estote sancti, quoniam ego sanctus sum. Estote perfecti, quoniam Pater vester cœlestis perfectus est.* Quæ si rectè accipimus, probabimus in nobisipsi quæ dicta sunt: erimus sancti & perfecti, quoniam ita Deus est: ministrabimus Deo, viuemus eo modo, quo & quomodo ipsi visum est. Quod videlicet est, se offerre Deo, & paratum esse ad vitam, ad mortem, ad ea omnia quæ non homini, sed Deo complicata, sunt.

1. Ioan 3. Matth. 5. Ioan. 10. Leuit. 19. 20.

CAPVT XXXIII.

DE VERBIS CHRISTI: Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.

Ioan. 6.

VErba sunt Christi: *Veni, nō vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* quo ille nos docuit non arbitrium iudicij nostri, aut voluntatem nostram sequi nos oportere, sed ea potius complecti & eligere,

gere, quę Deo placent. *Exinaniuit semet ipsum vsque ad mortem, mortem autem crucis. propter quod exaltauit illũ Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Videmus Christi verba, videmus facta, qui cum pro naturæ suæ diuinitate vellet optima, mala non posset, an non imitari illum modis omnibus semper debebimus? *Qui vult me sequi, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* abnegat semetipsum, qui non sui cerebri iudicium, sed Dei voluntatem sequitur. Quid est tollere crucem, quid? nisi molestias & difficultates quæ incidere possint omnes insigni patientia & quadam animi facilitate transmittere? quemadmodum qui onus aliquod humeris succollant alacres & citi, non crucis pondere retrocedere sustinent, nõ subsistere; sed eo maiore animo contra tendere in hummilitate, patientia, fide, spe, charitate; quo crux ipsa plurimum facit. Philip. 2. Luc. 9.

Quæstio.

An igitur Christi voluntas alia fuit à voluntate Patris?

Responsio.

Non ita. Voluit etiã Christus vt homo idem

idem quod Pater, summa concordia vo-
luntatis, neq; tamen, si pro humana na-
tura vniebatur voluntati Patris, opera-
batur tanquam pro arbitrio suæ volun-
tatis; sed vti subiectus & obediens Patri.
Ioã. 5 & 6. Atque ideò venisse se dicit vt faceret vo-
luntatem Patris sui: quoniam eorũ om-
nium quę faciebat pro arbitrio human
naturæ quam assumpserat, causa & rati
erat in voluntate Patris sui exemplo no-
bis; si quisquam sit nobilitate, perfectio-
ne, sanctitate, iustitia, ordine, puritat
præter & supra omnes admirabili, il
tamen nihil faciet, quòd sibi ita place
& probetur: sed quia morigerum se præ-
bet & lubenter obedit volũtati & bene-
placito Domini & Dei sui. Quod qui f
ciunt, quantulum absunt à gustu & su
uitate cœlestis vitæ?
2. *Cor.* 1. 5. *Eph.* 1. In his intelligemus *Spiritum Sanc*
promissionis, *pignus hæreditatis nostr*
hæc sapere in hac vita, est puritatis, fr
ctus & libertatis cœlestis. Et quãtò qu
que seipsum pro Deo abnegat, summi
tit, abijcit, eò in intima nostri penetr
Christus, vt possideri se à nobis & qu
dammodo comprehendi patiatur: tu
verò Deus pro sua misericordia comm
dat animæ tam piæ, offert se desider
Esa. 58. hominis illius affluenter. Apud Esaia
le

legimus: *Si glorificaueris Dominum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt facias sermonem: tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius nõ deficient aquæ.* Iterum: *Non vocaberis vltra Derelicta, sed vocaberis Volũtas mea in ea, quia complacuit Domino in te.* O dulcissimam vocem Domini (qui mentiri & fallere nõ potest) Ego, inquit, pro derelicto te non habui. Iudicant ita homines, forsan & tu ipse, vt etiam exprobrent, & *Derelictam* nominent, *sed ego te appello: Voluntatem meam* in te. Nomen hoc salutare est & Angelicum. Qui ad hunc modum renunciat volũtati suæ hoc facit ex charitate Dei. Neque enim amor in amante manet, sed in eum transit qui amatur. *Esa. 62.*

CAPVT XXXIIII.

DE VOCATIONE ET CONuersione Sancti Pauli, & Salomonis ad Deum oratione. Quod potius in Deo fuerint, quem amabant, quàm in seipsis.

QVi perfectè & verè Deum amat, illius omne studium, curæ, cogitatio- *Galat. 2.*

tationes in Deo sunt: plenus illo spiritu, & quasi extra se positus, in illo totus, cõquiescit. Ita Paulus summus ille amator Christi: *Viuo ego non ego, sed Christus in me*: hoc est, ego non viuo vt lubitum est mihi pro animo & iudicio meo, sed pro Christi mei voluntate, inspirationibus, doctrina. illi potestas & imperium est in anima. Est enim naturæ & Scripturæ rationibus apertissimum, quod hominis cuiusq; sit Deum supra se amare: homines autem propter Deum. Rectè igitur Augustinus: *Omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum: etsi Deus ab omni homine amplius diligendus est: amplius quisq; debet eũ diligere, quàm seipsum*. Qui Deum amat, etiam voluntatem suam Dei voluntati subijcit: quæque vult, eò solo amat, quoniam Deus vult.

de doct. Christi. li. ca 27 et in Psal. 121. & de mor. Ecclesiæ. li. 1. ca. 26.

Reliquum est, videamus quid huc faciãt Doctores, & ipse Scripturarum sensus: vbi operæprecium erit si accuratius introspiciamus in animum & affectum Pauli, quo ille spiritu & zelo antè & in illa ipsa conuersione sua ductus fuerit. Nã vt quisq; in malis friget, calet aut tepet, aut in eo quod ipse bonum æstimat; eũdem ferè animum adfert ad defensionẽ bonorum, si aliquãdo conuertatur à via

sua

sua mala. Verba eius de seipso sunt: *Audistis aliquando conuersationem meam in Iudaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos coëtaneos meos in genere meo; abũdantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Et alibi, *Æmulator eram legis, qui hanc* (Christi) *viam persecutus sũ vsq; ad mortẽ, alligãs & tradens in custodias viros ac mulieres.* Vide illa: *supra modum persequebar. &c. vsque ad mortem.* Ex quibus satis patet, illum potius fuisse in ijs quæ amabat, quàm in seipso. Qui scilicet quod se & corpus suum attinebat, non molestijs, non vitæ & mortis discrimine, nullo hominum pudore non alio vllo mouebatur, sed sibi & suis omnibus extremũ valedicẽs, in eo solo viuebat, hoc totis viribus persequebatur quod amabat, per errorem tamen & deceptionem. Quamobrem videat quisq; qui se prętor cæteros ingenio valere, sapientia, morib. doctrina præclaris: ideoq; quod flagranter etiam spiritu Dei se experere putet (quæ omnia in Paulo erãt) idẽ tamẽ ille cũ Paulo erret, & pro Dei lumine tenebras & errores prosequatur. Videamus iã, q̃ se habuerit in sua vocatione, cũ illa Dei vox aures suas

Galat. 1.

Act. 22.

Vide Leonem ser. 7. de ieiunio sept. mens.

Chrysost. hom. 47. in Genes.

Philo lib. de eo quod à Deo mittuntur somnia.

Ioan.20. consonaret: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Iam primum illa nominum repetitio, *Saule, Saule*, testimonium amoris & significationem habet rei magnæ & admirabilis. Ita Christus dicebat: *Bonus pastor nominatim vocat oues suas.* Sic ad Abraham: *Abraham, Abraham.* Et: *Moyses, Moyses.* Et: *Samuel, Samuel.* Sed Paulus à Deo increpitus *in terram cadit & apertis oculis nihil videbat*, quemadmodum cæcus. Et vocanti Deo statim respondit: *Domine, quid me vis facere?* Rectè Domini, non Patris aut Spõsi vocem vsurpat: quoniam Christus in brachio virtutis suæ illi imperabat. Nam & Pauli corpus in terram proiecit, animũ verò conuersum in humilitatem & modestiam sibi subiecit. Possumus Christũ loquentem facere: Quid ô superbe, quid tibi vis, quid contra me tendis? Vide qui sis, terra es, & in terram reuerteris: prædicas te perfectum, sed frustra es. Peccata & deceptio illudunt tibi. Sed iã primùm nosce teipsum. vide, quàm nihil ex te possis, nisi quod turpe & fœdum sit: humiliare tùm in anima, tùm in corpore. Percutio te cæcitate in anima, claudo in virtute mea, quæ tibi tanquam homini molestias & tumultus concitabant, quæ specie acuminis & prudentiæ tibi imponebant;

Gen. 22.
Exo.3.
1. Reg.3.

nebant; phantasijs, sensibus, affectibus tuis silentium impero, id quod tu Paule confiteris posteà: *In captiuitatem redigẽtes omnem intellectum in obsequiũ Christi.* Iterum: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* Percutio in corpore, ne videas: sed vt illi, qui in anima sunt, oculi aperiantur, puri & lucidissimi fiant, vt in me conuertantur; castigantem me sentiant, vocem exaudiant, & minore negocio benè percepta in opus & effectum deducant. Atque ille iam ita edoctus, quid tãdem respondet: *quid me vis facere?* hoc est. ego Dominus hactenus pro libito meo, pro calore spiritus mei, feci quæ volui, sed iam nunc te imperante dedo & trado me tibi. Ego cum cæco lumen non oro vt videam, non vt eorum quicquam impetrem, sed impera, iube vt vis: paratum cor meum Domine, qui Salomoni dormienti apparuisti (nocte, cum tenebræ sunt, cum clausis oculis etiam sensus quiescunt) quærens quid potissimum sibi à te præstari cuperet. fatebatur paruitatem & ignorantiam suã, post hæc petijt prudentiam sibi & subditis regendis: hoc est, non ille suæ sapientiæ inniti, aut quæ ipse maximè optaret perficere cupiebat, sed tuæ voluntatis iudicium

2. Cor. 10. *1. Cor. 3.* *Luc. 7.* *Bern. de conuers. Pauli.* *3. Reg. 3.*

dicium ſequi in omnibus & obtinere. Tu tum teſtatus es etiam petitionem tibi placuiſſe. Tribue mihi Domine ne quicquam cupiam à te præſtari, quàm ſapientiam & gratiam, vt tua ſanctiſſima voluntas ſeſe oculis meis ſemper offerat, eam toto animo deſiderem, bene cognitam eadem virtute ſequar & perficiam. Videamus quid tum famulo tuo reſpondiſti: *Quia poſtulaſti verbum hoc, & nõ petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum; ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum, vt nullus antè te tibi ſimilis fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed & hæc quæ non poſtulaſti dedi tibi, diuitias ſcilicet & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tui in regibus cunctis retrò diebus:* Poterat ſanè Salomon magna ratione à Domino petijſſe gloriam, diuitias, victorias, valetudinẽ, quæ videlicet regno & dignitati ſuæ neceſſaria eſſent; ſed ille in amore Dei vigilabat, clauſis ſenſibus, & reſoluto corpore in ſoporem Charitas erat in illo, & ille in charitate, qua mediãte erat in illo quem amabat, in Deo & Dei beneplacito; tandem quam neque ſui neque eorum omnium quæ iam retulimus, quicquã meminiſſet. Et quod puriſſimo amore in Deum ſolum

D. Auguſt. de Gen. ad literam. 15. cap. 12.

solum suspiraret, Deus charitas sese in ipsum conuertit, & de copiæ suæ cornu desiderium illius exsatiauit: atque ea etiam vltrò obtulit, quorum illi (vti qui extra se in amato potius esset) nec per cogitationem in mentem venerat. Scilicet hæc doctrina Domini est: *Quærite*, ait Christus, *primum regnum Dei, et iustitiã eius, & hæc omnia adijcientur vobis. scit enim pater vester quia his omnibus indigetis.* Quærere primum regnum Dei quid est? nisi præter & supra omnia Dei nomine Deum quærere aut regnum cœlorum: quod quidem ita facient non aliqua commoditate allecti, gaudio vel vtilitate, quod Gentilium est. Christus docet discipulos suos quęrere propter Deũ, quoniam eo fine creauit nos Deus, ita placet & visum est illi: *Deliciæ*, ait alibi, *meæ esse cum filijs hominum.* Et Christus, *Hæc vobis locutus sum, vt gaudium meũ in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.* Hactenus de Salomone, quomodo ille prę amoris magnitudine, sui oblitus, totus ab amore rapiebatur, & per amorẽ erat in amato Domino & Deo suo. Ait igitur Paulus: *Domine quid me vis facere?* Quæris in Testamento veteri à famulo tuo Salomone quid sibi cupiat à te præstari, quẽadmodũ & cœco in Euangelio: *quid*

Matth. 6.

Prouerb. 8.

Ioan. 15.

quid me vis tibi facere? At ille Dauidis filius adolescens luce fidei in orbem nō diffusa, quantulum tamen abest in oratione ab illorum animis & votis, quę inspirat spiritus ille Noui testamenti? ille corona regia insignitus, dignitate & solio pręcellens, longè maior in oculis Domini fuit, illo intrinseco insigni puritatis, virtutis, charitatis: quamobrem illius animus vel in somnis longè fuit præstātior, quo illustrari cor suum precibus à Deo contendebat, quàm ille in Euangelio cæcus vigilans, qui oculorum vsum restitui sibi à præsente Christo temporaneum tamen & periturum oratione impetrauit. & vero Deus pro sua bonitate illius cæci oculos aperuit, tum animam à putore & sordibus emaculauit. Sic & Salomoni cum ea omnia quę petierat contulisset, addidit & illa, quæ his vitæ necessitatibus conducere posse videbātur: quorum tamen mentionem in oratione nullam fecerat. Est hoc bonitatis Diuinæ, qui in simplicitate cordis se quærentibus in abundanti, atque adeo plus tribuit quàm ipsi petant aut memorentur: ne se quisquam animis deijciat si nō statim cum Paulo & perfectissimis quibusque purissimus sit. Ait igitur Paulus: *Domine quid me vis facere?* ego Domine

Sapien. 1.

ignorans

ignorans & nesciens, supra alios alacris, flagrans, magnanimus erã cùm contra te starem, neque finis erat huius pertinaciæ, qui putarem me officium tibi præstare longè gratissimum: quid ego iam apertis oculis in via vera & certa mandatorum tuorum constitutus, quid possum? nisi vt maiore & flagrantiore animo tibi seruiam, non commodo aut beneplacito meo, sed pro arbitrio tuæ voluntatis. vulnerasti cor meum Domine, sagittæ amoris tui in me sunt. Cupio iam & desidero non quidem ociosè & oscitanter seruire tibi, probè memor illorum, quę ad quendam ex illo hominum genere dicebas: *Scio opera tua, quia neq; frigidus es neq; calidus: vtinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te emouere ex ore meo.* Nolo Domine mea tepiditas tibi nauseã moueat, volo in te manere, quiescere, & cum Dauide tuo reputari vir secundũ cor Domini. Ero in conspectu tuo tanquam miles sub Imperatore, atque adeò quemadmodum Princeps suo Regi, ita velim generosus reputari in reuerentia, fide, amore tibi seruire: paratus ad ea omnia quæ placere tibi possunt, neque me dimouebit ab amore tuo cuiusquam magnitudo aut humili-

Act. 9.
Cant. 4.
Aug. confes. li. 9. ca. 2. Psal. 5.
Apoc. 3.

 tas.

tas. non sitis, fames, frigus, ęstus, paupertas vel inopia, diuitiæ vel abundantia, morbi, sanitas, siue liber, siue seruus & captiuus, siue viuam, siue moriar, dic verbo, fac mecum vt visum tibi est, paratum cor meum. Samuel Propheta tuus vocanti tibi respondet: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* quid ego aliter in hoc tempore gratiæ, & decantati per orbem Euangelij? quod illi in tenebris posuerunt, ego in tanta luce non audebo? Gratias tibi ago, quod aures meas aperueris, vt audiam loquentem & euocantē te. dic verbo, ecce me tibi promptum ad omnia. *Renuit consolari anima mea.* Sim tui memor, veni in me, & gaudebo, & quiescit in te spiritus meus: tu me duces in viam rectam, saluabis me propter nomen sanctum tuum. Fac vt hæc voluntas, vt hoc desiderium meum sit perpetuum, prę sto mihi salutaris sit dextera tua, vt in me & per me impleatur voluntas tua, te semper adspiciam, quæram, à te pēdeam, in te totus sim, in te habitem quem amo nulla mei ratione. Respondet tum Christus Paulo amanti: *Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere.* Mittitur à Deo Paulus ad hominem, cuius verbis Dei voluntatem accipiat; cui tamen

1. Reg. 3.

Psal. 76.

1. Paral. vlt.

Aug. li. 10. confes. c. 1.

Psal 142.

facil-

facillimū erat omne beneplacitū suum statim aperuisse. iam enim sępè diximus docendis hominibus Deum vti opera hominum. Atque hactenus de amatore & fortissimo Christi milite Paulo, quomodo ille super & præter alia omnia in vocatione sua Dei voluntatem attenderit, quod ille rebus ipsis & doctrina vitæ constantissima cuiuis nō omninò stolidissimo demonstrauit. Quod cum manifestissimum sit, supersedemus de Scripturis exempla congerere, quamuis ex eo testimonio id rectissimè deduci possit, quod iubemur vtriusque Testamenti voluminibus *Deū diligere ex toto corde, tota anima, &c.*

CAPVT XXXV.

DE CHARITATE, QVA deo seruire cupimus.

QVærendum nunc est, quid de huiusmodi viris Deum amantibus humilitate, nobilitate & animi magnitudine iuxta præclaris referāt sanctissimi Ecclesiæ nostræ Doctores. Veniat in partes Clemens Alexandrinus: *Est perfecti hominis opus nō à malis abstinere, ea .n. est basis maximi profectus, sed* *Clem. Alex. strom. lib. 4 vixit anno 180. Psal. 138.*

nec aliquid boni facere vel propter metũ (seruilem scilicet) *Scriptum est enim: quò fugiam, & vbi abscondar à facie tua? si ascendero in cœlum, illic es: si abiero vsq; ad extrema maris, illic est dextera tua: si descendero in abyssos, illic spiritus tuus. Sed neq; propter spẽ promissi honoris. scri-*
Apoc.12. *ptum est enim: Ecce Dominus, & merces eius à facie eius, vt reddat vnicuiq; secũ-*
1.Cor.3. *dum opera eius, quæ oculus non vidit, & auris non audiuit quæ præparauit Deus ijs, qui ipsum diligunt* (hoc est: Viri perfecti nequaquam solliciti sunt quam mercedem præstiti laboris referant, sciunt satis, quod precium illos maneat, qui Deum ex toto corde diligunt) *Sed qui perfectus est, opus bonum eò solò expetit, quoniam honestum est, & quia Deum amat: ea operũ ipsius causa longè grauissima est. ausim enim dicere, nõ eò operatur, quòd saluus esse velit. Si quis ergo ei per positionem proposuerit, vtrum malit Dei cognitionem, an salutem æternã (sint autem ea separata, cum sint omninò eadem) nihil penitus dubitans elegerit Dei cognitionem: propter se iudicans expetendam eam, quæ per charitatem fidem transcendit. Hac ergò prima est eius beneficentia, qui perfectus est, quando non fit propter aliquem vsum eorum quæ ad se pertinent.*

Cum

Cum autem iudicauerit pulchrum esse & honestum facere id, quod bonum est, vehementer incitata operatio benè se gerit in omni actione, non in aliqua quidem rectè, in alia verò non: sed in benefacendi habitu constituta, neq; propter gloriam neque propter mercedem aut ab hominibus, aut à Deo ad imaginem et similitudinem Dei vitam peregerit: Eis, qui eiusmodi sunt, dicit Dominus: Estote perfecti, sicut pater vester. Ei caro est mortua, viuit autē ipse solus, vt qui sepulchrum in templum sanctum Domino consecrauerit. Idem alibi. *Qui nuda vocationi obedit, quatenus vocatus est: is neq; propter timorem neq; propter voluptates tendit ad cognitionem. nō enim considerat an aliquod vtile lucrum, vel delectatio aliqua extrinsecus consequatur; sed tractus à dilectione, qua veri amatoris, & ad id quod oportet adductus, pius est Dei cultor. Vnde nec si per positionem à Deo acceperit potestatem faciendi ea quæ sunt prohibita citra vllam pœnā: neque si propterea eum beatorum bona accepturum promissum fuerit: sed nec si persuasum habuerit fore, vt Deum lateāt ea quæ gerit (quod quidem fieri non potest) in animam vnquam esse inducturum, vt aliquid agat præter rectam rationem: cū id quod verè est honestum, & ex seipso eli-*

Matth.5.

 gendum,

gendum, & ea ratione expetendum amãdumque, semel elegerit. Idem alibi. *Qui magna vi contendit vt perueniat ad summum cognitionis, moribus ornatus, habitu compositus, habens omnia commoda eius, qui est verè cognitione præditus, pulchras respiciens imagines: multos quidem, qui rectè & ex virtute se antea gesserunt, Patriarchas, plurimos autem Prophetas, & innumerabiles Angelos, & postremum Dominum, qui nos docuit & ostendit, fieri posse, vt summam illam vitam assequamur: Propterea omnia mundi bona quæ sunt in promptu, & ad manum, non diligit, ne humi remaneat: sed ea quæ sperantur. Hac ratione labores, tormenta & afflictiones sustinet: non vt qui sunt fortes apud Philosophos, propter spẽ: quod præsentes quidẽ sint cessaturi dolores, sint autem rursus iucundorum futuri participes: sed cognitio ei persuasionem ingenerauit firmissimam futurorum spei recipiẽda. quocirca non solùm quæ hic sunt supplicia, sed etiam iucunda contemnit omnia.* Hoc est, ille quidem maximis à Deo præmijs coronandus est, quorum tamen neq; cura neque expectatione torquetur: satis certus quanta suauitate Deus & liberalitate complectatur amantes sui. Idem alibi. *Hi qui se ex recta ratione componunt,*

lib. 7. strõ. (margin, beside "dumque, semel elegerit")

lib. 7. strõ. (margin, beside "tate complectatur")

nunt, deinde cum Deus vocauerit prompto & alacri animo se tradentes, confirmant vocationem ex eo, quod nihil temerè & præcipitanter de se constituerint, atque ita sese probant viros, de quibus Scriptura testatur: Viriliter agite, & confortetur cor vestrum: omnes qui speratis in Psal. 26.
Domino. Neq; ergo metu maiorum minora tolerant, vt reliqui: neq; timentes, ne vituperentur ab ijs, qui sunt eiusdem loci & sententiæ, in confessione persistunt vocationis: sed propter suam in Deum charitatem libentes parent vocationi: nullum alium sibi scopum proponentes, nisi vt Deo placeant: non autem propter præmia laborum. Nam alij quidē propter gloriæ cupiditatem, alij verò quod vitent aliud grauius supplicium, alij verò propter quasdam lætitias & voluptates post mortem futuras, patiuntur: pueri in fide: beati quidem, sed qui nondū sunt viri in ea charitate, quæ erga Deū est. Sunt enim quemodo in Gymnicis certaminib., ita etiā in Ecclesia coronæ virorum et puerorū. Charitas autem ipsa propter se est eligēda & expetenda, non propter aliquid aliud. *Hactenus ille & Rectè distinguit pueros à viris in fide, id quod hauserat ex Apostolo:* tanquam pueris lac potum dedi, 1. Cor. 2. 3.

sapientiam autem loquimur inter per
ctos. Salui tamē pueri, qui Deum & be
titudinem intentis oculis desiderat
testis enim est Christus: *quoniam talu*
est regnum cœlorum. Sequitur Gregori
Nazianz. cognomento Theologus: Si filius es,
orat. 41. in uereare tanquam patrem, operare bon
sanctum quoniam bonum Patri obedire etsi ni
lauacrum. tibi euenire inde debeat, nam hoc ipsu
vixit merces tibi erit, vt Patri gratificeris. F
anno 350. *ctè: etiamsi opus bonum nulla merces*
queretur, ipsum mercedis, gaudij & be
titudinis vicem esset, obedire & plac
Deo, quo etiam significat illum, (quod
nè verissimum est) qui ita affectus sit
ritalibus donis in hoc seculo, sapè etia
temporalibus in immensum locupletari,
futuro autem gloria cœlesti. Scribit M
Basil. gnus ille Basilius: Dicit Dominus: Si m
quæst dif- data mea seruaueritis, manebitis in di
fus explic- ctione mea. Ex quib. erudit nos, vt se
cat. cap 5. per proposito operi voluntatem eius
præcepit velut scopum proponamus.
sic ad ipsum studium nostrum dirigam
Ioan 6. *quemadmodum etiam alibi dicit: Desc*
di de cœlo, non vt faciam voluntatem
meam, sed voluntatem eius,
qui misit me, Pa-
tris.

CAPV

CAPVT XXXVI.

HABET TESTIMONIA IOannis Chrysostomi.

SEquitur Chrysostomus. *Nihil tam præclarum dilectissimi ad gloriæ rationem & fiduciæ, quàm à Deo diligi, & ipsum diligentẽ tanquam Deum deligere. Hoc Angelos facit splendidos hoc Principatus et potestates, hoc Reges maiores: Propterea hoc Paulus antè regnum posuit, propterea & incorporeas virtutes beatas existimo, quod eum diligunt, & in omnibus parent. Hinc et Propheta eas admirabatur, dicens: Benedicite Deum omnes potentes virtute, facientes verbum eius, ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Dominum omnes virtutes eius, qui facitis voluntatem eius. Imitemur et nos. Nihil est, quod non superet amor cum desiderio. cum autem & Dei sit desiderium, omnium est altissimum, & neq; ignis, neque ferrũ, neq; paupertas, non infirmitas, non mors, nec aliud quid huiusmodi graue videbitur possidenti talem amorem, sed omnia deridens. ad cœlum volabit, aliud nihil intuens: non cœlum, non terram, non mare, sed ad vnam tantum pulchritudinem intẽtus illius gloriæ. Capiamur igitur*

Chrysost. hom. 64. ad pop. Ant. & de compunct. cordis. li. 2. D. Doroth. serm. 4. 14.

Psal. 102.

hoc amore, huic enim nihil par est. Quin insuper propter ipsam amoris naturam liberabimur & à præsentis vitæ, & à futuri sæculi supplicijs, & regno fruemur. Veruntamen neque Gehennæ absolutio, neque regni detestatio magnum aliquid est ad id, quod est dicendum. Hoc enim omnium est maximum, Christũ & amatum simul & amatorẽ habere. Si enim hoc in hominibus contingens omni voluptate superius est, cum hæc vtraq; circa Deum euenerint, quis sermo, quæ mens exprimere poterit huius animæ beatitudinem? Nulla profectò, sed experientia sola. Vt itaque per experientiam discamus hanc spiritualem lætitiam & beatam vitã, et mille bonorum thesaurũ, omnia dimittentes illã charitatem retineamus. Item alio loco. *Quid sit homo, et quanta sit nobilitas nostra natura, quantaq; capax virtutis, hoc vel præcipuè ex omnibus Paulus ostendit, non tamẽ ille aliam sortitus est naturam, quàm nos. Neq; verò hoc solum in illo mirabile est, quod præ abundantia deuotionis, quodammodo nõ sensit dolores pro virtute susceptos, sed etiã quod virtutẽ ipsam pro mercede pensauit. Nam nos equidem pro ea nec mercede proposita certamus, quam ille complectens etiam sine præmio diligebat: cuncta illa quæ asperitate sui viden-*

Chrysost. hom. 2. de lau. s. Pauli. & to. 5. hom. de nulla regni spe vel honore.

videntur impedire virtutem cum omni magnanimitate perpetiens, qui neque infirmitatem corporis, neque multitudines circumstantium undiq; negociorum, neque tyrannidem naturæ neque quicquam aliud omninò causatus est, cum utique maior illi, quàm cunctis & militiæ principibus & regibus terræ esset cura commissa; sed quotidiè celsior, quotidiè assurgebat ardentior, & intentis sibi periculis noua semper alacritate pugnabat: idque significans, dicebat: Eorum, quæ retrò obliuiscens, in ea verò quæ priora sunt extendens me. Qui cum sibi iam mortem imminentem videret, ad communionem delectationemque gaudij alios prouocabat, dicens: Gaudete & congratulamini mihi, ac periculis, iniurijs, opprobrijsque propositis, rursus exultat. & Corintijs scribens, ait: Placeo mihi in periculis, & infirmitatibus meis. Itaq; cum in medijs insidijs inimicorum versaretur, ouans tamen de omni eorum impugnatione victorias referebat, & vbiq; casus verberibus, affectus iniurijs atque maledictis, quasi triumphales pompas ageret, crebra trophæa strueret, orabat, gratiasq; referebat Deo, dicens: Deo autem gratias, qui semper triumphat nos. Itaque ad confusionem & iniurias, quas ob prædican-

Philip. 3.

2. Cor. 12.

2. Cor. 2.

di studium sustinebat, magis quàm ad bonorum oblectamenta properabat, mortem potius quàm vitam appetens; paupertatem, quàm opulentiam: et multò amplius laborem desiderans, quàm alij requiem post laborem: ac mœrorem magis eligens, quàm alij voluptatem: studiosius pro inimicis orans, quàm alij aduersus inimicos. Vnum enim illi formidandum erat, offensa nimirum Dei, nec quicquam aliud omninò. ergo nec desiderabile illi aliud erat, nisi semper placere Deo. Non dico nihil præsentium desiderabat, sed nec aliquid ipsorum futurorum. Non enim mihi dicas vrbes, exercitus, gentes, prouincias, potestates. Hæc enim ille quasi arenam vilia reputauit: sed ea ipsa penè quæ promittuntur in cœlis, & tunc eius ardentem in Christo amorem videbis. Hic siquidem præ illius dulcedine, non Angelorum, non Archangelorum admiratus est dignitatem, nec quicquam horum simile concupiuit. quod enim erat maius omnibus, Christi amore fruebatur, cum hoc beatiorem se cunctis putabat: sine hoc autem, neque Dominationum, neque Principatuum socius esse cupiebat, sed cum hac delectatione magis esse extremus optabat. Hoc enim erat illi maximum & singulare tormẽtum ab hac

chări-

charitate discedere. Hæc illi erat gehenna, hæc sola pœna, hæc infinita & intoleranda supplicia. Sicut etiam perfrui charitate Christi, hoc illi vita, hoc mundus, hoc Angelus, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera. Sic despiciebat vniuersa quæ cernimus, vt solet herba iam putrefacta contemni. Tyrannos verò ipsos & populos spirantes furorem, velut esse quosdam culices existimabat. Mortem verò & cruciatus, & mille supplicia quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret. Tunc enim amplectebatur libenter, & decorabatur vinctus catena magis (in carcere) quàm diademate coronatus. Etenim coarctatus carcere, habitabat cœlum, &c. Et alibi. *De magnis illis quid dicam? Etiamsi nullam haberet mercedem res ista, hoc tamen solum magnum est præmium, hoc multa retributio, quod ista mala propter dilectum feruntur. Et. Non est ideò bonum pro Christo ligari, quia inde regnum cœlorum acquiritur: sed ideò bonum, quod pro Christo fit. Non ideò beata prædico vincula, quod in cœlum destinant ligatum, sed pro Domino cœli feruntur. Hactenus ille.* adiectis alijs multis & pulcherrimis rationibus: quod de cathe-

Chrysost. epist. ad Ephes. hom. 8 & ad Coloss. 12. hom.

nis, de ijs etiam omnibus accipi debet, quæ ad Dei laudē agimus aut patimur: vt scilicet omnia ad Deum referamus, neq; in alio quoquam laborum nostrorum finem collocemus, quàm in charitate Dei. Quod ait: *Non est ideò bonum pro Christo ligari*, intellige vt post explicabimus. & est forma sermonis, quia ponimus tanquam possibile, quod tamen fieri non potest: nam in cœlo, beatitudine, & charitate Dei idē accipimus. neque est quod de cœlesti gloria sibi quisquam promittat, qui non introeat per ostium charitatis. Quamobrē illa Chrysostomi sententia est, quemadmodū in sequentibus patebit, quod viri boni & perfecti potius animum illius æstiment, qui dat, quàm donum. Ait alibi: *doleamus non eò quod tormētis subijcimur, sed, &c.* Hoc est, sit ea doloris nostri causa & ratio potissima, quoniam in Deum deliquimus.

Chrysost. in Matth. hom. 37. sub finem. Ait Chrysostomus: *Etsi multi Gehēnam omnium malorum supremum atq; vltimum putant: ego tamen sic censeo, sic assiduè prædicabo, multò acerbius Christum offendere, quàm Gehennæ malis vexari. Hortor vos atq; oro, vt mecū hac in re sentire velitis: hoc enim modo & Gehennam fugiemus, & Christi gloria perfruemur.*

Chrys. de fide Anna Iterum. *Anna Samuelis, non simpliciter Deo*

Deo loquitur: lætata sum, sed lætata sum hom. 1.
in salutari tuo. non exulto quod benè mihi 1. Reg. 2.
sit; sed quod per te Deus meus, quod tu vocē deprecationis meæ exaudieris. Ad eum modū afficitur anima sanctissimi cuiusq́;, quæ in Deum datorem tota conuersa, doni magnitudinem peraq́;. non attendit: quia scilicet Deum ipsum sui amoris finem ponit, non munera, quæ eatenus probat & accipit, quoniam de manu Dei veniunt. Hoc vtiq; decet gratos famulos & ministros, vt Deo suo primas iure meritoq́; debitas semper tribuant: atq; vtinam nostrûm omnium sit idem animus, vt cum in peccatum aliquod delapsi sumus, omnibus modis doleamus: non quia pœnas & tormenta sentimus, sed quod Dei offensam scelere nostro incurrimus. Iterum. *Si benè quicquam in nobis factum est, respectus noster non erit ad præmium cæleste, sed quia actiones nostræ illi placuerint, qui cælorum Dominus est, lætari possumus. Enimuerò cor viri intelligentis timet Deum offendere, quàm vel Gehennam vel aliud quiduis: maioris facit Dei bonitatem, quàm regnum & imperia. Est singularis illa Dei gratia, adeoq́; præstantissimū munus, si cui contingat pro Deo quicquam pati, & vera & perfecta corona, & merces in hoc seculo talis & tanta, quæ respon-*

respondeat futura gloria: quod ijs solis exploratum est, qui Deum toto corde diligunt.

Chrysost. tom. 3. in illud Pauli. Habentes eundem spiritum. hom. 3.

Iterum. *Sunt hodiè qui suis filijs tanquam seruis imperant, cuius rei culpa in filijs est; quorum mores in causa sunt, & huiusmodi institutionis occasionem subministrant parentibus. Hoc modo Deus, cum Euangelij splendor mundo nondum illuxisset, minis & terroribus populos regebat tanquam seruos, qui aliter tractari non possent: neq; tamen tum defuerunt qui alio modo eruditi sunt, vt Abel, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, Ioseph, Helias, &c. Et illi omnes qui ad repromissionem noui Testamenti actiones suas referebant. nos vtiq; per charitatem illis assimilabimur, qui scilicet liberali ingenio, recto iudicio, ingenui & deditissimi filij, nullo seruili timore ducti ipsi despiciebant quid diceret: neq; ad hoc legibus aut mandatis opus fuit, adeò non territamenta, denunciationes, & illud væ Propheticum mouendis illis requirebatur, qui sese sponte & libenter conferebant ad perfecta virtutum. Quamobrem alio Deus modo vsus est ad tractandum populum & infirmam plebem, quæ humi serpere sueta, neq; dum attollere oculos didicerat, neq; vllam de futuris rebus significatio-*

Ibidem hom. 4.

nem perceperat. illis igitur temporanea attribuit tanquam solatia, quibus quasi medijs praparari possent ad exercitia honestissimarum virtutum: sed qui generosi erant, quorum animi diuinioribus studijs imbuti, qui Noui Testamẽti promissinem certa spe acceperant, puta Heliam, Helizeum, Ieremiam, Esaiam, Prophetas, &c. eos omnes ad cœlos euocabat: & illa qua se diligentibus incomprehensibilia & immortalia in futuro praparauit. Hebr. 11.

Rectè Chrysostomus, quemadmodum & in Clemente suprà notauimus, à vulgò separat viros sanctos & praeclaros. Nam si qui de meliore nota sunt, non ideò tamen abiecti qui in infimo gradu sunt; erit & illis salus. Ait enim: *consideratio regni cœlestis & pœna infernalis operetur in nobis vita & morum emendationem quod ait Sapiens: Fili memorare nouissima tua, & in aternum non peccabis.* Item. *Homo natura ad omnem humanitatem & virtutem institutus, ille non alicuius spe pramij, non timore pœna, sed propter Christum Christo seruiet, exemplo Pauli, qua tamẽ vtraq; iugi considerandasunt nobis meditatione: si quomodo à vitijs exsurgamus, eaq; amplectamur qua docet. Si qua voluptate afficeris, veniat in memoriam regnum Dei, com-* Eccles. 7. Chrysost. in 2. Thess. 1. hom. 2. Concil. Trident. sess 6. cap. 11.

paratione

paratione huius vilescit. Si quis terror, pœna vel atrox incurret, comparatione Gehennæ voluptas reputabitur.

CAPVT XXXVII.

HABET TESTIMONIA Sanctissimorum Hieronymi & Augustini.

Hieronym. epist. ad Damasum de fil. prod.

TEmpus est vt Hieronymũ audiamus: *Perfecta*, inquit, *dilectio foras mittit timorem. Nam qui diligit, non ideò imperata custodit quia aut timore pœnarum aut præmij auiditate compellitur: sed quia hoc ipsum quod à Deo iubetur, est optimum.* Iisdem temporibus Augustinus: *Cupimus quidem etiam bello carere, & ad capescendam ordinatissimam pacem, vbi firmissima stabilitate potioribus inferiora subdantur, igne diuini amoris accendi: Sed si, quod absit, alibi tanti boni spes nulla esset, malle debuimus in huius conflictionis molestia remanere, quàm vitijs in nos dominationem non eis resistendo permittere. Nam virtus sibi ipsa ad mercedem sufficit, etiam cum nihil amplius consequitur.*

August. de ciuit. Dei lib. 21.c.15.

August. in Ioan. tract. 101. item in

Et alibi in hanc sententiam. *Christus*, inquit; *Hæc est vita æterna, vt credant te verum Deum, &c. Hic fructus omnium*

nium Ecclesiæ laboram est, quos illa iam parit cum gemitu & dolore, tum læta producet & exultans: iam gignit in spe, tum in visione. iam rogat & petit, tum laudes & benedictiones offeret. Ideoq; perfectum hoc est, quia omne opus & seruitium, & quicquid benè agimus eò tendit, ad hos fructus & in hanc visionem refertur: hic liber expetitur non alterius rei gratia, sed propter sese. Hic scopus & finis rerũ omniũ est. Huius gratia viuimus, morimur: ideoque nihil supra aut pter hoc desideramus. Hoc Philippus sentiebat, cũ diceret: Ostẽde nobis Patrẽ, & sufficit nobis. Hactenus ille. Vbi vide vitã æternam, librũ vitæ, & Deum ipsum eandẽ habere significationem, neq; vllo sensu separari. Item *Qui propter beatitudinẽ sempiternã & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittuntur, vult fieri Christianus, vt nõ eat in ignẽ æternũ cũ diabolo, sed in regnũ æternũ intret cum Christo; verè, ipse est Christianus: cautus in omni tentatione, ne prosperis reb⁹ corrumpatur, & ne frangatur aduersis. Qui etiam proficiendo perueniat ad talẽ animum, vt plus amet Dominum, quã timeat Gehennam. vt etiã si dicat illi Deus: vtere delicijs carnalibus sempiternis, & quantũ potes pecca, nec morieris, nec in Gehennas mitteris:*

Psal. 118. & 53. & serm. 1. fer. 2. penthec. et de Cant. Dei lib. 10. cap. 4.

Ioan. 14.

Aug. de catechizan. rudibus. cap. 17.

sed

sed mecum tantummodò non eris: exhorrescat, & omninò non peccet. Non iam, vt in illud quod timebat nõ incidat, sed ne illũ, quem sic amat, offendat. In quo vno est requies, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quam

Ibidẽ. c. 25. *præparauit diligentibus eum.* Idem alio loco. *Omnes deliciæ Deus erit, & societas sanctæ ciuitatis in illo, & de illo sapienter*

Lib. 10. confess. cap. 22. 20. item de Genes. ad litt. lib. 8. cap. 11. *beateq; viuentis.* Et alio loco. *Est gaudium, quod non datur impijs, sed eis, qui te gratis colunt, quorũ gaudium tu es ipse. Et ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te, & non altera. Qui autem putant aliam esse, aliud sectantur gaudium, neq; ipsum verum. ab aliqua tamen imagine gaudij, eorum voluntas non auertetur.*

De cathechiz. rudib. c. 24. Iterum. *Sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte potest simile inueniri gaudio vitæ æternæ, quam Sancti accepturi sunt: ità nullus cruciatus pœnarum temporalium potest sempiternis inimicorum cruciatibus comparari.*

Idem de lib. arb. lib. 3. cap. vltim. Iterum. *Tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta iocunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis veritatis atq; sapientiæ, vt etiamsi non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ, pleni delicijs & circumfluentia temporalium*

bono-

bonorum rectè meritoq; contemnerentur. Atque hoc loco obseruandum est quod ait: *Vnius diei mora:* cum veritas habeat, qui eò semel venerit, nunquam inde discessurum. Sed, inquit, vt hoc ponamus: non alium rectè factorum fore mercedem: & libertatem peccandi quibusdam tribuere Deum, atque adeò, neque cœlum, neque æternitatem, neque mercedem aliquam post hoc seculum sperari, erit peræquè Deo & virtuti incumbendum. sunt enim formæ loquendi vt supra diximus. Iisdem ferè temporibus Leo, eius nominis primus: *Diligenti Deum sufficit ei placere, quem diligit: quia nulla maior expetenda est remuneratio, quàm ipsa dilectio. Sic enim charitas ex Deo est, vt Deus sit ipse charitas. quod vtiq; pius & castus ita gaudet animus implere, vt in nullo extrà illum cupiat delectari. verissimum namq; est quod dicit Dominus: Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum.*

Leo serm. 7. de ieiun. sept. mens.

Matth. 6.

CA-

CAPVT XXXVIII.

REFERT EX SANCTO BERnardo, Diuo Thoma, & alijs, quæ ad Amoris explicationem.

Reliquum est, vt illorum testimonia proferamus, qui nō ita remoti à patrum nostrorum memoria, in eandem tamen doctrinæ vnitatem consenserunt. Inter quos primum sibi suo iure locum vendicat Bernardus: qui cum de ijs egisset, qui in Dei seruitio prosperam fortunā & alia caduca ambiunt, qui metu Gehennæ, aut vt spiritalem in anima gustum & deuotionem sentiant, aut tandem vt filij Patrem reuerentur & colunt spe hereditatis & gloriæ cœlestis, ita ait. *Inuenitur tamen alter gradus sublimior, & affectus dignior isto; cum penitus castificato corde nihil aliud desiderat anima, nihil aliud à Deo quærit, quàm ipsum Deum. Crebro siquidem dedicit experimento, quoniam bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti ipsum, ita vt iam ex affectu cordis & sententia clamet illud de psalmo: Quid mihi enim est in cœlo, & à te quid volui super terram Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Neq;*

Bern. de varijs animæ affectionibus. *Rom. 8.* *Psal. 126. & 118.* *Psal. 72.*

enim

enim suum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quicquam tanquam priuato suipsius amore desiderat anima quæ huiusmodi est, sed tota pergit in Deum, vnicumq; ei ac perfectum desiderium est, vt introducat eam rex in Cant. 3. 8.
cubiculum suum, vt ipsi adhæreat, & ipso fruatur. Vnde & iugiter reuelata facie quoad potest cœlestis sponsi gloriam speculando in eandem imaginem transformamur de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Ex hoc planè audire meretur: Tota pulchra es amica mea. Audet & ipsa loqui: Dilectus meus mihi, & ego illi. Atq; in huiusmodi fœlicissima & iocundissima confabulatione delectatur cũ sponso. Exigit Deus timeri vt Dominus, honorari vt Pater, vt sponsus amari. Quid in his præstat, quid eminet? nempe amor: absq; hoc & timor pœnam habet, & honor non habet gratiam. Seruilis est timor, quamdiu ab amore non manumittitur: & qui de amore nõ venit honor, nõ honor, sed adulatio est. Is per se sufficit, is per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium sibi est amor, præter se non requirit causam, non fructum. fructus eius vsus eius. Amo, quia amo: amo, vt amem. Cum amat Deus, non aliud vult quàm amari: quippe non ad aliud amat,

1 Cor. 6. 2. Cor. 3. Cant. 4. & 2. Idem in Cant. serm. 83. Malach. 1.

nisi

nisi vt ametur, sciens ipso amore beatos qui se amauerint. Magna res amor sed sunt in eo gradus. sponsus in summo stat. Suspectus est mihi amor, cui aliudquid adipiscendi spes suffragari videtur. Impurus est, qui & aliud cupit: purius amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ

Psal. 98. *damna sentit. Spōsa hic est, quia hoc sponsa est, quæcumq; est. Esto quod honor regis diligat iudicium: sed sponsi amor, imò sponsus amor solam amoris vicem requirit & fidem.* Bernardus in amore ipsum Deum intelligit, quemadmodū & Apostolus:

1. Ioan. 3. *Deus charitas est; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Atque ideò quod ait: *impurus est amor qui aliud cupit:* accipe, si nō hoc ad Deum referat, ad laudem Dei, si non illius causa & ratio Deus sit. Ait iterum Bernardus: *Quærit anima verbum, cui consentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad sapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad iocunditatem. Non sine præmio diligitur Deus, etsi absq; præmij intuitu diligendus sit. Vacua namq; vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est. Quippe non quærit quæ sua sunt. Affectus est non contractus: nec*

In Cant. serm. 85.
Ioan. 1.
Genes. 2.
D. Bern. tract. de dilig. Dio circa medium.

acquiri-

acquiritur pacto, nec acquirit. Sponte afficit, & spontaneum facit. verus amor seipso contentus est. Habet præmium, sed id quod amatur. nam quicquid propter aliud amare videaris, id planè amas quo amoris fine pertendis, non propter quod tendit. Paulus non euangelizat vt comedat, sed comedit vt euangelizet: eò quod non amet cibum, sed Euangelium. Verus amor præmium nõ requirit, sed meretur. Præmium sanè necdum amanti proponitur, amanti debetur, perseueranti redditur. Deniq; in rebus inferioribus suadendis, inuitos promissis vel præmijs inuitamus: & non spontaneos. Quis enim munerandum hominẽ putet, vt faciat quod & sponte cupit? Et postquam aliquot amoris gradus exposuisset, ita ait: *Ex occasione frequentium necessitatum crebris necesse est imprecationibus Deum ab homine frequentari, frequentando gustari, gustando probari quàm suauis est Dominus: Ita fit, vt ad* Psal. 33. *diligendum purè Deum plus iam illius gustata illiciat suauitas, quàm vrgeat nostra necessitas. Iste est tertius amoris gradus, quo iam propter seipsum Deus diligitur. Sic amat, qui didicit; Confitemini* Psal. 117. *Domino, quoniam bonus. Fœlix qui meruit ad quartum vsq; pertingere, quatenus nec seipsum diligat homo, nisi propter*

 Deum.

Deum. Quando huiuscemodi experitur affectum ut diuino inebriatus amore animus, oblitus suis factusq; sibiipsi tanquam vas perditum totus pergat in Deum, & aharens Deo, unus cum eo spiritus fiat. Beatum dixerim & sanctum, cui tale aliquid in hac mortali vita rarò interdum, aut vel semel & hoc ipsum raptim, atq; unius vix momenti spacio experiri donatum est. O pura & defecata intentio voluntatis, eò certè defecatior & purior, quò in ea de propria nil iam admixtum relinquitur; eò dulcior & suauior, quò totum diuinum est, quod sentitur. Sic affici, Deificari est. Impossibile est tota hac ex toto ad Deum colligere, & diuino infigere vultui, quamdiu ea huic fragili & ærumnoso corpore intenta & distenta necesse est subseruire. Tunc summum obtinebit facilè gradum, cum in gaudium Domini sui promptissimè & auidissimè festinabit. Putamus tamen hanc gratiam vel ex parte sanctos Martyres assecutos, in illis adhuc victoriosis corporibus constitutos. Magna vis prorsus amoris illas animas introrsus rapuerat, qua ita sua corpora foris exponere, & tormenta contemnere valuerunt. At profectò doloris acerrimi sensus, non potuit nisi turbare serenum, & si non perturbare.

De his lege D. Thomã opusc. de diuinis morib. cap. Nõ quærit Deus commodum suum. Et Alphõs. Madr. de vera Deo inser.

turbare. Deniq; cum cupiditas rectè à superueniente charitate ordinabitur, diligetur corpus et vniuersa corporis bona tantũ propter animam, anima propter Deum, & Deus propter seipsum. Nescio si à quoquã hominũ quartus in hac vita perfectè apprehenditur. asserant hoc qui experti sunt; mihi, fateor, impossibile videtur. Erit procul dubio, cũ seruus bonus & fidelis introductus fuerit in gaudium Domini sui.

D. Thomas auctor est: posse contingere, quod aliquis in operibus vitæ actiuæ plus mereatur, quàm alius in operibus vitæ contemplatiuæ; puta si propter abundantiam diuini amoris interdum sustinet, vt eius voluntas impleatur propter ipsius gloriam à dulcedine diuinæ contemplationis ad tempus separari, sicut Apostolus dicebat: Optabã ego ipse es-*se anathema à Christo pro fratribus meis. quod exponens Chrysostomus, dicit: ita totã mentem eius demerserat amor Christi, vt etiam hoc, quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat esse cũ Christo, rursus idipsum, & placeret Christo, contemneret.* Quo quidem ille significat, eos esse purissimos, optimos, & summa mereri, qui sibi præ alijs omnibus voluntatem & beneplacitum Dei sequendum existimant. Ne verò illa omnia, quæ vir

Tho. 2. 2. qu. 182. art. 2. in corp.

Rom. 9.

Chrysost. lib. de compũct. cord.

Thom. opusc. de perfect. cap 18. pulchrè.

ſanctus copioſè & eleganter alijs locis retulit ad faſtidium proſequeremur, loca in margine aſſcripſimus. *Anima*, ait Dionyſius, *Deum affectuoſiſſimè & deuotiſſimè affatur, affirmans ſe extra Deũ nihil appetere, Deum finaliter deſiderare, in eius dilectione & contemplatione prorſus deficere: vel quia non valet eum tam clarè cognoſcere, tamq; ardenter diligere ſicut ille cognoſcibilis amabilisq; conſiſtit. vel quia ex feruida dilectionis exceſſu cõtemplationisq; raptu infirmata ſit corpore, & corde alienata à ſemetipſa. Poſtremùm etiam eligit omnibus derelictis Deo totaliter adhærere, atq; in eo purè confidere, & hoc non ob proprium præmium, cum reflexione ad ſe, ſed vt omnes laudationes Dei pronunciet.* Iterum. *Confitemini Domino, quoniam bonus; hoc eſt, propter ſeipſum. in natura enim & eſſentia ſua bonus eſt, vt apud Matthæum dicat: Nemo bonus niſi ſolus Deus. Neq; ſolum confiteri Domino debebis, quod in ſeipſo bonus ſit: ſed etiã quoniam bonus eſt, & bonitatem ſuam exercet in nos.* Quæ omnia diligenter retinenda ſunt.

Thom. opuſc. de diuin. moribus & in ſent. diſt. 26. qu. 2. art. 1. ad 3. & diſt. 29. art. 4.
Dion. Carthag. in fine.
Pſal. 72. & philo de vita contempl.
In pſal. 117.
Matth. 19.
Vide Ruard. Tapper. art. 8. & 11.

* * *

CA-

CAPVT XXXIX.

QVO SENSV ACCIPI DEbeant, quæ capitibus aliquot de Amore dicta sunt.

AIt Propheta: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem:* quem locum enarrans Augustinus: vt inquit, *in æternum diligens, in æternum mereatur habere quod diligit.* Retributio enim gaudium est, & vita sempiterna.

Psal. 118.
Aug. & Dionys. carth. in hunc locũ.

Quæstio.

Propter mercedem operari, non amici aut filij, sed mercenarij est. quid igitur se benefecisse dicit *propter retributionẽ?*

Responsio.

Quemadmodum amor ille, qui purè seruilis est, nihil meretur: ita neque opus quod respectu solius mercedis fit. quoniam vtriusque eadem radix est in Philautia. Sed vt timor initialis (quem vocant) admistus charitati meritorius est: ita & opera quæ respectu aliquo mercedis fiunt, si tamen intentio ad Dei gloriam refertur. qui scilicet in omni opere bono, quo mereri quisquam speret, præ-

cipuè in oculis habendus est. Postremùm quemadmodum purus ille & filialis amor Deo acceptissimus est: ita qui toto animo Dei laudem quærit, eum in oculis iugiter habet, & solo Dei amore ductus benefacit, ille scilicet & sanctitate & merito alios omnes multum antecellit: quoniam illius operum causa & radix est in amore Dei. operatur tamen & ipse, sed implicitè propter mercedem, quam requirit non sui commodi causa, sed amore Dei: quoniam non in alio quoquam nisi in solo Deo summum bonum collocat. Timoris species alibi explicatæ sunt, vnde horum intellectus peti posset, atque ideò huc transcribemus: *Cum passim Sacra litera doceant nos timere Dominum, meritò in eo totius vitæ fundamentum nobis ponendum est, sed cum varia huius verbi significatio sit, illud tenendum est, esse timorem qui inter passiones connumeratur, sed vbi ab hac inferiore animi parte nonnihil ascenderis, alius erit timor, cuius mentio in Scripturis multa est: huius prima species seruilis dicitur; cum solo hoc respectu à peccatis temperat homo, ne pœnas & infamiam incurrat: cæteroquin ab animo malè affectus, & in vitium procliuis. Atq; hic timor sine charitate*

De monte cap. 2.

ritate, à Deo tamen est, tanquam primus gradus ad sapientiam. quo dum sibi proponit iudicium Dei, mortem, & pœnas inferni, expergiscitur tandem & agnoscit scelerum grauitatem, dat se lachrymis, precibus, ieiuniis, & à peccatis in Deum conuertitur. Hic timor sapientiam et charitatē inducit sed iis subeuntibus, exit: perfecta enim charitas foras mittit timorem. ***Altera species Initialis nomen habet. Hoc timore incipit amor, vt nō tantum pudore hominum à vitiis deterreatur, sed Dei reuerentia vltrò sibi temperet. Et quia nec sic planè purus ab illo pœnæ metu, accedit tertia, & inchoatū timorem perficit, qua filialis dicitur. quo timore instituta anima, vt patrem & sponsum suum reueretur & timet, associata Angelis & beatis spiritibus in cœlo, infirmitatis suæ cōscia, Dei maiestatem veneratur, & adorat.*** Atque illa comprehendi à nobis facilè possunt, si memores sumus verborum Pauli: ***Si habuero,*** inquit, ***omnem fidē charitatem autem non habeam, nihil sum.*** Pro charitatis enim pondere & momento meritorum ratio habetur, vt iam dictum est. ***1. Cor. 13.***

Intelligamus & hoc de sententia Doctorum, quod illi qui non in Deum actiones & studia sua referunt, sed spe vitæ æternæ duci videntur, nequaquam *D. August. lib. 10. confess. cap. 22.*

capiant in quo vera salutis ratio posita sit, quod voluptatũ illecebras, aut campos Elisios poëtarum deliramentis acti, imaginentur, nullo respectu visionis & aspectus Diuini. Sed; *Hæc est vita aeterna, vt cognoscant solum Deum verum.* Si *nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto* (nimirum vt ex eo quidquam mereatur) an aliter se quisquam capere posse speret quæ retributio sit in cœlis, quæ vera salus, nisi in Sancto Spiritu, & charitate Dei?

Ioan. 17.

1. Cor. 12.

Atqui ea est nostræ naturæ malicia vel infirmitas, tantus amor nostri, quod subinde cœlestis regni gloriam cum matre Zebedæorum humanis iudicijs vel affectibus metiamur. Sunt tamen, qui Deo seruiunt, simplices & puri homines, atque eam spem vitæ æternæ non nisi in genere apprehendunt, quemadmodum tum à Christo, tum ab Ecclesia proponitur in postremo Symboli articulo; & erunt sine dubio salui, atque adeò maiore loco, quàm illorum quidam qui subtilissimis & acutissimis quæstionibus omnia irrepunt. Neque non ideò verissimum est qui vtroque iuxta valent germana quadam simplicitate, tum etiam ingenio, & sapientia mandatorum Dei, timore, charitate, humilitate,

Matth. 20.

militate, &c. summo loco fore.

CAPVT XL.

QVOD EXERCITIA, CAVSÆ, fines, & scopus ipse piorum hominum, varijs & differentibus verbis in Sacris literis explicentur.

PAtet hoc docente Scriptura, tum etiam Sanctissimorum hominum testimonijs, cum viri optimi se totos Deo dedissent, eius tamen obsequij causam, finem, &c. diuersis quidem verbis referri, quæ tamen in re conueniant. Iam enim multotiens dictum est pro diuersitate hominum diuersis etiam quemque exerceri: quæ tamen eundem finem, vnum Deum, &c. profiteantur & respiciant.

Quidam in simplicitate Deo seruiunt spe vitæ æternæ. Rogat aliquis Christum: *Magister, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quidam vt perfecti sint, quibus à Christo dicitur in persona Adolescentis: *Si vis perfectus esse, vade, & vende* omnia

Matth. 19.
Marc. 10.
Luc. 18.
Ioan. 16.

Genes. 15. *omnia quæ habes, &c.* Quidam, *vt gaudium eorum sit plenum.* Quidam Deum pro mercede sua reputant. *Noli,* ait, *timere, ego protector tuus sum, & merces*
Genes. 2[illegible]. *tua magna nimis.* Iterum. *Quia non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.*
Vide lib. de Quidam propter retributionem, quam
Monte c. 5. expectant in hoc & in futuro seculo, tum in anima, tum in corpore. Quidam vt testimonium prębeant se Deum
Ioan. 14. amare, vtque ab eo amentur. *Qui habet mandata mea, & seruat ea: ille est qui diligit me. qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, &c.*
Ioan. 15. Quidam vt glorificetur Pater: *In hoc*
Matth. 6. *clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei di-*
1. Ioan 3. *scipuli.* Quidam spe Deum videndi. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Aliàs legimus.
1. Ioan. vlt. *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Qui-
1. Ioan. 3. dam etiam vitam ponere in salutem
Luc. 18. proximorum parati sunt, quoniam idem Christus fecerit. Quidam cum Publicano dolent, & dicunt: *Propitius esto mihi peccatori.* Quidam cum Pau-
1. Cor. 9. lo: *Omnibus omnia fiunt, vt omnes sal-*

uos

uos faciant. Omnia autē faciunt propter Euangelium, vt participes eius efficiantur. Iterum. *Omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Alibi ait: *Facite omnia ad gloriam Dei* Iterum. *Quotidiè morior propter gloriam vestram fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro.* Iterum. *Gloria vestra sumus, sicut & vos nostra in die Domini nostri Iesu Christi* Item. *Quæ est nostra spes? aut gaudium? aut corona gloriæ? nónne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? vos enim estis gloria nostra, & gaudium.* Quidam cum Patriarcha Iacob multis simul intendunt. dicebat enim: *Si Dominus fuerit mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusq; fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus, &c.* Quidam cum latrone dicunt duntaxat: *Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum.* Quidam in eo toti sunt, ne condemnentur; exemplo Pauli: *Castigo,* inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Postremùm, vocat nos Deus aliquando

Philip. 3. *1. Cor. 10.* *1. Cor. 15.* *2. Cor. 1.* *1. Thess. 2.* *Genes. 28.* *Luc. 23.*

temporarijs promissis; quemadmodum fere toto Testamento Veteri: aliquando spiritalibus, quemadmodum in Nouo: aliquando temporarijs & spiritalibus simul: *Quarite primum regnum Dei, & hac omnia adijcientur vobis.* Quorum omnium eadem ratio est. Neque enim vnum sine altero intelligi potest. Et primo intuitu patet, licet verbis non semper efferatur. Noui, ait Deus, vos esse infirmos, non sufficitis ingenio ad multa simul: & certè apud me (cui omnia, etiam intrinseca cordium patent) nihil necessum est: quemadmodum præcepi vobis, ne, cum oratis, multis verbis vtamini. Nam qui verborum multitudine ad Deum occupantur, illis ferè perit germana simplicitas, & deuotio, atque finis ipse orationum, qui per ynionem est & quietem in Deo, amittitur. *Dilectus meus mihi, & ego illi,* ait Sponsa in Canticis. Non aliò diuertimus, nihil aliud quærimus. Docet nos Climacus: *Noli verbis excultioribus in oratione tua vti. Sæpè enim infantium simplicia & pura & balbutientia verba Patrem suum, qui est in cœlis, placauerunt. Noli conari multum loqui, ne mens tua ad inquisitionem verborum distendatur. Multũ in oratione loqui men-*

Matth. 6. Marc. 10. 2 Cor. 9.

Matth. 6.

Greg. Nazianz. de Theol. lib. 1.

Cant. 2.

Ex Climaco gra. 21. de oratione.

tem sæpè imaginibus illusit, intentionem dissoluit. Parum autem aut vnum etiam verbum in oratione loqui colligere mentem consueuit. Orationis initium est, luctus in animo aduenientes, solo & tacito mentis imperio ex ipsis initijs fugare: medium verò cum in his quæ dicuntur vel cogitantur, mens tota est: finis autem raptus in Deum. Quid est mihi in cœlo? Nihil nisi semper in oratione tibi absq; vlla distractione adhærere. Neq; vero quispiã putet hic à nobis reprehendi Horas Canonicas, tanquam illarum vsus & institutio non omni laude digna sit, de quo orationis genere, quãuis diuino, & probatissimo nihil nunc agimus: sed quomodo sese quis simpliciter Deo vniat, curas, & inania omnia procul ab animo semoueat. Illa enim tanta solicitudo de Gentilium more est. testimonio Christi verba ponimus: *Orantes nolite multum loqui sicut Etnici: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* quod infirmitatis nostræ fidei documentum est: tanquam verò rationes nostras Deus non haberet perspectissimas, nisi à nobis carptim, & morosè de singulis edoceretur. Ridet Helias pseudoprophetas Baal, & clamat: *Clamate voce maiore. Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuer-*

Dionys. Carth. in 1. Reg. 1. Et Eccles. 20.

Matth. 6.

3. Reg. 18.

sorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur. Clamabant ergo voce magna, &c Quandoquidem igitur hominis ingenium ad multa non sufficit, neque oratio nostra momētum magnum habitura est, quando multis simul intendimus, nimirum consultè, & magna ratione bonorum, vti edixit Dominus ad exemplum Salomonis, optima quæque eligemus. Possumus tamen tanquam ex adiectione (ita, si eo neque turbemur, & Deus velle videatur) aut alijs multis caussis, in precibus nostris tum hæc tum illa quęrere, aut etiam vniuersè plura simul. Quæ omnia pro simplicitate sua à quouis intelliguntur, nec quisquam est, qui rogatus idipsum non fateatur, quod scilicet Deum primùm, & potissimè quærat, quamuis aliud aliquid à Deo sibi cōcedi petat. Quamobrem non est quod ingenio suo quisquam vim inferat, sed simplici & pura fide, spe, & charitate in Dei mandatis se exerceat: ab eo pro incredibili bonitate sua hoc precibus exoptet, vt illius luce illustretur ad orationes, volūtate semper parata & apta, quatenus, & quando hoc cum salute animæ suæ futurum est: atq; ita quieti & securi, generali quadam voluntate hoc solum cupiunt, quod Deo placitum est. *Cum simplici-*

Matth.6.
3.Reg.3.
de Monte cap.5.
Prouerb.3.

ſimplicibus enim ſermocinatio Domini.

Poſtremùm, Chriſtus ipſe nos docturus, ad quid et quo fine petere debeamus à Deo, ſeptem petitionibus omnia concluſit, vt videre eſt in oratione Dominica. Eædem enim cauſæ ſunt petendi, & ſeruiendi Deo. Nam oratio inter potiſſima ſeruitij noſtri eſt. Eccleſia enim vt pia Mater, ad orationem & preces exemplo nobis prȩit: ***Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati audemus dicere:*** Pater noſter, &c. quo ſcilicet nos docet ſic nos orare, quoniam ita Deo viſum eſt, & mandat vt preces offeramus, aut labores eo nomine ſubeamus. Nam quod petimus: *Sanctificetur nomen tuũ*: an non eò docemur gloriam Dei, & beneplacitum primum quærere? vtque ad eum finem actiones, & opera noſtra omnia tendant? Ita enim ſanctificatur & glorificatur Pater, in illo gaudemus, vnum cum illo volumus: ille in nobis, & nos in illo ſumus: *Exaudi nos Deus propter temetipſum. Propter nomen tuum Domine viuificabis me. Propter gloriam nominis tui Domine libera nos. Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius.* Et Eccleſia: *Libera nos Domine propter gloriam & honorem* *Ioan. 15.* *Pſal. 142.*

Ps. 28. *norem nominis tui.* Quamobrem omnes petitiones omnium Sanctorum ad gloriam & honorem Dei referebantur. *Siue mãducatis* (inquit ille) *siue bibitis, in gloriam Dei facite.* Neque est quod præstare maius possimus, quàm si in omnibus suauissimam Dei voluntatem amplectamur, illius Inspirationes, doctrinam & mandata semper attendamus, quod nobis ille tribuat, qui est benedictus in æternum.

1. Cor. 10. Aug. de Gen. ad literam lib. 8. cap. 6.

CONCLVSIO EORVM QVÆ hactenus de Amore ex decre. Conc. Tridentini. Verba Concilij Tridentini.

IVstificationis causa sunt: finalis quidem gloria Dei ac Christi, ac vita æterna: efficiens verò misericors Deus, qui gratuitò abluit, & sanctificat, signãs & vngens spiritu promissionis Sancto: qui est pignus hæreditatis nostræ: meritoria autem dilectissimus vnigenitus suus Dominus noster Iesus Christus: qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno Crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit: Instrumentalis item Sacramentum Baptis-

Sess. 6. ca. 7.

ptismi. Denique vnica formalis causa est Iustitia Dei. Iterū. *Constat eos orthodoxæ Religionis doctrinæ aduersari, qui statuūt in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando,* *ca. 11. ibid.* *cum hac, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoq; intuentur æternam: cum scriptum sit: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem. Et de Moyse dicat Apostolus: quod respiciebat in remunerationem.* *Psa. 118.*

Atq; ita satis iam patet, quo fine, qua causa Deo seruiamus, & virtutes operemur: Primùm quidem ad honorē Dei, tum etiam spe remunerationis vitæ æternæ; cuius beatitudinis & perfectissimi status compotes nos faciat Saluator noster Iesus Christus, Amen.

CAPVT XLI.

QVOMODO AMATORES HI *comparentur holocaustis; de quibus multa mentio in Veteri Testamento.*

INter cætera quæ Domino offerebantur, gratissimum & suauissimi odoris erat Holocaustum, id quod multis Sacræ Scripturę testimonijs liquidò constat; cum figurata significatione viuæ & æternæ iu Cruce hostiæ Iesu Christi: qui non quæ ipse vellet, sed de voluntate Patris egit omnia, *Obediens factus vsque ad mortem Crucis.* Et quidem in huius explicationem multa & magna afferri possent, nobis hic satis sit, quod ardens totum puluerem vsque consumebatur: significans animam commotam & ardentem igne diuini amoris.

Exo. 29. Leuit. 36. Num. 28.

Ait Augustinus: *Quid est Holocaustũ? totum incensum, sed igne diuino. Holocaustum enim dicitur sacrificium cum totum accẽditur. Alia sunt partes sacrificiorum, aliud holocaustum, quando totum ardet, & totum consumitur igne diuino, Holocaustum dicitur: quãdo pars, sacrificium: sed non omne sacrificium holocaustum.*

Aug in Psal 65. & 49. 50. et 64. & quast in Iudith. lib. 2. ca 53. Greg. in Iob. li. 1. ca. 19. 27. Thob. opusc. de perfec. cap. 11.

Atq; hîc amatores illos intelligimus, qui incensi igne charitatis, nihil in animum admittunt, quod Deo complaci-

tum

tum non eſt. De hoc Chriſtus loquitur: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* Et alibi: *Deus noſter ignis conſumens.* In igne tria ſunt: ardet, conſumit, lucet. Illuminatus erat Lucifer, & alij videntur eſſe; ſed non ardent neque conſumuntur, atq; illi licet cognitione illuſtri *Nouerint myſteria omnia*, carent tamen illa charitate quæ ardet, *& peccatorum multitudinem operit.* Sed amatores noſtri offerunt ſe Deo in holocauſtum ſuauiſſimi odoris, quoniam modis omnibus acceptiſſima, & gratiſſima eſt Domino, atq; illi ipſi, qui offert, leuis & iocunda hæc oblatio. *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Qui enim toti in Deum feruntur, toti ſeruiunt prompti & amantes, illis tota hæc operatio in lætitiã & gaudium cedit, alia illorum ratio eſt, qui media ſui parte ſegnes, inuiti, negligentes, nullo ingenuo ardore ad officia diuina trahũtur. Rectè in hunc modum Bonauẽtura: *Si homo benè inebriatus amore ſui Creatoris eſſet, nihil in omnibus quæreret, niſi quomodo ſuo Creatori poſſet diligentius & perfectius deſeruire, & propriam penitus quantum poſſet voluntatem abſcinderet, ſolum, quæ magis crederet Deo placere cum impetu animi aſſequeretur.*

& ſic

Luc. 12. *Deut 4.* *Hebr. 12.* *Bern. de verb.* *Iſaia.* *1. Cor. 13.* *1. Pet. 4.* *Matth. 11.* *Aug. 8. lib. confeſ. c. 7.* *Bonauent. ſtim. diuini amor. par. 2. ca. 7.*

& sic in omnibus, & per omnia, non quæ sua sunt quæreret, sed quæ Iesu Christi. obliuisceretur quodammodo sui, solius Dei memor. Hic talis ac tantus præ feruore, & amoris magnitudine, vel immẽsitate non multum, vt credo, distingueret inter gradum & gradum, vitam et vitam, statum & statum, personam & personam, tempus & tempus, locum & locum: sed quocumq; modo, & quacumq; hora discernere posset quid amplius suo Creatori placeret, statim perficere conaretur: toto animi affectu tendens in Deum, semper suspirãs, semper anhelans, & ad seruiendum Deo suo in omnibus totus accensus, totus ignitus, nõ consideraret quid sibi suauius quid dulcius esset, sed in omnibus quid Deo amabilius. Hactenus ille pulchrè & eleganter, quæ benè intellecta ea omnia breuiter proponunt quæ suprà multis verbis explicuimus. Sequitur Adamus Sasbout vir pius, & doctus nostri seculi: cuius verba operæpreciũ erit si hìc adijciamus: Volumus, inquit, seruire Deo, sed in hoc loco, in hac ciuitate, sed apud cognatos, sed inter notos, &c. non hoc est sequi ductum fulgentis stellæ, sed affectum corruptæ carnis. Non hoc est: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Non habuit Propheta satis semel dixisse,

Adamus Sasbout hom. in festo Regum.

Psal. 56.

dixisse, paratum cor meum Deus: adiecit secūdò, paratum. Quare? nisi vt significaret se in omnem euentum paratum. Vis me in terra mea consistere, vt inter notos seruiam tibi, paratum cor meum. Vis vt de terra, de cognatione, de domo patris mei exeam atq; apud ignotos viuam; rursum paratum cor meū, in omnem euentum, & ad læta, & ad tristia, suauia & aspera. Hoc modo affectum esse oportet, qui inueniet, quò stella vocat eundum. Stellam dico lucem cœlitus menti infusam, qua cognoscitur natus Saluator, qui est Christus Dominus; quaque via ad hunc perducens mōstratur, quæ in varia scinditur discrimina. Sunt semitæ arctæ, & angustæ, sunt latæ, & spaciosæ, sunt & mediæ. Arcta est semita Paupertatis, Castitatis, et Obedientiæ professio. Lata, & spaciosa, quæ mandatis diuinis constat, hisq; absoluitur. Media ex his mixta, quæ nec mandatis contenta est, nec Consilijs omnibus inhæret, sed quædam amplectitur, quædam nō. Harum aliquam ingredi oportet eum, qui ad Christum, ad Regē natum peruenire vult. Et quosdam quidē ad arctam semitam capescendam lux inuitat; quosdam ad latam; quibusdam verò vt in medio sese teneant, monstrat.

Sed

Sed fit iam nescio quib. modis, vt quos monstrante Stella arctam carpere oportebat, latam ingrediantur: & quos in lata consistere, arctam inuadant, inuertũturq; omnia. Vt clarius dicam: multi coniugium ineunt, qui cœlibem in seculo vitam actitarent: multi rursum cœlibem in seculo vitam profitentes, in Religione degerent, & contrà, si Stellam attenderent: vnde in seculo naufragium patiuntur, qui in Religione naue incolumi portum tenuissent, & in Religione submerguntur, qui in seculo enatassent. Quod cum ita sit, quisq; diligenter Stellam obseruet, & abruptis omnibus, quò vocat, sequatur.

CAPVT XLII.

Quæstio.

SEd inquis: Attendo Stellam, verùm quà ire iubeat non possum liquidò deprehendere: nunc hac, nunc illac inuitare videtur: quo fit vt nec arctam capessam, nec latam ingrediar, sed consistens inter vtramque, flúctuem.

Responsio.

Matth. 5. Beati mũdo corde.

MVlti, ni fallor, eiusmodi sunt. Si cupis noscere, quò Stella vocat? hoc age; nuda cor tuum, hoc est, purga-

purgare ſtudeas ab omni affectione, qua vel carni, vel ſanguini, patriæ, &c. afficeris. Hoc vbi egeris, hucque perueneris vt promptum te ſentias in omnem euentum, paratumque ſequi, quò Deus vocat, ad quamcumque terram, quoduis etiã vitæ genus; ſiue in ſeculo cœlibem vitam agere, aut etiam coniugio deſeruire. Vbi huc perueneris, atq; hãc promptitudinẽ in te experiris, opportuna tempora tum captato, quibus abſque impedimento ſpiritum Deo præſentem reddas, &c. *Neque dubium quin huiuſmodi precibus ſeſe Deus facilem præbiturus ſit cum opus erit: eritq; in tuto, & cornabitur hic homo cum minimè ſperabit; neq; deerit piorum conatibus Deus, excitabit vltrò qui rem perficiant. Cui rei pulcherrimum exemplum de Scripturis eſt in matrimonio Thobiæ & Saræ, Iſaac & Rebecca. Deus enim tum maximè ſuis prouidet, ſolatur, liberat Iſraëlem, cum deſperatis hominum omnium auxilijs, quaſi in limine mortis conſtituti videbantur. Qui ad eum modum aliquem vitæ ſtatum eligunt, votum vouent, aut in Dei vocationẽ magno ſtudio animaduertunt, illi nimirum rem modis omnib perfectiſſimã, & propè diuinã faciũt: quæ ſcilicet inter ea, quæ Deo offerũtur, holocauſti nomẽ pro*

Pſal. 26. vt viderẽ volunt. Domini.

Pſal. 54. non dabit fluctuationem iuſto.

Thobia. 3. & 6. Gen. 41. Exod. 4. 14. et alibi.

promeretur: non quod aliæ sacrificia, quæ ad huius dignitatem non ascendunt, vsquequaq; reijciendæ sint. Erit etiam hîc consideratione nostra dignum, fieri, qui in Monastica saluandus fuerat, si in seculo viuat, condemnetur. & contrà. Ex quibus liquidò doceri possit, quàm sit res grauissima, quanto periculo faciant, qui subito aliquo motu sine certa ratione ad vitæ statum aliquem ineundum hominē pertrahunt. Et mirari possumus quid sit, quod ad functionē longè maximam tam temerè se emittant, ac nec vocati de alijs præsumant. Videmus & hoc ferè fieri, qui flagrare potissimum, & spiritalib. affici videntur, illos quo ocio, quoq; negocio laborare trahendis ad se alijs consilio, & opera, vt scilicet ijsdem numeris afficiantur, eundem statum, eadem studia sequantur: id quod rectè atque ordine, & de arbitio Dei esse potest. Latēt tamen hîc plurimum venena ambitionis, concupiscentiæ vel auaritiæ: & lōgè aliò vocat sæpè Deus, quàm quod illi præcipiunt. Sed si pium est, vt prorsus est, vt cuius ea vocatio sit; ille se totum Deo afferat, eadem semper, & constantissima voluntate, promptus ad alteram partem si iubeat Deus; nunquid itidem de illo censebimus, qui consilio præire alteri,

Vt suo loco patebit.

D. Greg. in Ezech. hom. 20.

Aug. de bono perseuer. lib. 2. cap. 6.

aut

aut de vitæ aliquo statu persuadere velit, aut rationes suas omnes Dei mandatis & Inspirationi subijciat? Sed vt eò, vnde digressi sumus, redeamus; ecce tibi ad doctrinam nostram luculentum Ieremiæ testimonium: *Hæc dicit Dominus: Sta super vias, & vide, & interroga de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambula in ea, & inuenies refrigerium animæ tuæ.* hoc est: eleuare ad Deũ super & præter omnes vias, purga sensus, cor, affectus tuos, ne impotentis cuiusquã Domini seruitio subiaceant, cuius vi ad hãc vel ad illam partem deflectas. Sint in oculis tuis vitæ, quæ in cœlos ducunt: inspice itidem in semitas, quæ eunt in infernum. Vide etiam atque etiam, quibus fontibus oriãtur, quib. medijs crescant, in quos fines desinant: atque vbi iam aliquam viam quæ proba & legittima sit inueneris, inquire amanter, pari tamen diligentia, & tanquam syncerus Iudex consiste firmus in medio, æquabili & directa lance. Inquire tum de semita antiqua, neque tibi curæ sit quid hic vel ille sentiat, opinetur, aut quas partes sequatur: sed quam Viam prisci institerint, quam Apostoli, & qui ijs temporibus Christiani, atque adeò sanctissimi quiq; iam inde ab orbe condito: quomodo se- *Ierem. 6.*

se Dei inspirationibus, & vocationi morigeros exhibuerint; in timore & reuerētia Deum secuti sint. In his edocere, horum conditionem tibi para, hoc solummodo constat inuētio Viæ bonæ: quam si assequaris, ambula in ea. Quę antiqua rectè bona, quoniam illa holocausti semita seu resignationis suijpsius, modis omnibus nobilissima est, suauis & gloriosa: quæ quod hic in terris cœlestis vitę ponit fundamentum, consummabitur in cœlis. *Inuenies*, inquit, *refrigerium animæ tuæ*. Pulchrè: Qui enim probatus in hoc seculo quodammodo liquefit, & consumitur igne tribulationis, premitur angustijs, quatitur periculis, illi refrigerium est à Deo: eadem morum facilitas, patientia, longanimitas, nunquam ille animum deijcit, nunquam desperat.
Mal. 3. Meminit enim consolationis, meminit
Bar. 3. verborum Domini: *Sicut aurum in for-*
Zach. 13. *nace probauit electos Dominus. & quasi holocausti hostiam accepit eos in æternū; & in tēpore erit respectus illorū.* O suauissimam vocem, plenam doctrinæ, mellis & solatij.

CAPVT

CAPVT XLIII.

QVOMODO AMATORES illi holocausta spiritalia se parent ad vocationes, Dei inspirationes, consilia, &c. per ieiunia, preces &c.

QVamuis ea ipsa suijpsius oblatio, & quædam amoris vnio cũ Deo, purissimæ, & viuæ orationis rationem habeat, ideoque accepta in oculis Domini, & meriti sit efficacis, vt tamẽ faciamus quantũ in nobis est, nusquam negligentes, imitatores Christi, & Sanctorum *omnẽ iustitiam adimpleamus,* *Aug 8. lib.* adijciemus hic quibus modis, præter *confes. c. 6.* hæc quæ iam diximus, deprecari Deũ, *Eccle 9.* & ad misericordiam commouere possimus. *Matth. 3.* Nam si Christus & Sanctissimus quisq;, cũ seipsos totos obtulissent Deo, hæc tamẽ vsurpãda sibi existimarũt, maxima videlicet ratione hoc fecerũt; quos imitari iure meritoq; debeamus. Cũ naturæ & rationis illa sit demonstratio, qua creatura Creatori nostro seruire, anima & potentijs omnibus, corpore & membris, cultum & reuerentiam qualem tandẽ possumus exhibere iubemur: vt à quo accepimus, in eundem omnia nostra referamus. Igitur Christus Iesus

Dominus noster expediturus illa quæ à Patre suo mandata acceperat, quorum causa in hunc mundum venerat, vt in vinea sui Patris erudiendis populis laboraret, iuit ille primum ad Ioannem Baptistam, baptizandus ab eo: atque inde (quamuis vita eius perpetua quædam esset oratio) in Desertum concessit, in ieiunio, & precibus quadraginta dies durauit, vt nobis exemplum relinqueret: qui licet sine intermissione orare debemus, si tamen quid instituimus quod magnum & singulare momentum habeat, id primum curemus, vt mediantibus sanctissimis sacramentis sanctos & puros nos præstemus, iungamus statim ieiunia, & preces, tanto tempore quantum res patitur: totosque nos in accuratissimam meditationem, quæ in silētio fit, componamus tum illa Dei suauissima vox aures nostras circumsonabit: *Nō iam dico vos seruos. vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre, nota feci vobis.* atque ita quasi in aliquo gradu amicitiæ Dei intelligemus, quę sit voluntas Dei beneplacēs. De qua Augustinus: *Cuius (Dei) consilium quisque scire cupiens, oportet, vt prius in eius amicitiā recipiatur. Quod contingere nisi spiritalibus non potest, iam portantibus imaginem*

Matth 4.
Luc. 18.
1. Thess. 5.
Ioan. 15.
Gen. 18.
Aug. epist. ad Rom. parad. 63.

maginem cœlestis hominis Iam enim non dicam vos seruos, sed amicos. Omnia enim quæ audiui à parte meo, nota feci vobis. Quamdiu itaq; vas figuli es, conterendũ est hoc ipsum in te prius virga illa ferrea, de qua dictum est: Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos: vt corrupto exteriore homine, interiore innouato, p[…]ssis in charitate radicatus & fundatus comprehendere latitudinem, lõgitudinem, altitudinem, profundum; cognoscere etiam supereminentiam charitatis Dei, &c. *Psal. 2.* *Ephe. 3.*

Virga ferrea vtebatur Paulus, cum ait: *Ego sic curro, non quasi in incertum: sic pugno non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* At ille quidem tãtus amator, cum seipsum magno animo & singulari puritate Deo in holocaustũ obtulisset, manum admouit aratro, neq; eorum quicquam negligendum putauit, quæ parare aliunde, aut præstare per sese posset. nocte manibus quærit victũ, de die sudat Euangelio, tolerat odia, & persecutiones impiorum; atq; tot curis impeditus, quantis nec Regum quisquã (quæ enim comparatio corporis ad animã?) tamen castigat corpus suũ ieiunio, *August in Psal 2. & in 1. Cor. 9. 2. Cor. 11.*

precibus, &c. Erit, cui mirum sit, Diuum Paulum aut quenquam alium tantum potuisse: illi in prōptu est cogitare, multa hominem posse (maximè, cui sensus & naturam Deus dederit firma vtraque: qui sibijpsi superesse, & momenta temporum obseruare nouerit, discretè vti omnibus; quorum nihil Apostolo defuisse probabile est) qui rem rectè atque ordine instituat, quæ alius nequicquam tentet, aut seipsum perditum eat. Atque hic satis sit, Dauidem, Ioannem Baptistam, Diuum Paulum, &c sanctissimos & præstantissimos viros cum se totos Deo ad omne placitū dedissent, tamen modis omnibus conatos esse, quantum industria, & ope conniti possent, vocationi, placito, & inspirationi Sancti Spiritus facere satis. Quid Apostoli, cū certi essent de aduentu Paracleti Spiritus ex verbis Domini, an non ab Ascensione ad diem Penthecostes *vnanimiter in oratione perseuerarunt*? tum in templo, tū in cœnaculo? quid legimus nisi laudes, benedictiones, & gratiarum actiones? Nā & Apostolū in locū Iudæ surrogaturi de sentētia Prophetæ, in oratione illam electionē Domino commendârunt. De Paulo sermo Domini est ad Ananiam, vnū ex discipulis: *Surge, & quære Saulū*

Vide lib de Monte ca. 6. & 18.

Luc. vlt. Act. 1.

Actor. 9. cap. 31.

Ecce enim orat. Erat quidem ille iam eo loco positus, quemadmodum supra docuimus; acceperat à Domino mādatum: *Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur quid te oporteat facere:* orat tamen, neq; dubium quin singulari quodam, & accurato studio Atq; adeò Deus ipse quasi rationem redditurus Ananiæ præcepti sui de quærendo Paulo, ait? *Ecce, orat.* Hoc enim satis est, eo solo continentur omnia, cū testor ipse orare illū Neq; ego is sum, qui purè & simpliciter petēti denegare quicquā possim. Ecce enim promissio mea: *Petite, et accipietis.* Nō cuiusuis est orare, mirabile est quantū opus sit illorum, qui orant ex totis viribus, toto animo, corde contrito, & humiliato. Agebat in hoc statu totos tres dies Apostolus, ac neque potu, nec cibo vtebatur, atq; interim captus oculis: an nō aptissimus fuit in tāto silentio, qui doctrinæ & inspirationib. diuinis attēderet? Est quorundā Ecclesiæ Doctorum sententia, raptu illis dieb & in cœlos eleuatū: quod ipse sibi contigisse est testis in epistola ad Corinth. Docuimus etiā supra, quod *ministrātib Domino, & ieiunantib. Paulo et Barnabæ &c dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Et ad Thobiā Angelus:

Matth. 7. Deut. 4. Psal 50. Esai, 66. Iudith 20.

Glosa. & Dionys in eundem locum. 2. *Cor.* 12. *Galat.* 1. *Actor.* 13. T*hob.* 12.

Matth. 17. Angelus: *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Est etiam *dæmoniorũ genus, quod non eijcitur, nisi per orationem et ieiunium.* Atq; hæc à nobis ad eũ modum proposita sint: quę ita esse vt manifestissimum sit; exempla de scripturis assumemus.

Marc. 9.

Luc. 9.

CAPVT XLIIII.

PROBAT EXEMPLIS Testamenti Veteris.

NEq; est quod in Christi vitam, & illorum mores amplius inquiramus, quorum nomina, & vitæ sanctitas Nouo Testamẽto innotuit, eamus ad vetera, an ibi idem vsus Ieiuniorum, precum, iustitiæ, &c. Enimuerò Spiritus Sanctus magna ratione Sanctis suis, & electis solatio futurus, præire doctrina, & firmare aduersus omnes fortunæ impetus voluit: eò etiam consilio ne ijs qui ignaui, negligentes, & stupidi sunt, quicquã ad excusationem reliquũ esset. Ideoq; in rebus quæ suo pondere multum valerẽt, petitis de Scriptura exemplis erudit nos, & docet. Igitur misso Dauide, sanctissimo & maximo viro, & alijs qui in promptu sunt, operæpretium est in eos inquiramus, quorũ nõ ita mul-

ta mentio, neque tanta memoria est. Occurrit primum Sara, quæ in medio Gentilium captiua, ad improperium puellę, perrexit in superius cubiculum domus suæ, *& tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit neq; bibit. Sed in oratione persistens cum lachrymis deprecabatur Deum. Tu scis*, inquit, *Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscẽtia. Nũquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in leuitate ambulant participem me prabui: virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.* Quid igitur? Exaudiuit Dominus preces famulæ suæ, mittitur de cœlo Angelus Raphaël, qui specie iuuenis solatio & consilio Derelictæ esset, cuius opera matrimonio iuncta est Thobiæ, senioris Thobiæ filio, quemadmodum videre est in libro Thobiæ. Iterum: Ait ad Thobiam Angelus. *Audi me, & ostẽdam tibi, qui sunt, quib. praualere potest dæmonium. Hi namque, qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, quib. non est intellectus, habet dæmonium potestatem super eos. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculũ per tres dies continẽs esto ab ea, & nihil*

Thob. 3.

Thob. 6. 8.

Matrimonium.

hil aliud nisi orationibus vocabis cum ea. Transacta autẽ tertia nocte, accipies virginem cũ timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem in filijs consequaris. Neq; tamen continentia triũ dierum & noctium necessaria est, sed ea propter hoc exemplum posuimus, vt ex eo quisque videat, quomodo viri sanctissimi vitæ statum aliquem inituri, docentibus Angelis se totos in orationes fuderint. Neque verò negligenter aut tepidè, sed totos tres dies & noctes: qui tamen ipsi etiam inde ab ipsis vitæ initijs, Dei gratiã cõtinuò implorarãt, vti declarat Saræ parẽs Raguel: *Non dubito quod Deus preces meas in conspectu suo admiserit.*

Quod ita solẽt viri pij, qui cum ipsi iugiter Deum deprecentur, eadem instituta, eosdẽ etiã animos filijs suis inspirant, vt tãdem Dei gratia pertingant ad optima quæq; & maximè salutaria. quod cũ instituunt, deletis per Pœnitentiam & Confessionẽ peccatis, post communionem Sacrosanctæ Eucharistæ ita rem incipiũt, statim alij: alij lẽta & diuturna præparatione ad eundẽ tamen scopum, pro cuiusq; studio & deuotione. Neq; tamen si viri sancti tãta puritate cõiugem acceperũt, atq; adeò etiamnũ sint qui itidem

faciant,

faciãt, ideóq; culpandi sunt, qui alias etiam causas ad matrimonium incundum adhibẽt. Id quod significat Angelus, *amore*, inquit, *filiorum magis, quàm libidine ductus.* Non prorsus omnem pro humanæ naturæ libidinem excludens: sed viri sancti & perfecti diligenter elaborant, vt ea omnia quæ in carne illegitima sunt, (quatenus consequi possint) eijciant foras. Sũt qui ducunt ne per luxuriam aut fornicationem pereant; de quibus in epistola ad Corintheos Paulus. Alij ad operam mutuam, solatium & amorem. Difficilè est recensere quot quibus causis viri pij sæpè moueantur. quemadmodum apud Nazianzenum est de Gorgonia sorore, quę vtiq; humilitate, diligentia, honestate, & sanctissimis quibusq; operib pręcellebat. Potest & illa dari causa, quoniã ita Deo visum est, vt qui post preces, & orationes, purgatis sensib. & animis eo se ferri & duci sentiũt, occasione etiã & reb ipsis quasi manu deducti. Ait August. *Melius est humile coniugiũ, quã superba virginitas. Si enim nuberet, non haberet nomen vnde extolleretur, & haberet frenum, quo regeretur.*

Aug. de bono viduit. cap. 8

1. Cor. 7.

Clem Alex. lib. 7. strom. post med.

Aug. in Psal. 99. post. med.

Sed tamen subsistamus paululum in Thobiæ Sara, quasi in iocũdo quodam diuerticulo. Igitur illo tempore pudori

Aug. cont. Faustum

lib. 4. & quæst. Veter & Noui Test. quæst. 17. Et de bo. con. c. 9. et de bono vidu it. cap. 3. Exod. 23. Deut. 7. D. Bern. serm 58. in Cant. Esa 56.

erat esse sine viro, esse sterilem: atque illa tanquã improperia, & Dei maledicta æstimabantur, quæ vt pro se quisq; effugerit, coniugium & fœcunditatem diuino munere expetebat: sed propinquante Euangelij luce, nõ dubitauit Esaias Virginum laudes, & futuri tẽporis statum extollere. Et Ieremias virgo mortuus est. Hoc autem cum ita esset, consensit Sara in coniugem de mandato & consilio parentum. Sed quid ait: *Nunquam cum ludentibus miscui me.* Scilicet non soluebatur in lusus: quoniam vix est quod in ijs modus seruari possit, & (si dispari statu sint, qui aspectant vel audiunt) rarò sine scandalo, & offensione. *Neque cum his,* inquit, *qui in leuitate ambulant participem me prabui.* Quo hæc doctore accepisti virgo pulcherrima? fugere ad aspectus, lusus, comitatum, qui alienus esset à grauitate tua, & purissimis moribus, quæ tamen in medio Gentilium, apud quos nulla Dei cognitio reliqua esset, vitam ducebas? Fuit ea S. Spiritus gratia, ita probat illa animi tui maturitas, illa humanę & nobilissimę vis naturæ. Non te sermones hominũ à statu mentis deturbabant, non amicorũ facta, sed ad Deum oculi tui, quid ille in animo tuo ageret, quid doceret. In promptu erãt exempla maio-

maiorum, Abrahæ, Isaac, Iacob, Ioseph, Moysis, Dauid, &c. qui in medio luporum, & sceleratissimorum hominum, cũ ad Dei beneplacitum iugiter aspicerent, memoriam apud posteros sanctitatis, & vitæ suæ admirabilem reliquerunt.

Sed redeamus in viã quemadmodum *Cap. 16.* supra docuimus, Doctores & fideles Dei ministri in longanimitate, & patientia Deo seruiunt, orant, pœnitent, & omni quo possunt modo Deum sibi cõciliant, vt scilicet consilio & auctoritate alijs præsint: itidem illis etiam maiore studio & contentione faciendũ est, qui tale quicquã ab alijs expectant. Si in eo, qui consilium daturus est, requirimus fidem, prudentiam, vnctionem, & motum Sancti Spiritus, an non & quærenti laborandũ est vt dignus sit qui rectè consulentem audiat, & audita in effectum deducat? Quò enim hæc, si vita non exprimimus? *August. cont. epist. Manic. cap. 4.* quæ sanè contentio in eo potissimũ est, si insigni æquitate animi, & patientia in orationes nos effundamus, quod ait Christus: *sine intermissione.* Ita, si hoc to- *Luc. 18.* tum purissima fiat charitate, spe, fide, in *1. Thess. 5.* ordine ad potentiam, sapientiam, boni- *Actor. 18.* tatem Dei, medijs sacrosanctis Ecclesiæ *Matt. 9. 11.* Sacramentis, patientia, eleemosyna, & in *Ezech. 18.* proximum misericordia: cui meditatio- *Sap. 18.*

 ni, & *Vide in*

Prolog. comment. super orat. domini. ni, & ſtudio aptiſſimum noctis contici
nium eſt; quo ſcilicet altiſſimum vbiqu
ſilentium. quo Chriſtus naſcitur, quo
aptè, & nullo certo incommodo facient
qui neq; ſomno nimio grauantur, & cir
ca ſeptimam placidè dormiunt. Et ſan
qui ad eum modum Deum deprecatur
& proximo ſuo quotandem modo po
teſt conſulit, ad contumelias & dicteri
aliorum patiens: illi nō deerit Deus gra
tia ſua, habebit qui benè conſulant, re
Matth. 19. ctè conſulta non magno negocio expe
Marc. 10. diet. Et ſi cadat, ſurget iterum atque ite
Luc. 18. rum. Quo illi in Euangelijs adoleſcent
ſaluberrimū Chriſti conſilium? nullo ſa
nè vſu: diſceſſit triſtis & dolens, quoniam
videlicet ſanctiſſimis quibusq; operibu
diu & non multum inſudabat, ſed tot
pectore diuitijs & terræ adhærebat. A
Iudæos, Scribas & Phariſeos loquitu
Ioan. 15. Chriſtus Deus & homo, conſulit, docet
Actor. 10. preter & ſupra naturam magna & mult
operatur: & hæc illis abutentibus ceſſe
runt in maiorē pœnam & condemna
tionem. Cornelius Centurio acceptus i
oculis Domini, accipit nuncium Angel
inſigni miraculo, & gratia ad fidē perdu
citur. quę cauſa tanti beneficij? diſcamu
ab Angelo: *Orationes tuæ, & Eleemoſyn
tuæ aſcenderunt in memoriam in cōſpect*

Do

Dei. Ecce tibi potentia orationũ, & piorum operum. *Beati* enim *misericordes, quoniam ipsi misericordiam cõsequentur.* *Matth. 5.*

Hæc hactenus. quoniam scilicet satis superq; ostensum est, ieiunijs, precibus, misericordia excitari gratiam Dei, eumque pro sua bonitate misericordiæ suæ fontem nobis aperire, vt in benè institutis extremum vsq; vitæ finem constanter perduremus, eodem & rediuiuo semper animo per dies, menses, annos, eadẽ in Deum fiducia consistamus, semper alacres & recentes. *Et dixi: Ecce,* ait, *nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi.* *Psal. 76.* Apostolus: *Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens seipsum.* *Philip. 3.4.* Confitetur infirmitatem suam, quod ex se nihil, *omnia autem,* inquit, *in illo possum qui me confortat.*

Quamobrem qui Deum toto pectore diligunt, & in holocaustum se Deo offerunt, illa resignatione sola non nituntur, adhibent quæ iam diximus ieiunia, preces, eleemosynas; præstolantur vocem Domini, vt quando tandem visum est, placitum, & inspirationes illius intelligant, eademq; cura custodiant, & persequantur.

* * *

CA-

CAPVT XLV.

DE DIVERSIS FERuoribus.

ATque hi sanè amoris, & Seraphici ardoris merito Deo acceptissimi, homines tamen sunt: cum tempore etiã illi progrediuntur, vt aliquando in perfectione conquiescant. quemadmodum igitur inter bonos multum differunt illi qui Tyrocinium studiorũ suorũ ponunt ab ijs, qui in summo gradu constituti sunt: ita qui maiore aliquo zelõ & spiritu ducuntur, magnoperè interest an ille calor incipientium sit, an verò perfectorum. Cuius rei iudicium magnum in omnem partem momentũ habet apud illos, qui toto animo in Dei cultum feruntur. cæteroqui hominum miserrimi impura pro puris sæpenumerò amplectimur, pro luce tenebras, atque ab eo æstu in baratrum tentationũ præcipites animis deficimus: inde verò perpetua quædam malorum series nequicquam dolentibus insidiatur & insultat. Igitur vt quantum in nobis est his obuiam eamus, huius zeli, spiritus, & feruoris (cuius duplicem potissimum differentiam accipimus) rationem ex comparatione cum igne optimam accipiemus.

mus. Calet videlicet ignis, absumit sua vi quæ injciuntur, & consumitur in seipso: lucet, & quodam murmure attollitur; & splendet. Zelus ille, & feruor, de quo agimus, est potentia siue operatio voluntatis. Ita dicimus potens vinum, potentes herbas, &c. Et quidem si voluntas malè sit affecta, vtique malus est: si benè, salubri quodam temperamento per Dei gratiam, bonus; maximo adiumento ad virtutē, & præclarissima quæque. Sed quemadmodum animæ passionibus modus adhibendus, & hæc incitatio discretionis, & prudentiæ sale condienda est. Perturbationes sanè cum ingenij & rationis iudicium præcurrunt, optimo cuique suspectæ sunt: & hic calor si suo motu præcipitet, nō de sententia rationis. Sed qui iudicio præstant, huius zeli tanquam gestientis serui neruos maturitate cohibebunt. Quò, aiunt, properas? scis, vide quid dicam? vix cœpi, necque dum quid velim intelligis, & tu nulla certa ratione manū aratro admoues? *Sat scito, si sat bene.* Properata raro stabilia sunt. Subside ab illo tanto motu, nihil impedio, cōplacet mihi in te, vt amicum & fidelissimum famulum complector & diligo. Fidelitatem probo, sed veniat in partes prudentia de cōsilio Christi: age

Vide cap. 15. de monte. de passionibus.

Matt. 24. Luc. 12.

sti: age inquiramus in rationes præteritorum & futurorum, & præsentia eandem iudicij aleam subeant, quibus ita perspectis, vnà gradiemur.

Atq; ad eum modum ratio temperat illũ spiritus impetum. Ex quibus liquet esse zelum, qui ad momentum duret, qui instabilis sit, qui nullo certo freno regatur, non nitatur argumento; cum tamen sibi videatur omnib' modis instructissimus, & magna ratione duci. Omninò aliqua veri similitudine, sed obscura, & magnitudine vitiorũ, perturbationũ, ignorantiæ ambitionis oppressus. Neq; desunt homines inepti & imprudentes, quib' hic zelus placeat, qui eum tanquã germanũ admirantur; quē scilicet in eo collocant, cui cor quasi fluxu quodã agitatur, cuius affectus, potentiæ, sensus in vnã eandemq; rem conspirant, magno opere magnoque molimine; qui sonora voce precatur, & alta suspiria ducit. Qui toto pectore, validis lateribus cõmendat, ac eundem animũ ad contrariam actionem affert. Pœnitentiæ aliquod magnũ & admirabile facinus nulla hæsitatione, tanquã Atlãtis humero subit, atq; in his nihil mediocre placet, quę huiusmodi hominũ vna & perpetua ratio est in ijs omnibus quæ in actione versantur. Quam- *Bernard.*

obrem

obrem qui illo tāto affectu ducitur, quasi extra se positus aliò atque aliò rapitur; nō esu, nō potu, nō quiete frui, non in silētio esse possit. Per nos licet illis esse fœlices, nihil perstringimus, aut seueriore censura notamus: comparabimus illos musto, cuius apud Mat. meminit Christus: *Nemo mittit vinū nouū in vtres veteres, alioqui rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt: sed vinū nouum in vtres nouos mittunt, et ambo conseruantur:* Ita qui hoc spiritu primū afflantur, eo calore alij multum & diu, alij breuiore spacio aguntur. Vas cui mustū infunditur nō queat obturari, atq; quô vini prę́stātia maior & efficacitas, eò maior in ipso vase tumultus & cōmotio, & quasi eruptionē magna vi molitur, nequaquā eo statu diu perseuerans: specie turbida & obscura: sapor idē cū saccaro, odor grauis; & si clauso penu teneantur, sua vi hominē opprimat, & ardentes faces extinguat, &c. Ita qui feruidi sunt & subiti, ferè inquieti & instabiles, in eo ꝙ statuerunt, rarò aliorū consilia audiunt, obscuri, & quadā caligine obducti sunt: neq; dū participes illius lucis quæ à prudentia est, & discretione. atque adeò illis suis cōsilijs vel mādatis calidis & incōsideratis ferè causa sunt extremorū malorū in corpore & anima. Atq; id est quod

de Senis serm. 2. de Pentec.
Matth. 9.

ait Christus: *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres*, videlicet, in quem diuina virtus & potentia nondum influxit, qui vt ferat nondum gratiam est consecutus, nondum indutus ex alto, illi onus aliquod supra vires & potentiam suam non est committendum.

Luc. vlt.
D. Bern. in par. serm. 56.

Rumpunt illi vtres, quando pro feruore ingenij sui acrioribus verbis aliquẽ perstringunt tempore non oportuno. Fit etiã quod specie resignationis vel mortificationis, tanquam cæci, parum vel nihil attendunt, quid dicto, facto, silentio, omissione peccent, quid commodent sibi, quid proximo, quid rursum incommodent: sapiunt sibi solis, vno, & perpetuo spiritu procurrunt, nullo aliorum respectu, quanti demum hac occasione præcipitentur in summa flagitiorum. & ferè rebus leuissimis adducti mirum in modum commouentur, quæ facilè fuerat magna cum laude perficere, & cum nullius hominis offensione. Est enim sapientis non peccare, cauere etiam ne suo vitio vel ignauia peccet alius.

Et sanè illorum exemplo qui in Dei cultum & honorem toto animo feruntur, debebant non ipsi modo, sed ne vel alij tã misericordem dominũ aduersum se concitarent, modis omnibus conari.

Postre-

Postremùm, Satanas ipse præsto est, vt eo suo calore ad res nihili abutantur, vt scilicet hoc eorum peccatum quo indiscretè, imprudenter, & nullo fructu operantur magnum sumat incrementum: tum etiam vt illorum auctoritas, perdita existimatione, in rebus magnis iaceat, ideoque neque consilij, nec operis effectus per eos expectandus vllus in posterum sit.

CAPVT XLVI.

QVOD CALORIS HÆC SPEcies sit ad instar feruentis ollæ. Vbi de progressu cuiusq;, & probatione.

NEque absurdè videbimur, si horum ingenia comparatione feruentis ollæ interpretemur, tum cũ feruere incipit. Neq; enim vi magna ignis opus est: cæteroqui efferuescit, & prorumpit foras materia, sed sensim paucioribus lignis in eodẽ feruore alenda est: ita illi oportunitate, & quibusdam virtutum initijs ducendi sunt. Hoc est: contemnere illa quæ minuta videntur nequaquam debebunt; sed primùm ijs & initijs ipsis iugiter insistent, vt ita tandem

tandem progressum aliquem in singulos dies faciant: quemadmodum Apo-
1.Cor.3. stolus *lac potum dat paruulis*. Scribit et-
Hebr.5. iam Diuus Petrus: *Sicuti geniti modo in-*
1.Pet.2. *fantes lac concupiscite.* Et in Monachorum Cænobijs aliud nouitij, aliud vete-
Citatur à rani Monachi officium est. Neq; Diuu
Dionys. in Bernard. optat se statim in summo esse
9. cap. sed sensim mauult ascendere. Vt omni-
Matthæi. nò periculi plenū sit, quando ijs initijs eo tanto calore incitati magna vel ardu capessunt: quæ potius expertis commit-
Pulchrè ti debebant. Enimuerò ad eam maxima
Doroth. rum virtutū occasionem illecti, sed mo
serm.14. ipsius officij pōdere extra se positi, offendunt statim ad gloriolæ vel ambitioni
1. Tim. 3. lapidē: atq; vbi se tanquā ab exilio dom
non Neo- recipiunt inanes, & vacuos vidēt: quem-
phitum, ne admodum olla quæ vi & impetu igni
in super tota erupit, & in subiectos cineres effusa
biam, &c. est Sed & hoc fieri videmus, quod ab ill calore resoluti, se sine viribus, & quodammodo sensibus destitutos sentiunt iusto Dei iudicio, potentijs omnib⁹ mal affecti: adeò quod nec officijs suis suffi ciant, nec Ecclesiæ præceptis, ideoq; ine pti ad actiones honestas & opera virtuti priuatis quibusdam & singularibus in hærent. Quibus vel ita perturbatis remedium in promptu est, si ab illa confusio

ne a

ne ad temperantiam & discretionē conuertantur; si illos audiant, qui tū animæ tum corpori salutari pharmaco succurrunt: quod vtiq; facient si naturæ & ingenij dotibus excellant ipsi, si quodam rationis iudicio vel affectione proba si bijpsis attendere, quæ contraria, quæ ad gustum sint, vnde salus, vnde exitium sit, quæ corpori & valetudini commodent, quæ non dijudicare possint. Opus est vt iam ea, quæ supra diximus, repetamus. Igitur musti sapor est dulcis: ita & illi, de quibus nunc sermo nobis est, dulcedine quadam spiritali, lacte, floribus, quibusdam scilicet crepundijs in officio continentur. Quemadmodum si mater infanti neget vbera, clamore & eiulatu totos dies obstrepit. Breuiter, suauia & iocunda omnia, quę vel audire vel loqui velint. Apud Gregorium ita legimus: *Cõuersi ad Deum prius dulcia suscipiunt, qua consolentur, postmodum amara, qua exerceant Nam & sponsam suam vir quisq; prius dulcibus blandimentis fouet, quam tamen iam coniunctam asperis increpationibus probat: probatam verò sine curis & cogitationibus possidet. Nam sæpè conuersi quiq; in ipso adhuc ad tu inchoationis sua vel tranquillitatem pacatissimam carnis, vel dona Prophetia, vel pra-*

Gregor. lib. 24. c. 7. Iacobus Latomus de monast. cap 9.

prædicamenta doctrinæ, vel signorum miracula, vel gratiam curationis accipiunt: posthac autem duris tentationum probationibus fatigantur: à quibus cum adhuc inciperent valdè se liberos esse crediderunt. Sæpè tam diutinæ sunt tentationum certamina, quàm lõga inchoantium fuerant blandimenta. Sæpè verò maius datur inchoatione dulcedinis, minus autem in labore probationis. Sæpè contra. nunquam verò laborem probationis dispar sequitur perfectio firmitatis: quia iuxta summæ certaminis remuneratur quisq́; plenitudine perfectionis. plerumq́; autem in eo quisq́; conuersus labitur, quod dum quibusdam donis gratiæ excipitur dulcedine inchoationis, confirmationem se excepisse perfectionis arbitratur, quæ adhuc blandimenta esse inchoationis ignorat.
Atque in eũ sensum viri doctissimi accipiunt, quod Beatus Paulus initio conuersionis suæ in tertium cœlum raptus
Actor. 9. scribitur, vti testis est ipse in Epistola ad
2. Cor. 12. Corinthios. Et quem Apostolorum dabimus, qui cum Paulo, in laboribus & tormentis contendat? Sit hoc positum quod pro magnitudine & suauitate delectationũ par ingruat tentationũ moles, & passionum. & contra quod ait Da-
Psal. 93. uid: *Secundum multitudinem dolorum meorum*

meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Atque hactenus, quomodo illi qui primum incipiunt maximas in anima delectationes sentiant: est tamen ille intempestiuus feruor sæpè sine prudentia, de quo illa apud S. Bernardum sententia. *Importabilis absq; scientia est zelus. Vbi ergo vehemens æmulatio, ibi maximè discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absq; scientia minus efficax, minusq; vtilis inuenitur, plerumq; & perniciosus valdè sentitur. quò igitur zelus feruidior ac vehementior spiritus, profusiorq; charitas, eò vigilantiori opus est scientia, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. Discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorum etiam, & perpetuitatem. Deniq; ait: Ordinatione tua perseuerat dies: diem virtutem appellans. Est ergo discretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixq; affectuum, & morum doctrix. tolle hanc, & virtus vitium erit. Ordinauit in me*, inquit, *charitatem. Nam si suo quisq; feratur impetu secundum spiritum quem accepit, & ad quæq; volet indifferenter prout afficitur, & non rationis iudicio conuolarit,*

Bernard. serm. 94. in Cant.

Psal. 118.

Cant. 2.

non planè vnitas erit sed magis confusio. Ecce tibi quod iam diximus, feruor sine scientia cum quanto periculo? & charitas atq; adeò virtus omnis, si sine discretione, vitium est. Etiam hoc docemur, nō pro feruore spirituum vel affectuum viuendum esse; sed ita demum, si de rationis iudicio temperamentū sumpserit. *Melior est*, ait ille, *vir sapiens viro forti: & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Vir sapiens fortis, & vir doctus robustus & validus. quia cū dispositione initur bellum, & erit salus vbi multa consilia sunt. Ciuitas parua, & pauci in ea viri, venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam, extruxitq; munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio, inuentusq; est in ea vir pauper, & sapiens, & liberauit vrbē per sapientiam suam.* Quod intelligendum venit tùm in secularibus, tùm in Ecclesiasticis, tùm in intrinsecis & spiritalibus animæ virtutibus, periculis, tentationibus; tùm in miserijs ijs quæ extrinsecus veniunt, vitijs, &c. atque adeò in ijs omnibus, quæ in exercitium, vel ad alios vitæ vsus assumimus. *Quoniam potentior est omnium sapientia.* Neque est quod suauitate, sui præstantia, pace, commoditate

Eccl. 9. Prou. 24. 16. Sap. 6. Rom. 10. Sap. 10.

apud

apud Deum maiore merito, apud homines gratia sit, quàm actio ratione & consilio instituta. *Fateor*, inquit, *Zelum habent, sed non secundum scientiam.* Nam & ij qui in eo tanto calore sibi solis credunt, suoque spiritui innituntur, etiam tum sequuntur cum minimè debent: atque vbi alacritate opus est, difficiles se præstant, & morosos. An nescitis (verba sunt Bernardi) quod Angelus Satanæ multoties se transfiguret in Angelum lucis? Sapientia est Deus, & vult se amari non solum dulciter, sed & sapienter. Vnde Apostolus: Rationabile, inquit, obsequium vestrum. Alioquin zelo tuo facillimè illudet spiritus erroris, si scientiam negligas. Nec habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendum de corde dilectionem, quàm si efficere possit, vt in ea incautè & non cum ratione ambuletur. Honor Regis iustitiam diligit, scientiam scilicet, prudentiam, & discretionem. Amara est veritas sine condimento gratiæ: sicut absq; veritatis freno leuis, & nesciens modum plerumque, & insolens ipsa deuotio. Quàm multis non profuit gratiam percepisse pro eò quòd tempera-

Bernard. serm. 19. in Cant. *Rom. 12.* *2. Cor. 11.* *Psal 98.* *Bernard. serm. 74. in Cant.*

mentum de veritate pariter non acceperunt? *Quamobrem feruor ille, qui ad regulam discretionis non exigitur, de leuitate censeri debet, confusione, pœna.*

CAPVT XLVII.

EXCITANDOS ESSE HOS *ita calidos homines, alendos, & dirigendos: & quomodo.*

POstremùm musti, cereuisiæ recẽtis, ebullientis ollæ, vineæ luxuriantis, & ad eum modum arborum & reliquarum frugum stirpes non exscindimus, nihil eorum reijcimus, propterea quod excrescunt: sed iugi potius cultu & labore tractamus pro modo cuiusque, & in vsum quibus medijs remediis perducimus: Ita neque feruor ille adolescens vsquequaque reijciendus est, sed omni reuerentia & honore colendus exercitijs, operibus quibusdã perpoliendus, prorsus, vt in eũ vsum quem præscripsimus tandem aptissimus fiat. Musti, & cereuisiæ modo magnam partem de vase tollimus; vbi visum, iterum adimplemus. neque hoc sine cura. Igni fomenta subtrahimus, addimus vltrò si opus sit. Vitem scindimus, amputamus quæ abundant,

dant, inserimus, colligamus, neque nostrum est omnes agricularum & vinitorum artes percensere. mirabile est quãto studio crescẽtib. & nouitijs subueniatur: sed vbi excreuerint arbores, studio & labore nostro nõ egent, & obturatur os vasis vsq; dũ in vsum promatur. mustũ ne quicquã conemur cõtinere. Vina vetera quę ab illo motu resederũt ritè clauduntur. Hęc quiete gaudẽt, illa agitatione: Ita hi homines, vtpote noui & recentes nec quidem admittunt quid ratio dictet, sed vno eodemq; spiritu liberrimè pro affectuum impotentia vt placitũ est ita ambulant: si quis moneat prudentiæ & discretionis, audit aliquid quod pertinaciæ confine sit. Quis, aiunt, omnibus sufficiat? quo tot molestiæ? sapientia huius est mundi vel arrogantia. Deus cor introspicit & probat, neque verò mutandum quidquam. Apage cum hoc frigore & tepore. premitur spiritus his nugis, & quasi angustijs quibusdam coërcetur. obediendum est vocanti Deo. Hæc statim audit si quis illos tangat, aut ad moderatas vitæ rationes exhortetur. Ideoq; similium ferè consortio lætantur, grauis est prudentium virorũ societas. Cibum expetunt cum pueris potius & mulieribus, quàm solidum & virilem. In multitudine

De qua in Monte cap. 18.

2. Tim. 3. Caiet. in hunc locũ.

multitudine verborum iocundantur, quemadmodum & pueri lacte, & omnifariam cibis & fructibus ventrem farciunt. Quamobrem qui prudentes sunt, tanquam pueros sensim, & lenta quasi manu in viam Regiam deducent, vbi tandem eo cibo vescantur qui grauis & solidus sit. Igitur multa largientur, pleraque dissimulabunt, iam tum quasi digito ad discretionis lumen intento: nihil cogere, non alligare scrupulis illorũ conconscientiam, neq; tristitiæ tenebras offundere, nisi summa necessitate. Atque adeò si vel ipsi videant, vel studio & lectione peccata sua agnoscant, solatia tum potius adhibebunt, quàm acerbiores castigationes. neque conandum cuiquam est, vt pugnas tanquã inculcandæ veritati adhibeat: sed humanitate quadam, verbis commodis, breuibus exemplis, & vultu beneuolis opus est, quæ ita solis, & tacitè proponenda sunt. Reliqua medico longè optimo Spiritui S. commendabimus, vt qui cœpit idẽ perficiat: cęteroqui tua imprudẽtia quasi de statu mentis deiecti relinquent te, & in alia ibunt; quemadmodũ Decem tribus spreto Ro-
3. Reg. 12. boam proprium sibi Regẽ elegerunt, etiam cũ exitio suo. Atq; hic feruor comparari posset nouo amico, cuius apud Ec-
clesiasti-

clesiasticum mentio est: *Vinum nouum, amicus nouus: veterascet, & cũ suauitate bibes illud.* Hoc est, adolescat opus est, ꝙ ad ætatis maturitatẽ peruenire debebit: ideoq; nec amici noui, neq; noui, & feruidi homines vsquequaq; reijciendi. Etiam atq; etiam cura quæ in rem illorum sunt, cogita amicũ à quo tibi gaudium, & vtilitas summa suo tempore. Nam & pueri, bestiæ, arbores, fructus, grati quidem initio, sed ferè sine fructu: vbi ætatẽ acceperint, fructu & vtilitate placent. *Eccles. 9.*

CAPVT XLVIII.

HAC EX RE IVDICARI DE quodam non debere.

QVis, ait Apostolus, *hominum, scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Et quis est qui non incertum & periculi plenum fateatur ex eo cuiusquam mores, & animum æstimare, sententiam ferre tanquam de perfecto vel imperfecto: quod scilicet, eo vultu, ijs gestibus, verbis verò talib⁹ (quę alioquin neq; mala neq; infrugifera sui natura sint) vtatur. Quamobrẽ illi rectè faciunt, qui in eo sibi quęq; relinquunt, & eos omnes cuiuscumque tandẽ ætatis vel conditionis ita affectos (quorũ man- *1. Cor. 2.*

datum nullum acceperunt) tum ipsi libenter sustinent, tum apud alios quibus tandem modis possunt, excusant. Impegit ad hunc lapidem Pontifex Heli, de quo ita legimus: *factum est cum Anna multiplicaret preces coram Domino, vt Heli obseruaret os eius: Æstimauit ergo*
1. Reg. 1. *eam Heli temulentam, & dixit ei: Vsquequò ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades.* Atq; huius praui iudicij quæ causa, nisi quod de gestu oris iudicium præsumebat? & tamen Annæ feruor erat temperatus, & secundi generis, quemadmodũ mox explicabimus. Festo Penthecostes flagrabant Apostoli, sed quantus ille, quàm beatus ardor, quanta perfectio? quam tamẽ plebs pro suo iudicio ebrietatem arbitrabatur. Ita scilicet quæ
Actor. 2. foris sunt vident homines. Christus Lazarũ excitaturus à mortuis voce magna
Ioan. 11. clamauit: Et in cruce itidem clamauit, alibi eo studio intendit erudiendæ plebi,
Marc. 3. vt discipuli *neq; panem possent manducare, exierunt quidã tenere eum. Dicebant enim, quoniam in furorẽ versus est. Cum Paulus extenta manu coram Agrippa rationem redderet, ait Iudex Festus: Insanis Paule, multa te literæ ad insaniam con-*
Actor. 26. *uertunt. Et Paulus: Non insanio Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor.* Vt
omni-

omninò nihil ex eo temerè iudicandum sit, si quis inclamet, aut alijs morib' vtatur: qui cum de sui natura neq; boni neque mali sint; in malis vitij rationem habent, apud bonos virtutis, & Perfectionis. Atque hîc mihi vide artificem Satanam. Fit enim qui alios reprehendit hoc ipsum totis viribus imitari, saltē animo & voluntate debuerit. Et quidem iam primùm tam præclari operis mercedem perdit: tum ijs talibus verbis illum valdè grauat, cum minimè opus esset: tenet alios, & impedit ne imitentur; præterquā quod grauiter peccat, optimi cuiusque iudicium & censuras in se prouocat. Offenditur videlicet vir bonus, & facile iudicat, non nisi excusationem & velamentum quæri, tanquam rectissimè abstinuerit imitari: Immò seipsum laudat ille: quoniam qui iudicem se facit, quomodo non alio se preclariorem & maiorem existimet? Postremùm indigni sunt, qui gratiam, quā mereri poterant, consequantur à Domino. quanti erat, diaboli omnes laqueos effugere, dissimulare pleraque vel insigni æquitate animi tolerare: esse scilicet propriam cuiusq; vocationē, studia, deuotionem: quoniam & hortorum potissima commendatio est ab ipsa florum varietate.

Aug cont. Faust. lib. 22. cap. 25.

Thom. opusc. de modo confit. de reb. ociosis.

CAPVT XLIX.

QVOD DE ALTERA CAloris huius & fervoris specie.

De Monte cap. 15.

EST etiam alia feruoris species quæ in viris perfectis & magnanimis repe-ritur, paribus ferè conditionibus, quas in socordiæ bona quadam & laudabili alibi præscripsimus, & hic paucis repetemus. *Appetitus ignauiæ etiam virtutis rationem habet, & mansuetudo dicitur. Vt qui verè magnanimus est, videatur ociosus & segnis. Sed ille non quibusuis negocijs animũ accommodat, magna & perfecta cura & studio suo dignatur. Vtcumq; enim appareat alijs ociari, ingenio tamen & tota animi virtute maximarum rerum considerationi vacat. quemadmodum Architectus, cum operis distribuit, quid quemq; facere oporteat, quiescere scilicet videtur, cum reuera plus conferat ad summam operis, quàm quisquam illorum. Quod si non sit, tũ res tanta nõ est, cui curam istam debeat. magna enim & perfecta par studium requirunt; insignẽ prudentiam, iudicium circumspectum; vt omninò nihil temerè, nihil præproperè faciendũ sit. In eum sensum monet Apostolus: Sit omnis homo tardus ad loquendũ. Igitur hic ita ociosus, nihil frustra*

instituit

instituit neq; in vanũ curat, aut perturbatur. non cadit animo, accommodat se occasionibus & tempori. Fidem habet cui & quando debet, curam item & diligentiam adhibet cũ opus est. Atq; adeò cum sese negocijs exercuit, lassitudinem animo & corpori conciliauit; tum in quietem & ocium se transfert, alias etiam adhibet iocunditates viribus redintegrandis; modestè scilicet & aptissima ratione: ne videlicet bonitatem & gratiam Dei aliqua temeritate videatur tentare. Tum vt eo silentio apud se videat & examinet, an nõ in opere suo vsquam offenderit. & tandem, quod omnes causæ & circumstantiæ rerum ocioso & tanquam dormienti sese magis aperiant: illud tale ocium captans videtur ignauus, &c. Estque hęc affectio firma, & temperata silentio & mensura: neque sola sed circumdata corona, quasi custodia maximarũ virtutum, pari cum opus est fortitudine & cõstantia. Quemadmodũ & qui in militia sunt viri fortes & magnanimi, prudentia & iudicio insignes, nequaquã tumultũ cient, aut verborum multitudine cõtendunt, quum nihil opus sit: sed, vbi tempus tum verò rationibus, aut rebus ipsis se præstant viros. Cui enim se totũ dat homo, cuius rationes omnes in promptu habet, quidni

in eo magnum aliquod & perfectũ operetur, studio scilicet & pectore flagrantissimo. Atq; hunc feruorẽ rectè comparabimus cũ Vino vetere, qui pro sui claritate nõ turbat, nec mouetur: sed obturato vase quasi in silentio cõtinetur. Aptabimus ad hanc sententiam Amicũ illum de Scripturis: *Ne derelinquas amicũ antiquum: nouus enim non est similis illi.* Ita in Euangelio Christus: *Nemo bibens vinũ vetus statim vult nouum. dicit enim: vetus melius est.* Pręstat enim vinum vetus calore & suauitate illis qui & iudicio valent, & valetudine firma sunt: & feruor ille si temperatus sit, & ad prudentiæ incudẽ probatus, suauior est & facilior. *Iugum enim,* inquit, *meum suaue est.* Et alibi: *Iustitiæ Domini rectæ, lætificãtes corda, desiderabilia super aurum, & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum.* Neque hic feruor dolores & tormina in veutre cuiusquã excitat, non sapore tædium sui cuiquam facit, nec reuocat quidẽ vel ab eo discedit vnquam, quod cœpit semel: quoniam scilicet magno consilio, subductis omnibus animi rationibus, priusquàm operi manum admoueret, singulari iudicio ea omnia constituisset: nusquã sese offert, nec deprimit quidem: non se pręstare sapientia cæteris,

Eccles. 9.
Luc. 5.
Matt. 11.
Psal. 18. & 118.

cæteris, probitate, doctrina; hoc solũ curæ habet, vt rectè omnia atque ordine constituat, atque ita perficit. Non sapit malè: sed cuius initium, & prægustationem hîc accipit, participabit in cœlis perfectè suauitatem Sãcti Spiritus. Mercedem & suauitatem, quam diximus, accipe de sententia Christi cum persecutione: quæ scilicet passionibus, & miserijs exercita, tanquam aurum in fornace probatur, & custoditur. Neque hic feruor abit si cum Iob patiaris, vel exemplo Christi in Cruce videaris derelictus, atq; adeò magnitudine miseriarũ quasi oppressus. De hoc feruore ita Chrysostomus: *Sunt quidam in orationibus tã impudentes, vt & latente corpore omnibus se faciant voce manifestos, tumultuosè omninò clamantes: seseque voce ridiculos facientes. Nónne cernis quemadmodum publicè quoq; si quis ad quenquam ita accedat petendo, cumque magna quippiam voce poscendo: emoueat à se illum cui tumultuosius supplicabat. quod si idem ipse quietè idipsum faciat ac modestè, tunc potius inflectat eũ, qui pptest tribuere quod rogatur. Non igitur gestibus corporis, neq; clamoribus vocis, sed intentione optima voluntatis orationum vota reddamus: non sonitu oris ac strepitu, non ad tam im-*

Mar. 10. *Malach 3.* *Prouer. 17.* *Sapi. 3.* *Zach. 13.* *de Monte. Par. 3. de timore. In commẽt. sup. orat. dom. & de Monte. cap. 9. D. Chrys. in Matth. hom. 19.*

portunam ostentationem nostri atque iactantiam proximos nostros clamore perturbemus: sed cum omni modestia & contritione mentis, lachrymisque secretis.

Orat. 22. de modestia.

Atque hæc postrema oratio feruidi, sed perfecti hominis est, de quo iam agimus, nimirum vt pro volũtatis affectione proba & præclara, feruoris rationem accipiamus: Scribit Nazianzenus: *Turbarum causæ existunt naturæ feruidæ, & immanes: nondum enim feruorem illum cognoscimus, sine quo impossibile est, vt aliquid egregium, & quod pietati cæterisque virtutibus congruum sit, peragi valeat. sed rationis defectu, & imperitia sumus generosi, huiusq; sobole praua timeritate. siquidem temeritas inscitiæ soboles existit. Generosa verò ingenia, quæ ratio instruit, ac rectè dirigit, multum ad virtutis conferunt bona (quam scilicet augent & dilatant) cum verò à scientia, & ratione fuerint destituta, nequaquam malitiæ dissimilia esse reperiuntur. Nam & equum, qui victoriam reportare debet, ferocem & generosum esse oportet, siue bellatorem seu certatorem: qui inutilis esset si tolerare nesciret, seu exercitijs ad laborem assuefactus haud esset: & hoc*

& hoc est quod plurimũ membra distraxit, fratres seiunxit, ciuitates turbauit, populum in rabiem egit, gentes armauit, Reges concitauit, Sacerdotes inter se & cũ plebe commisit, &c. Atque hæc cuncta feruor excitauit rationis expers, scientiaque non toleranda, & hæc cum sciamus, nequaquam segnes simus ad bonum, sed spiritu ferueamus: sed neque nimis feruidi, & sine ratione nostri solum amatores fiamus. ne à Regia excidamus omninò in vno aberrantes: vel quia stimulo propter segnitiem indigeamus, vel ob feruorẽ præcipitemur: sed ex ambobus quod vtile est sumamus: huius quidem magnitudinem, illius autem zelum; fugiamusq; id quod ex vtrisque est noxium: huius quidem pigritiam, illius autem temeritatem: ne dum hic cessamus nullum fructum inde feramus, ibi verò abundantes periclitemur: vtraque enim sunt inutilia, tam segnities ociosa, quàm feruor disciplinæ nescius: quoniam hæc nequaquam approximat bono, ille verò penitus exorbitat. Quod & diuinus Salomon cognouit, dum ait: Noli declinare ad dexteram, neque ad sinistram, ne fias nimium iustus, neq; sapiens immodicè. Nam pariter tam defectu, quam augmento offenditur. non quod virtu-

Prouerb. 4.
Num. 20.
Deut. 28.
Ios 23.
1. Reg. 6.
4. Reg. 22.

Eccles. 7. *virtute aut sapientia excedere modum quisquam possit: sed, cum modus non seruatur speciem aliquam virtutis habere videamur, quæ tamen nulla est. Nemo igitur seipso iustior, lege legatior, ipsa disciplina emendatior, aut tandem supra mandatum statuere se velit.* Conuerte oculos *ad cœlum, & terram, intuere quo ordine sint singula disposita, & membrorum corporis proprium cuiusq; officium est, &c. In Ecclesia & Republica ordo est iam inde ab initio mundi à Deo institutus,* &c. Et sub finem. *Qui non omninò abiecti sunt, ac ingenio segnes, seu nimis gloriæ cupidi, aut contentiosi, vel erga pietatem feruentiores, quàm deceret, isti illac ordinandi essent, vbi nec seipsos, vel alios offendere possent: at ij qui inter illos sermonibus modesti, ac verè ornati, ac prudentes essent libertatem haberent sermonis.*

Atque hîc vide qui sunt, quibus libertas tutò committi possit, quibus nõ possit. Iterum ex feruidis sunt, qui partem duntaxat affectam habeant, alij autem, germani nimirum & legitimi pro splendore & magnitudine animi sui magna etiam & præclara moliuntur, qualia decet illos, qui in pietate & alijs virtutibus excellere cupiunt: & illi non in vnum aliquod stupidè contuentur: sed vna & perpe-

perpetua virtutum omnium connexione sibi ob oculos posita ad illũ scopum actiones suas omnes dirigunt. D. Thomas ita: *Feruor voluntatis non est cum virtute, si non sit ratione ordinatus: atq; ideo si quis feruore animi debitum tempus praeoccupet laudandus non est.* Qui enim circumstantias rerum non attẽdit, apud quem nulla est distinctio personarum, morum, silentij, loquelæ, factorum, &c. hæc omnia qui nihili æstimat, quo tandem pacto illum commendatione dignum censebimus? *Omnia*, inquit ille, *tempus habent*, pro cuius diuersitate idipsum quod fit, vitij, aut virtutis rationem habebit.

Tho. Aquin. 2.2. quæst. 106. ar. 4. ad 2.

Eccles. 3. Prouer. 25. Vide lib. de Mõte. c. 17.

CAPVT L.

FERVOREM HVNC COMPARARI cum eo, de quo in Canticis sponsa loquitur. quantus ex eo metus est inimicis nostris.

QVoniam feruor hic temperari, & quasi vallo, & custodia virtutum omnium sepiri debet, comparationem ex Canticis accipiemus: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula*

Cant 3.

gula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, & uniuersi pulueris pigmentarij? En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel; omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscuiusq; ensis super femur suum propter timores nocturnos. Hic ille feruor est, pura, dulcis, & flagrans in Deum affectio, quę in huius nostri corporis quasi *deserto ascendit sicut virgula fumi* gratissimo scilicet odore pulcherrimarum virtutum, plena donis, & gratia de penu incomparabilis *pigmentarij* Dei omnipotẽtis, tendit toto animo in Deum, illius gloriam, quærit & honorem. Iterum: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Feruor enim ille sese habet in homine vt aurora in die, mixta tenebris, & nocte; iuxta illud: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Orat nos Apostolus vt *charitas nostra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu, in omni sapientia, & intellectu spiritali.* Atque ijs sanè verbis totũ hoc comprehenditur, quicquid doctrina, moderatione, industria, discretione, exercitijs, modis, oportunitate temporũ & locorũ obseruata consequi vllo

Cant. 6.

Prouerb. 4

Phil. 1.

Colos. 1.

vnquã tẽpore possumus. *Pulchra vt luna, electa vt sol* sic testatur de Paulo Deus ipse. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomẽ meũ coram gentib. & Regib. & filijs Israel* &c. electus sanè ille Apostolus, qui lumine suo totũ mundum illuminauit, & plantauit vineam, quæ vsq; nunc fructificat per vniuersum orbem. *Vos estis lux mundi* ait Dominus. *Terribilis vt castrorum acies ordinata*. Sunt *fortissimi de populo Israel, qui ambiunt lectulum Salomonis*: illam scilicet cordis suauissimam quietẽ. Quod propriè in virtutes competit sinceras, & sine vitio quadratas, connexione & aptitudine inter se firmissimas. Eam feruotis speciẽ, quam primam diximus, non ita horrẽt illi qui nobis malè volunt; quod ex ijs quæ docuimus satis liquet: hæc verò, cùm mediocritate, & pulcherrima quadam omnium virtutum harmonia constituatur, quidni Satanæ, mundo, tum etiam libidini ingenitæ palam obsistat? ideoque inuisa, & grauis, *tanquam terribilis castrorum acies ordinata*. Prior ille calor, nulla certa ratione, nullo ordine, impetu quodam & tumultu in hostem fertur: hic sistit se primum singulari constantia, in longanimitate, & prudentia copias omnes conuocat: neque è re sua

Actor. 9.

Ecclesia in collecta de sancto Paulo.

Matth. 5.

esse putat quicquam moliri parte inconsulta, vel absente. sapienter hoc & aptissimè. hic sedendo, aut cogitando eos triumphos parat quantos non ille vi turbida & immoderata. quod in Cantico
Luc. 1. Beata Maria significat: *Dispersit superbos mēte cordis sui.* Videtur & hoc vsitatum fuisse sanctissimo Prophetæ Dauidi, qui cum ea omnia enarrasset, quæ ab inimi-
Psal. 37. cis suis patiebatur, de se ita subijcit: *Ego autem, tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones. Quoniam in te Domine speraui, tu exaudies me Do-*
Psal 26. *mine Deus meus.* Hoc est, quemadmodum alibi dicit: *etiamsi exurgant aduer-*
Ioan 10. *sum me castra, non timebit cor meū.* Nul-
Ephes. 6. la mihi ratio de hostibus meis est, indi-
1. Thess. 5. gnos æstimo quibuscum sermones mi-
Exo. 14. sceam. Pastoris mei vocem audio illum
25. Esa. 63. inuoco, in illum credo, spero, illum amo: neque verò dedignatur me, imò exaudiet & tacente me expugnabit hostes meos. Atque huius tantæ virtutis, tam perfectæ, tam flagrantis compotes nos faciat summus ille flagrantissimus & victoriosissimus pugnator, & Dominus Iesus Christus,
Amen.

CAPVT LI.

DE IVDICIO APPETITVS, deq; desiderijs: an pura & recta sint ad Deum, an verò sine ordine, & ratione.

QVi ad eum modum sese ipsum amat; vel amicorum quenquam; quocumque tandem ille sit statu, carne scilicet aut spiritu coniunctus; si solatium quæritab homine; si rerũ fortuitarum abundantiam; si intrinseco aliquo motu, & quasi sensu gratiæ & suauitatis diuinę afficiatur: ita dico, si istiusmodi rerũ causa, vt vel habeat, vel non amittat, aliquod mortale peccatũ committit, aut sibijpsi in potentijs animæ, & sensibus perturbationem aliquam aut furorem concitat: ille nimirum praua, & vitiosa, sensualem vocant, aliqua affectione illarum rerum ducitur. quod si contrà nullo rerum illarum precio mouetur vt in Dei mandata grauius delinquat: illum iudicabimus probè affectum qui scilicet singulari ratione omnia demum referat in Deum, & in rebus suis, adeoque in seipso Dei voluntatem perfici cupiat. Neque tamen ille non labitur, peccat sanè pro natura hominum, *Rom. 8.*
sed

August. de ciuit. Dei li 19. c. 27. & in sent. ca. 164.

sed leuius, quibus quasi stipulis ignis ille diuini amoris humilitatis & gratitudinis coalescit, & renouatur Atq; vt hæ appetitiones vel desideria, quæ quinque numero posuimus, plenius intelligantur, quomodo dirigi, vel in vsum assumi possint, paulo accuratiore studio de Scripturis agamus, productis in mediũ exemplis sanctissimorum hominum.

In Monte ca. 6. 12. 18. Item de vita act. 2. par cap. 4. Item de reb. temp. &c. ca. 22. 23. & 24. & in orat. dõ. parag. panem nost. &c.

Igitur prima species fuit illa, qua seipsum quisque quærit, gloriam, & honorem suum, corporis, vitæ, & quæ eam consequuntur. In cuius plenissimam cognitionem multa multis libris docui, quę hic compendio vnius exempli repetimus. *Optimè sibi consulunt, qui exemplum Christi, Apostolorum, patrum, &c. & ipsius natura ductum secuti, omni studio contendunt, vt corpore sano & integro vtantur, quo sufficiant laboribus, quos Deo societati hominum & sibiipsis debet. Neq; enim cibus corpori necessarius incendia libidini parit, aut in contrarios rationi affectus abripit, sed hominem ipsum idoneum & aptum reddit ad omne Dei beneplacitum. adeò nec peccati crimen euadunt, qui non eam rationem corporis habent, quam debent, quod à Deo acceperunt ad seruitium animæ.* Ex quibus constare cuique in promptu est, quomodo

sc'odis-

se odisse, & quę sua sunt, quomodo amare quisquam iure, meritoq; possit.

CAPVT LII.

DE SIGNIS AMANTIVM *amicos ex Testamento Veteri.*

SEcũda fuit amicitiæ ad amicos, probata multis, quod liquet exemplis sanctissimorum hominum iam inde ab orbe condito. Illi enim in obitu amicorum, dolorem animi quo oppressi erant palam testabantur. Cuius rei innumera de Scripturis exempla, ex libris & Sanctorum historijs referri possunt, & naturæ ratio idipsum habet. Apud Ecclesiasticum legimus: *Fili in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundum iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius. Propter delaturam autem amare fer luctum illius vno die, & consolare propter tristitiam, & fac luctum secundũ meritum eius vno die, vel duobus, propter detractionem.* Et alibi. *Super mortuum plora luctus mortui septẽ dies* Hoc est: tot, quod recta ratio præscripserit. Et Christus Marthã & Mariam quarto die repperit lugentes super fratre suo Lazaro. *Iesus vt vidit flentẽ Mariã, & Iudæos,* qui

Ecclesi.38.
Ecclesi.22.
Ioan.11.
Rom.12.

qui venerant cum ea, lachrymatus est & ipse. Quod intellexit Apostolus: Vbi nos iubet *flere cum flentibus.* Et Abraham multum lamentatus est obitum suæ cõiugis Saræ. Atque ille prudentissimus, pulcherrimus, & dignitate præcipuus Ioseph, cum sensit suum Patrem Iacob mortuum, *Ruit super faciem patris flens, & deosculans eum, fleuit eum cum tota Ægypto septuaginta dieb.* Post cum senibus domus Pharaonis, cunctisq; maiorib. natu terræ Ægypti, cum fratribus suis, cum curribus & equitibus abijt in terram Chanaan, & sepelierunt eum ibi eo loco, quo Abraham, & Isaac positi erant: *Vbi celebrantes exequias planctu magno atq; vehementi impleuerunt septem dies. Quod cũ vidissent habitatores terræ, dixerunt: Planctus magnus ipse est Ægyptijs: atq; idcircò vocatum est nomen loci illius, planctus Ægypti.* Iterum. *Cum venisset Dauid, & sexcenti viri eius ad ciuitatẽ (Siceleg) & inuenissent eam succensam igni, & vxores suas, & filios, & filias ductas esse captiuas, leuauerunt Dauid & populus qui erat cũ eo voces suas, & planxerunt donec deficerent in eis lachrymæ. Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant. Et contristatus est Dauid valdè. Volebat enim populus eum lapi-*

Gen. 23.

Gen. 50.

1. Reg. 30.

lapidare, quia amara erat anima cuiusq; viri super filijs suis. Confortatus est autem Dauid in Domino Deo suo. Doluit igitur Dauid ipse & populus super amissione coniugum, & filiorum suorum, vsque dum deficerent lachrymis. Tristabatur autem Dauid non eo solo quod abductę essent vxores, sed quoniam & sibi timeret à populo, ne lapidaretur. Neq; tamen ibi perstitit: sed post illos tantos fletus respexit Deus in illum suis oculis, & viro robur addidit. Iis nimirū medijs flectitur ad misericordiam Deus. At verò cum Dauidi plectionem proposuisset, eligeret quid mallet de tribus: *Coarctor,* inquit, *nimis, sed melius est vt incidam in manus Domini, (multa enim misericordia eius) quàm in manus hominum.* Alibi: *Horror magnus & tenebrosus inuasit Abraham.* Dum ipsi Deus prænunciaret, quid suæ genti euenturum esset in terra Ægypti. Nec verò dubitādum cuiquam est, quin eæ lachrymæ conditæ fuerint singulari spe, & fiducia bonitatis Dei, cum placida & sui pia resignatione. Docuimus eos qui timent verè, verè itidem sperare & amare, quibus probandis vel illa sufficiunt. *Multa eius misericordia. et: Confortatus est autem in Domino Deo suo, &c.*

2. Reg. vlt. Gen. 15. & ibi Aug. quæst. 30.

CAPVT LIII.

QVOD VIRI PERFECTI, boni, & simplices multa simpliciter & perfectè faciant, quæ parum perfecti imperfecta aut sensualia existimant.

Ber ser. 26. in Cant. Aug. cont. Manich. li. 22. c. 25.

MIrum est quid Dauid vir perfectus secundum cor Dei, quid etiamnum optimus & simplicissimus quisque faciat perfectissimè, & purissima in Deum voluntate, quæ tamen viri huius seculi pro sua sapientia nullo iudicio facta arbitrātur. Quod mouere nos nihil debet. Nam & auium modulatio est pro rostri qualitate, & hi cum rerum imperiti sint, leues, & nugiuendi, præstantiores se vltrò accusant de vitio: turbari illos dicunt, sibi non constare, solo sensu duci, & alia multa; quæ censura illorum ex eo est, quod ad eum modum ipsi viuere consueuerunt. Atq; ideò vt quisque perfectioni proximus, ita minimè solutus & liber est. *Omnia,* ait ille, *mihi licent, sed non omnia expediunt.* Hoc est, ea omnia quæ cum Dei mandato non pugnāt, facere mihi integrum est, adeò nulla labe conscientiæ, vt etiam cum merito: nolo tamen, ne

Gerson. de vit spir. lect. 6 in fine.

1. Cor. 6. 10.

inde aliquod scandalum in animo proximi generetur Nam & idem Apostolus alio loco docet? *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Neque vero qui ita viuunt hypocritæ sunt, quo nomine ab imperitissimis censentur: sed potius exemplo Christi & Sanctissimi cuiusque, misericordes; necubi occasione à se data labatur, vel erret proximus, ita nimirū Paulus *infirmis infirmus factus est.*

1. Cor. 8.

August. de utili cred. cap. 10. in fine.

CAPVT LIIII.

TESTIMONIA HABET amicitiæ ex Nouo Testamento.

IN Actis legimus, quod *viri timorati curauerunt Stephanum, & fecerunt planctum magnum super eum.* Hic vide *Viri timorati fecerunt planctum,* ipsis Apostolorum temporibus super occisione Stephani, fortissimi & sanctissimi Martyris, qui scilicet imminente morte cum *esset plenus Spiritu Sancto intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & IESVM stantem à dextris Dei.* Neque verò quouis modo defungebantur,

Actor. 8.

sed fecerunt plãctum magnum, quæ cum sua luce cuiuis sufficiant, videamus tamen etiam atque etiam. *Cum Ephesi esset*
Actor. 20.
Paulus, vocauit ad se maiores natu Ecclesiæ: quos cum multis verbis admonuisset, & consolatus esset, positis genibus orauit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium, & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, dolẽtes maximè in verbo quod dixerat, quia amplius eius faciem non essent visuri. Iterum. Cæsarea discedente Paulo dolebãt, & affligebantur Christiani. Sed quid testimonia cumulamus, si nec ipse Apostolus hoc affectu caruit? Ita enim scribit
Philip. 2.
supra Epaphrodito commilitone, & cooperatore suo: *Infirmatus est vsque ad mortem, sed Deus misertus est eius: non solum autem eius, verum etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.* Qui affectus si satis liquent, quid nostri censores? subijcere curabunt suis legibus Apostolum? Quid tristaris ô Paule? aut si quæ fuit, quæ tristitiæ tuæ causa fuit? non tibi placet quod solius Dei nutu & auctoritate fit: non indignè fers sensus tuos à diuiniore comtemplatione ad humanam, & in hominem conuerti? vsque eo non subiecisti te tibi? Atq; hæc quidem illorum verba sunt, quibus neque

Pau-

Paulus, neque quisquam, qui sapiens sit, respōdeat. Nam fatui & puerorum quæstionibus nec multi sufficere possent: talium numero etiam hæc censenda sunt. Cuius enim stuporis vel superbiæ sit de illo iudicium sibi sumere, quem sanctitate, electionis dignitate, pietate vix pauci æquauerint? cuius vita, verba, actiones supra omnem illorū numerum, vel æstimationem sint? Quamobrem si Scripturarū testimonia manifesta sunt, non est quod pluribus ex omni Sanctorum historia lectorē moremur, id quod sanè in promptu est. Neq; enim quemquam latere potest, quanto cultu, quantis lachrymis corpus Pauli primi Heremitæ beatissimus Pater Antonius sepeliuerit. Et Beatus Bernardus alibi tanta eloquētia, tot affectibus dolorem suum exprimit super defuncto fratre suo Gerardo, cum quo cor & vna anima erat, vt quoduis ferreum pectus commouere possit. Vt iam si quisquam audiat Christi mandatum esse, patrem, matrem, fratres, sorores, opes, & possessiones omnes esse relinquendas, & odio haberi debere, ita accipiat: quemadmodum & animæ nostræ bellum à nobis denunciandum est, si, quo minus Deo seruiamus, impedimentum nobis aliquod afferat. Nam

Hier. in vita Pauli.

Serm. serm. 26. in Cāt. Aug. con. Adri ca. 6. item epist. 89. quæst. 4. Chrysost. hom. 20 in Ioannem. Herony. in Ezech. c. 6. & in Mat. ca. 5. Et

Chryſ. ex var. in Matth. quæſt. 17. Aug. de verb. dom. ſerm. 6.

ſi pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum. Hoc eſt, ſi quiſquam tibi amicus eſt ea dignitate, & gratia, quem cum pedis, manus, aut oculi tui dextri dignitate cõtendas, mitte illum modo quo potes, & odio habe, ſiquidem te abſtrahit à Deo; non illum ipſum, ſed vitium, quod in illo eſt. Atque hoc modo oſtenſum ſit poſſe nos omni iure tum ſpiritales tùm alios amicos diligere: illos officijs & teſtimonijs quibuſdam colere: & ſi nobis obſtent, odio, & quatenus, habere. In quam eandem ſententiam multis locis multa diximus.

CAPVT LV.

QVOD DE SOLATIO REctè atq; ordine à creaturis petendo.

Aug. epiſt. 15. & 121. cap. 2. de Trin. li. 8. cap 3. ſu ca. 51. & de Monte. c. 5. & com-

SEd iam tempus eſt explicationem illius aggrediamur, quod tertio loco ſupra poſuimus: an nõ cor noſtrum captiuum teneatur, & in ſolatio creaturarũ conquieſcat, huc ea faciunt quæ ſupra docuimus, & alijs multis locis. Probatur & hoc modo: quod iã inde ab orbe condito docendis hominibus hominum

num opera vsus sit Deus. Sed illud vidē-dum ēst: qui cum tristitia vel dolore animi contristatur, ille si taceat, maioribus angustijs & tormētis discrutiatur: sin expromat, spargi malum, leuari, se & recreari sentit. Beatus Bernardus ita ait: *Suppressus dolor altius introrsum radicat, eò (vt sentio) acerbior factus, quò non est exire permissus fateor, victus sum. exeat necesse est foras, quod intus patior. Exeat sanè ad oculos filiorum, qui scientes incommodum, planctum humanius æstiment, dulcius consolētur Scitis ô filij quàm iustus sit dolor meus, quàm dolenda plaga mea. Cernitis nempe quàm fidus comes deseruit me in via hac qua ambulabam. Infirmus corpore eram et ille portabat me. Pusillus corde eram & confortabat me. Piger, & negligens, & excitabat me, &c.* Exquiramus hæc paulò diligentius. *Dolor*, inquit, *suppressus altius radicat.* pugnat enim cum natura, in qua quisq; se noscat, & sibijpsi medicus sit, quantum cùm gratia Dei, & sine scandalo proximi potest. quemadmodum hîc suo exemplo nos docet Bernardus.

ment. de oratione Dominica.

serm. 26. in Cant.

Pulchrè D. Ambr. offic. lib. 3. cap. vlt.

2. Considerandum & hoc est, qui ingenio & alacritate præstant; illi si miserias suas apud illos, quib. cōfidunt explicant,

cant, eo momento quo se produnt subtiliori iudicio videbūt ipsi aut de vultu, responsis, moribus illorum quibuscum loquuntur iudicium accipient, qua parte potissimum laborent, quæque occasionem suæ miseriæ subministrēt: quod quidem in silentio illis per se non ita potuisset. Hoc & tum fit, cum quæ animum suum mouent, scripto quisquam comprehendit, eaque iteratis vicibus legit, & repetit. vbi videndum est, vt ea diligentiori custodia asseruentur, ne, si veniant in aliorum manus, magnorum sæpè motuum vel cogitationum causam præbeant.

3. Non ex illorum duntaxat historijs quos aliunde cognouimus, sed exemplis sanctissimorum hominū ipsa Scriptura docente accepimus, de incredibili quorundam desiderio, vt sibi mutuo facie ad faciem, ore ad os loquerentur, neque non cum maximo fructu: vt nimirum moribus, eruditione, vita, verbis, exemplo, adiumento sibi & via essent ad omnem virtutem, gaudium. &, quod dicunt, ædificationem: quemadmodum videre est multis Scripturarum locis. Pauli primum: *Testis est mihi Deus, quod sine intermissione memoriam vestri facio, obsecrans, si quomodo tandem aliquando*

S. Doroth. serm. 16.

Rom. 1.

liquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, vt aliquid impartiar vobis gratiæ spiritalis ad confirmandos vos: id est, simul consolari in vobis per eam quæ inuicem est fidem vestram atque meam. Nolo autem vos ignorare fratres, quia sæpè proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc, vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in alijs gentibus Græcis, & Barbaris. Quo hoc tantum Pauli desiderium videndi Romanos? nimirum vt aliquod gratiæ illis impartiretur, solaretur, & solatium vicissim acciperet. quod in optimo & sanctissimo quoque cum ingenti gaudio exuberat, quando videt hominem pro infusa diuinitus gratia fructum facere, se solatij copiam præstare posse, & ita accipi. Ita Beatus Ioannes: *Maiorem non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare.* Et quanta humanitas? quanta Pauli verecundia? *simul consolari in vobis.* cum tamen huius officij fructus totus penes illos esset, neque solatio eorum quidquam indigeret Apostolus. Epist. 3.

4. Rectè faciunt qui solatium requirunt reficiendis sensibus, quemadmodum hoc varijs instrumentis, & exerci-

cap.2. tijs peti posse suprà docuimus. *Nos fra-*
1. Tess. 2. 3. *tres*, ait ille, *desolati à vobis ad tempus horæ aspectu non corde, abundantius festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio.* Iterum: *Nocte ac die abundantius orantes, vt videamus faciem vestram, & compleamus ea quæ desunt fidei vestræ.* Item: *plura habens vobis scri-*
Ioan. epist. 2. & 3. *bere nolui per chartam & atramentum. Spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui, vt gaudium vestrum plenum sit.* Et quid maiora his vel apertiora requirimus? quæque tutius & rectius sequamur.

Quæstio.

Neque satis imperasse affectibus suis illi sanctissimi hominum, & minimæ fidei fuisse videntur. an non à tantis viris, vel absentibus præstari hoc eodem modo potuit?

Responsio.

Sunt quidem illi tum Scripturæ testimonijs, tum naturæ rationibus omnifariam muniti, accessit Ecclesiæ consensus, vt nihil contra dici possit. Quæ qui non intelligit, is sese stupidum & sensualem

lem fateatur: atque adeo illius superbæ suæ censuræ pœnas à seipso exigat, reumque se statuat loco illorum, quos iniustissimè condemnat. Ita Chrysostomus: *Quũ auulsi alius ab alio fuerimus, deiectiores quodammodo sumus, quando verò præsentes, & in vnum coacti, multam ex eo consolationem accipimus.* Neque effari cuiquam facilè sit, quantum viri generosi, candidi, prouidi in omni virtute progressum faciant; quid videant, quid sentiant, qui mutuo sibi adsunt, docent, & docentur, solatium dant, & accipiunt: maximè cum sancta humilitas accedit, quando sese alios præstantiores æquissimis iudicijs æstimant *honore sese inuicem præuenientes*, simplices, recti: &, qui sint, satis sciant & meminerint. cumque quod in ipsis est faciant, reliqua omnia Deo commendant, qui pro sua potentia nobis sæpè nescientibus conuersionem aliorum per nos operatur, quod alibi D. Augustinus pulchrè disserit. *In eo enim radix multorũ peccatorum est, quod nos ipsi magni æstimamus, atq; id inordinatè.* atqui se norunt dimittere in quouis vitæ statu, neque fieri à quoquam magni volũt, illi tum Deo, tũ hominib. accepti, secu-

Chrysost. epist. ad Romanos serm. 2.

Rom. 12.

Aug. lib. 6. confess. cap. 7.

Amb. 2. lib. offic. cap. 27.

Taulerus serm. in dedicat. festo.

securi viuunt & læti: neque istius tanti gaudij, tantique fructus finis vllus est. *Sed difficilè est iudicare quot modis vitium hoc irrepat. fit enim dum alijs ad virtutem praire nitimur, ipsi faciles & incauti superbiæ laqueos incurramus.*

CAPVT LVI.

QVÆ ET QVALIS AMICItia inter illos, qui probi & germani sunt.

TEmpus est, vt paulò latius disseramus, quæ natura sit diuini illius amoris, cuius vsu optimi & sanctissimi quique solatio sibi mutuo sunt, & auxilio: & quoniam propositum nobis est aliorum magis quàm nostra referre, scribit Sanctus Chrysostomus: *Ita oportet amantem amare, vt & si anima ab eo postuletur, & possibile sit, non prohibeat. Non dico postuletur, sed vt & ipse vltrò dono occurrat: Nihil enim tali dilectione dulcius esse poterit. Reuera vita pharmacum est fidus amicus, reuera protectio fortis est. Quantam voluptatẽ generat, quãtam vtilitatem, quantã securitatem! Et si mille thesauros dixeris nihil tamẽ*

Chrysost. ad Thessal. hom. 2.

Aug. de ord. lib. 2. cap 8. Eccles. 6. per totum & 25.

germano correſpondebunt amico. At primum de amicitia ipſa dicamus, quantum habeat voluptatis. Qui illam videt, lætatur, & gaudio perfunditur, atq; illa viciſſim animũ eius complectitur complexione ineffabilem habente voluptatem: & ſi duntaxat admonitus fuerit illius, excitatur animo, & alacris redditur. De germanis amicis loquor, qui eiuſdem ſunt animi, qui & mortẽ inuicem alius pro alio ſubire cupiunt, qui feruenter amant. Ne mihi vulgares illos amicos cogitantes, menſarum cõſortes, & appellationis gratia amicos, ſermone illo probari putetis. Si quis amicũ habet, qualem dico, agnoſcet verba mea. Et ſi viderit illum quotidiè, non ſaturabitur. Eadem illi imprecabitur, quæ ſibiipſi. Noui ego quendam, qui cum ſanctos viros ſui gratia obſecraret, primum pro illo, & tum demum pro ſe orare obſecrabat. Tanti eſt amicus bonus, vt & loca & tempora illius gratia diligantur. Et plerumq; etiam ſine amicis ad ea loca venientes illachrymamur, dierum illorum memores, quibus illuc conueneramus, & ingemiſcimus. Nequit ſermone cõprehendi, quantam adferat voluptatem amicorum præſentia. Si quid petunt à nobis, vltrò gratias agimus: quod ſi non audent, deficimus animis, & contriſtamur. Talis erat Paulus

1. Ioan 3.
Ioan. 10.
Actor 4.
Pſal. 132.
Chryſoſt.

ad Rom. *Paulus, qui animam suam libenter etiam*
serm. 2. *non rogatus dedisset. Ita oportet feruenti*
Ambros. *affectu amare. Patres & filios excellunt*
offic. lib. 2. *amici, amici iuxta Christum. Etenim ne*
cap. 19. & *dicas mihi hoc bonum nunc cum aliis ple-*
lib. 3. c. vlt. *risq; in Ecclesia cessasse: sed cogita quo-*
modo apud Apostolos fuerit omnium cre-
dentium cor vnũ, & anima vna: & ne-
mo quicquam suorum bonorum suum esse
dixerit, datumq; sit vnicuiq; iuxta quod
Actor. 4. *opus habebat. Non erat inter illos, meum*
& tuum. Hoc demum amicitia est, ne quis
quod habet suum æstimet. Magnum quid
est amicitia, & quam nemo possit sermo-
Lege D. *ne consequi, non expertus. Qui amat, nec*
Ambros. *præcipere vult, nec imperare: sed gratiam*
offic. lib. 1. *habet magis si imperetur ac præcipiatur:*
cap. 31. *beneficium magis impendere, quàm acci-*
pere cupit, quoniam amat. Non ita gau-
det sibi benefieri, vt aliis benefacere. Vbi
amicitia non est, exprobramus: si quid
beneficii impendimus, & minuta exag-
geramus: si verò est amicitia, abscondi-
mus benefacta; & quæ magna sunt, mo-
dica videri cupimus, ne nobis amicum
velut debitorem obstrictum habere vi-
deamur. Scio à multis hæc non intelligi:
causa in eo est, quod de re disputo, cuius
habitatio in cœlis est. Hactenus ille, quæ
sane suo pondere maxima sunt, licet vi-
deantur

deantur exigua & ſimplicia, quæ omnia latius explicare ſuperſedemus; vt ſcilicet Sanctus Spiritus pro ſua potentia in cuiuſque animo operetur illa, & perficiat.

CAPVT LVII.

Quæſtio.

QVo igitur iudicio amorem illum, qui fallax, ſenſu duntaxat, & inani virtutis ſpecie nititur, ab illo ſecernemus, qui purus & germanus eſt?

Reſponſio.

Parum abeſt quin ſilentio hanc rem tranſigamus. Cui enim ignarum eſt peccato Adami primi parentis noſtri ita per peccatũ, noſtrûm omnium oculos apertos eſſe, vt quemadmodum de ſcintilla ſulphur ignem concipit, ita nos minimas peccatorum notas ſtatim percipiamus? Atque idem noſter homo ſi renouatus eſt, ſi virtutis & honeſtatis amans, verè ſpiritalis, ac quicquã accidat quod honeſtum non ſit, ſentit ſtatim & turbatur ad illos vel leuiſſimos motus capitalis inimici ſui. vt omninò qui rectè afficitur, illi facillimum ſit ſententiam ferre: an de honeſto hic amicitiæ vſus veniat, an aliter: neque huic maiore

Ambrof. offic. lib. 1. cap. 19. maiore doctrina opus sit. At qui sibijpsi adulatur, qui tũ ad Christi iugum suspicit, tum in veterem communem nostrorum morbum relabitur, & hæret vtrimque ambiguus: ille sibi (puto) eorũ omnium veniam facit, & ab omni sensualitate vindicat, de quo tamen fonte profluunt, quæ agit omnia: & quid est quod nostris verbis commouere quicquam illos speremus? sed tamen de fructibus co-*Matth. 7.* gnoscimus arborem. *Ego*, inquit casta *Ecclesf. 24.* Sapientia, *quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis. Ego mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Et radificaui in populo honorifi-* *Sap. 7.* *cato.* Et alibi: *Innumerabilis honestas per manus illius venit mihi.* Flores & fructus honesti amoris sunt: honor, honestas, reuerentia, agnitio, spes, quæ scilicet meditanda cuique sunt, & solerti indagine repetenda: sunt enim longè maxima. Sed quemadmodum auem iudicamus de pennis, & stultitia difficilè premitur: Ita qui sensu potissimũ ducuntur (quanti tandem videantur honesti cultores) detegunt aliquando aures suas, produnt sese cum tempus vel occasio fert: maximè si apud illos sint, vbi nullo hominũ metu, suo tantum genio viuunt: tum videre

dere est illos obscœnis verbis, vultu, factis, risu saltē, & applausu pessimis quibusq; alludere, procul ab illa lege casti & synceri amoris. atque ideo qui cum motibus ita inhonestis non pugnat, qui sese ipsum ad pœnitentiam & dolorem non excitat, aut nihil tale intus sentit, illū videlicet de sensualitate condemnabimus: cuius causa est in impuritate cordis. Neque enim maiore odio ferimur in inimicos, quàm in illam, quæ vultu, verbis, nutibus, quoquo tandem modo se profert turpitudinem: quanquam ille Adam noster pro ingenita sibi concupiscentia exurgat aliquando, & ostentet sese. Atque ideò qui honestus sit, si apud sese hominem videat, qui tale quicquam se spectante patrârit, continebit in officio animum, & quasi frenum iniiciet libertati, ne quid offendat: atque adeò si honestè potest, fugam capescet veniente illo: sin aliter, moribus & vultu compositis, sicubi verbis, aut facto opus est, ita aget citò, & paucis. Est enim ab officio viri boni alienissimum, commendatione, vel in formam ridentis attollere illa tanquam decora, & egregia: ac non potius dolere, vel abominari. Ad hunc modū iudicium sensualitatis expediemus. Sed vt nunc sunt homines, illa vel io-

cunda

cunda nobis, aut certè nulla grauiore censura digna censent, complectuntur vltrò ciendæ voluptati: illa quæ pura sunt, casta, diuina ad carceres & metalla relegant: super quos illud Prophetæ væ cadit: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.*

Esa. 5.

CAPVT LVIII.

DE SOLATIO INORDINATO, quod à creaturis expetimus.

1. Cor. 10.
Gal 3.
Cyprian. de singul. clericorū.

Atq; hæc quæ iam diximus, cum cura & studio tenenda sunt: sed neq; dum finis est. Clamat Apostolus: *Qui stat, videat ne cadat.* Iterum. *Sic stulti estis ô Galatæ, vt cū spiritu cœperitis, nunc carne consummamini?* Docet etiam Cyprianus, quod sexu vel dignitate impares sæpè in mutuam cohabitationem consentiant, magna primū sanctitate, specie saltem: cuius finis non in spiritu, sed in carne terminatur. Videat quisq; ne affectus ille pereat, quo primū cœpit, & in eius locum succedat carnalis & vitiosus. Quod factū facilè est, eò maximè, quoniam ille qui suauitate illius puri amoris iam pridem illectus, eius saporem aut sensum (iusto Dei iudicio)

dicio) si non semper sentit, pro suo captu laborat, sicubi repetere, & frui illo possit: quod (quoniam in potestate & manu nostra non est) ita non potest. tum verò mutatis in contrarium naturis, id quod cum suauitate pridem consueuerat, iam si faciat, tentationem habeat, & causam ad impuritatem. Vt omninò falsa illa, acuta, corrupta hominis natura, quæ cœperat specie liciti, aut testimonijs germani amoris probabatur: postremùm (quæ iustitiæ diuinæ permissio est) prolabatur tota, & caro in carnem resoluatur. Atque hæc prima species illius amoris sit, quem à sensu æstimamus. Cæteroqui incongrua multa, & absurda consequentur: nullo fructu, & nulla necessitate dabimus sine mente sonos, non sine ingenti multorum, qui simplicis & bonæ naturæ sunt, perturbatione; vt illa omnia silentio transeamus, quæ hoc capite non intellecto expectanda nobis sunt, insignia corporis & animæ nocumenta. Sed iam tempus est, vt illius affectionis species plures explicemus. Sunt igitur qui de Creaturis Deum sibi constituunt, quemadmodum & Paulus in illos inuehitur, quibus *Deus venter est*. Et Christi testimonio scimus esse qui Mammona iniqui-

I. *Species praui aut inordinati solatij.*

II.

Philip. 3.

Matth. 6.

iniquitatis adorant: & hi quid nisi idoli vicē habent illos, quos solos depereunt, quos nunquam ab animo, nunquam ab oculis deponunt? In Actis legimus de
Actor.12. Herode: *Statuto die Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat Dei voces & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo.* Nimirum placebat populo Herodes, ideoque non humanis & vsitatis, sed diuinis illum laudibus prosequebatur.

III. Sunt qui auxilium & opem ab ijs quærunt, quam à solo Deo quærere debebant. quemadmodū qui ad diabolum, & suos conuertuntur, ariolos, aruspices phytonissas; quod quidem impij & superstitiosi est, sæpè cum specie quadam & vmbra rerū sanctissimarum. sed eius impietatis rei primo præcepto damnantur: cuius latior explicatio hoc loco peti non debet. neque enim paucis opus esset in ea materia, quæ etiam hoc nostro seculo in multorum animis dominatur.

IIII. Intelligimus his verbis etiam illos, qui se solos quærunt nulla Dei ratione, sibi primas deferunt, & deferri volunt: qui excusationes quærunt ad excusandum in peccatis. Exponunt queruli, quibus

quibus difficultatibus quantis angustijs teneantur: sed apud illos, qui eandem personam agunt, adulatores, loquaces: quibus nulla veri, nulla decori ratio est: qui trepidant ad aspectum viri potentis, atque ideò consilium vel solatium non dant pro animo suo, sed pro illius, cuius sensum pernouerunt. Et qui hunc in modum consilium quærunt, viri ferè sunt magnanimi, elati, qui toti ab hoc mundo pendent, diuitijs & clientela potentes. Breuiter, pro huius seculi æstimatione maximi. His vltrò accedimus, probamus causam, laudamus rationes, & inuenta, etiam iniquissima. Audiamus Sapientem de Scripturis: *Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem, & hi quos habuit, separantur. Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper & amici procul recesserunt ab eo.* Iterum. *Etiam proximo suo pauper odiosus erit; amici verò diuitum multi.* Hoc est, si quid faciat vir diues etiam malè, probatur, & inter bona reputatur pauperis benefacta reprehensioni obnoxia sunt. Et alibi: *Diues commotus confirmatur ab amicis suis: humilis autem cum ceciderit, expelletur & à notis. Diuiti decepto multi recuperatores, locutus est superba, & iustificauerunt illum: humilis deceptus est, insuper & argui-*

August. de ciuit. Dei lib. 1. cap. 9.

Prouerb. 19. 14. 18.

Ecclesi. 13.

arguitur. locutus est sensatè, & non est ei datus locus. Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsq; ad nubes perducent: pauper locutus est, & dicunt: quis est hic? & si offenderit, subuertent illum. Et quid est quod requiramus amplius conuincendis ijs, quorum praua solatia, adulationes, & illud seruilis ingenij, obsequi? hæc Sanctæ Scripturæ testimonio in manifesto sunt: *Peccator,* inquit ille, *laudatur in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Queritur Apostolus, & quidem verissimè: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* Quantò rectius nos hoc seculo, & his hominibus? Quærunt sua non illi modo, qui diuitias, possessiones, dona, sportulas, præsentias, conuiuia, lapides, & istiusmodi multa, supra, & præter omnem modũ ambiunt, sed & illi qui honore, & dignatione attolli, sapientiores esse alijs, ingenio, doctrina, iudicijs maiores videri volunt: qui eo carere non possunt, cuius gratia magni & honori censentur. Atque his omnibus horum adulatorum spes innititur: vt omninò qui in eum modum ab homine sperant solatium, omni vituperio digni sint. siue illi accipiant, aut verò cæci, miseri, auari consolatores alijs impartiant.

Clemens Alexand. Strom. lib. I.

Psal. 9.

Philip. 2.

Intel-

Intelligemus quintò illos, qui nulla ratione beneplaciti diuini (cuius prima esse cura debebat) maiore importunitate dicam an festinatione, cum impetu quodam deferuntur ad solatium quærendum: nullo eoru omnium quæ circumstant respectu, cõtemptis omnibus, dum sibi hic aliquid sperant; aut certè pertinaci conatu, vel impatientia animi. Ita docuimus iam exemplo Pauli, qui scilicet magno desiderio Romam cogitabat, vt vultu, alloquijs iuuaret, & iuuaretur. Sed tamen eo nomine Deo inprimis supplicabat, *in voluntate Dei*, inquit: atq; vbi impeditus fuit, accepit lubens iudicium Dei. Esse cuiusque rei suum tempus, media, rationes, Scriptura, natura, & modis omnibus probatissimum est. Properantium properata consilia vel solatia intuta ferè sunt, & cũ vitio. Quod idẽ iudicium est de operibus. V. *Rom. 1.* *Iacob. 4.* *Chrysost. in hunc locum.* *Ecclesi. 3.*

Peccant & illi, qui quærunt solatium à quibus minimè debebant, qui apud eos sua negocia explicant, quos inde scandalum pati, varijs suspicionibus distrahi, atque in calumnias & detractiones impotentia animi resolui sciunt. VI.

Eodem loco sunt qui ab illis pendent, quorum neque prudentia, non fides, aut pietas præclara; quæ sanè explicatu

pulcher-

pulcherrima futura erant, sed repetere, quæ supra diximus, necesse non est.

De Consiliarijs.

VII. Sunt etiam qui illum modum quæsitioni suæ adhibent, vt ne quid amplius quàm scire illum velint. Hoc est: ea omnia explicant quæ possunt causæ conferre; quæ obesse, prætereunt: eadem fide aduersariorum causam agunt vel argumenta explicant. Quod sanè præter omnem rationem fit: quoniam neque quæsitis ad eum modum quisquam possit respondere, neque aliquod operæprecium referre qui quærit.

VIII. Est hoc postremum vsus vel erroris publici, dum ad miserationem nostri alios commouere, nostras necessitudines exponere in eum maximè finem conamur, vt ea specie aliorum bonam famam lædamus: illos ex opinione,& animis,quasi sede dignationis &gradu deijciamus, quod laudari nullo modo potest. Igitur qui à creaturis hoc sensu quicquam expectat, cum reprobis suam portionem ponit. Sed qui aliàs, vti opus est, & decet Christianum, in homine & per homines Dei sententiam exquirit, quis non omni laude, & Deo auctore hoc institutum prædicet? In hoc seruit virtus obedientiæ: in illum vsum sunt Magistratus, sunt Doctores, & Rectores, qui

cum

rum mundo initium, & non, nisi illo pereunte, finem accipient.

CAPVT LIX.

QVA DE CAVSA VITIA, aut vitiorum similitudines, tristitias, dissensiones inter amicos Deus ferat.

HActenus de extrinsecis, quibus sensualis amor notari potuit: de ijs quæ intus sunt Deus iudicat, & spiritus qui in homine est. Hoc est: potest apud se homo quid in rebus velit, qui animus, quæ voluntas sibi sit, expendere neq; enim quicquam est dare, quo abuti iudicio, & praua voluntate non possit. Sed illa quæ iam diximus testimonia,& signa puri amoris, illud gaudium, suauitas, solatium, nec præsentibus semper pro libitu adsunt; cætera fidissimis & amicissimis. Quid enim si nec electo semper afflat Dei gratia, & ille quasi sensus diuinitatis (in quibus ille idem Deus habitat, & mansionem facit) quid amicis expectandum, certè hominibus, miseriæ & morti obnoxijs? An verò, si periculum ijs est, ne recti conscientia & gratiæ tactu altius se tollant: nos

De Monte cap. 9. & par. 5. & 8. de Timore. scilicet secura omnia sperabimus in illa coniunctione, quam cum homine habemus? & qui homines? qui hostem in nobis alimus capitalẽ, & ingenitam Adami sobolem. De cuius pugna, astu, insidijs vt repetamus, quod alibi diximus:

De Monte cap. 9 & par. 3. & 8. de Timore. *Omninò tenendũ est, duos vt vocãt homines, aut duas integrales partes, quæ totum hominem constituunt, in homine esse: quæ ratio benè cognita plurimum nobis contulerit ad huius vitæ miserias & difficultates, quæ subinde incurrunt, sustinendas Hi inter sese diffident perpetuò capitali odio, neq; vlla pax neq; concordiæ ratio haberi potest. Sunt autem, vetus ille Adam noster, qui carne & sensibus nititur: & alter, nouus in Christo regeneratus Adam per spiritum. Vtriusq; multa mentio, & descriptio est in Scripturis; & quisq; nostrum in seipso probat & experitur. Si quis illa omnia in digitos coniiciat, quibus in hoc mundo se mutuò inimici impetunt, quo astu, quibus insidijs, qua pertinacia, planè intelligemus non accedere illos ad hoc implacabile bellum, vbi perpetuis excubijs timore & metu vtraq; pars exercetur. Iam primum ille veterator longè maximam formidinem nouo homini incutit illa innata sua infirmitate, cæcitate, concupiscentia: illa tanta facilitate in omne malum.*

malum. Nã vt naptha aut sulphur ignem concipit, tam ille ex seipso procliuis, facilis, & praeceps est in peccatum: neq; hic quoquam se vertat quin ibi praesentem sentiat illum: mox vt sese mouet, adest. & vel aperto Marte & cũ clamore adoritur; aut obliqua via cuniculos agit, & parat laqueum aliquando ficta arma in speciem iactat; metũ & terrores vel minas incutit, quando constanter excipitur: saltem ne quiete & ocio homo frui possit, ne quicquam eorum faciat, quae constituit. Sin autem maximis sudoribus enitatur, tum vel maculas aspergit, aut totius operis decorem erroribus offuscat, tanquam nube inducta. cuius tam periculosi, tam assidui & imperterriti hostis neq; effugium, neq; finis est in hac vita, nec ad momentũ quidem. Quo quidem tanto praelio semper anxius, & sibijpsi quodammodo diffidens exercetur hic homo, timet, trepidat; sed cum insigni gloria & commodo suo, illius verò impugnatoris ignominia, casu, & tandem morte. Ait enim Dominus ad Paulum, cum hoc bello exagitaretur: Sufficit tibi gratia mea: nã virtus in infirmitate perficitur. vt quamuis ad tot insultus subsidere, errare, aut deficere nonnunquam videatur, atq;, vt plurima reddat, aliqua tamẽ accipiat vulnera, est tamen ille pro-

 fectus

fectus pulcherrimus, qui tot indies coronas reddit, tot in animum virtutes transmittit, & tanquam aurum ab igne ab ijs tentationibus, uti discussa nube, purior, pulchrior, & perfectior reddit. cedũt enim bonis omnia in bonum, quod Domini sui exemplo faciunt, quãdo in manu non habent illa prorsus tollere, tanquam occasionem accipiunt probitatis, constantiæ, & virtutis. Atq; ut caro tantum negotij spiritui exhibeat, ille se non deserit; proponit etiam carni quæ timeat; mortẽ, iudicium, & Gehennam. Adhæc fomenta & occasiones omnes subtrahit, quibus insolẽs illa & superba eò audacia succrescit, ea tamen moderatione, ne dum nimium purgat, & abstinere cogit corpus, sese ipsum impediat. Qui enim naturæ suæ vim facit, dum toto animo in hostem fertur, quem in intimis visceribus alit, ut illum sub pedibus premat, ille cum sentit spiritum pristinis operibus & officijs fragili & infirmo iam corpore non sufficere, eam occasionem accipit ad maiores vel grauissimos motus excitãdos, quos ante nequicquam tentasset: sed quemadmodum gentilium templa patres nostri non omnia in cineres redegerunt, quinimò eiectis idolis & expiato loco, Deo viuo consecrârunt: etiam sensus & vires animæ nostræ nequaquam obruẽda, sed ab

illa

illa in malũ inclinatione retrahi debent, ne quo modo peccato cõsentiant. Sed cum hac spiritus carni obijciat, tum vel maximè tanquã habenis in officio continet timore & charitate Dei. Quæ cum ita sint, & res ipsa nullam prorsus mutationẽ promittat, tum hic homo noster se totum ad patientiam componit, neq; quicquam sua interesse putat si alter infanda cogitet. si per sibilos & murmura inquietudinem moliatur, si tumultus excitet: quando causam non dedit, nec accedit & probat illos motus. Enimuerò cum non liceat illum domo tanquam hospitio quod accepit à Deo per vim eijcere: arbitratur se suo muneri satis fecisse, cum ita rem instituit vt se ille timeat. nunquam impotentis serui illecebris consentit, nec de sua statione decedit. Ille vetus Adam ferè prauis desiderijs agitur: quicquid enim cogitatione concipimus, verbis aut rebus ipsis explicamus, id totũ ex concupiscentiæ fonte est. Cui si spiritalis homo non accedit, adeò peccata dici non debent illi motus & turba, quod ijs vti meritis coronas & laudem Deus repromittat in cœlis. Seruite Domino in timore, ait ille, *& exultate ei cum tremore.* Psal. 2. Quæ ratio si in ordine ad Deũ est, an non potior cautio in creaturis? Iterum: Ille noster nouus Adam, & in

Christo regeneratus si tacitè, vel animo solo statuat de perfectione morum, adest statim veterator; & vel apertè impedit, machinis & omni tormentorum genere adhibito, aut verò delitescit alibi, expectaturus quò se proripiat, cum spe maioris victoriæ vbi tempus aderit, atque ea contentio aut insidiæ non nisi cum vita finem habent in nobis. Hæc cum intrinseca & latentia sint, an nō maioribus periculis se cōmittit, qui cum amorem quo intus exardescit, & rapitur in amicum, ex abundantia cordis profert, & testatum facit? Sit sanè ille puri & sinceri amoris affectus, qui gemina libertate totum explicat id quod est: eademne est amici sententia & acceptio? Postremùm sit vtriusq; eadem sententia, candor, sanitas, an verò ea durabit in sequentes annos? fieri potest, quæ iam puritatis & amicitiæ sunt germanæ filiæ, ea ipsa postmodum recordatione eorum, quæ extrinsecis moribus vsurparunt, in sensualitatem peruertantur: atq; tandem quod spiritu cœpit, in carne desinat. Prudenter illi qui se exemplo Iob componunt: *verebar*, inquit, *omnia opera mea.* neque tamen quò minus benè faciant vllo metu perturbari possunt. Teneamus igitur, & quod aliâs ferè semper, etiam hîc statuamus:

Galat. 3.

Iob. 9.

mus:

mus, si occasio & tempus ferant: habent singula suas rationes, suos dies, illorum obseruatio est cuique necessaria. quo nomine peccant multi, qui quouis tempore licere sibi quiduis putant, quo etiam facit, quod pro sua sapientia Deus peccata in amicis ferat, aut peccatorum similitudines, dissentiones, diuersa, repugnantia multa permittat, vt scilicet hoc totum quod à sensu est procul absit: illi verò ipsi cum timore casti & sancti perseuerent: atque adeò illa omnia quasi iugis monitor nobis sint, necubi exorbitemus. In eo vis omnis amicitiæ & solatij consistit, quoniam & hoc pacto sensualitatis ratio haberi potest, quando ille cui vera puritas, & syncera amicitiæ testimonia cordi esse debebant, eo solo ab illo animi statu deficit, quod ea quæ extrinseca & necessaria non sunt, sibi non exhibeantur. Et cuius stultitiæ sit, eo vestis aut lapidis pretiosissimi pondus despicere, quod leuem maculam contraxerit? ea quæ intus sunt ad nutum non adhibentur? vt corpori benè sit animæ mortem pati? Neque natura hominis fert semper lusu & suauitatibus oblectati, vel adesse amico: quod longè aliud expectet ab illius cõstantia, quàm huiusmodi nugis satisfacere: cum vera amicitiæ proba-

Thom. opusc. de perfect. cap. 9.
Hieron. de forma viuendi ad Rust.
Eccles. 6.

tio in periculo sit. Ecce tibi bonitatem Dei, quomodo ille vsquequaq; custodit, & docet nos. Quanta nostrûm cæcitas, qui non de manu Dei omnia tanquam maximè pręclara, & ad salutem nostram accipimus. Benè Paulus: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Eædem rationes dari possunt ijs, qui quærunt qua causa permittat Deus dissidere à filio patrem, ab vxore maritum, à fratre sororem, à principe subditum, repugnare, contradicere, turbari, dolere: ne scilicet sibi mutuò nimium innitantur: ne sensuum affectus voluptatũ puritatẽ tollant, sed tuti, & constantes in æquilibrio consistant. Est ea gratia & bonitas Dei admiranda. Ait Apostolus: *Quem diligit Dominus castigat:* Ita qui amico suo, quem omnibus modis complectitur ea signa exhibuit, quæ, si discretè & castè vellet, non debebat: ille idem in illo ipso, aut causa illius, difficillima omnia & grauissima, deuenit tandem adusque mortis angustias. quoniam *per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Cuius rei in Scripturis exemplum est S. Patriarchæ Iacobi, & Iosephi, quæ historia quoniam in promptu est, hîc silentio prætermittimus. Hoc addimus de sententia Sancti Augustini: fuisse hoc decretum iudicij diui-

Rom. 8.
Caiet in 16. cap. Ioannis.
Hebr. 12.
Apoc. 3.
Sap. 11.
Genes 37. 42. 43.
August.

cij diuini super miserijs & calamitate senis Patriarchæ Iacobi tam diuturna, mirandum in primis: cuius tamē causa dari possit, quod ille idem Patriarcha extrinsecis amoris & affectus sui signis modum excessisset, dum supra cæteros extollit, plura beneuolentiæ signa exhibet, tanquam vnicum complectitur filium suum Ioseph. At verò mutatis temporibus eundem filium suum, & ex eo nepotes, cum in Ægypto esset, amauit & coluit supra cæteros: quo nomine tunc & pietatis & prudentiæ laudem promeritus est. *serm. 82. de tēpore.* *Amb. lib. de Ioseph. cap. 2.*

CAPVT LX.

MVLTA BONA PRO TEMporum ratione, aut mala censeri. Quorum obseruatio difficillima homini sit, quemadmodum & mediocritatis.

ID quidē patet exemplo Iacobi, quod iam posuimus. nimirum, quæ signa fuerant (rara tamen) imprudentiæ, ea post, vberiora etiam & auctiora; erant pietatis, & discretionis. Est ea hominis cæcitas, quam ille sapientia, sanctitate, & ipsa senectute sapere videatur. neque tamen concidit animo Iacob, sed quasi re-

ſumpto ſpiritu ſurrexit, & progreſſum fecit pulcherrimum. Flebat amariſſimè Dauid ſuper amiſſione, &c. ſed tandem poſito luctu reſumpſit animũ, pari fortitudine & conſtantia cũ ingenti in Deum fiducia. Ita pro ratione temporum & occaſionum facta æſtimantur. Apoſtolus vult nos *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*. Item: fit quæ inſpirante Deo rectè fiunt ab homine, eo diuino motu ceſſante, ſi fiant, cum vitio fiunt. Iudith cura Reipub. & monente Deo ornabatur, leuitatis fuerat ſi ea cauſa defuiſſet. Quod exemplum ſi ſua luce manifeſtum eſt, quid agimus? non eſt ille cibus ad guſtum naturæ noſtræ, repugnat rationi, ſapientiam non audit: quemadmodum & pueri quæ grauia ſunt non capiunt, prius habent ſe iocis & nugis ſuis oblectare. Habet hoc animi noſtri impotentia, omninò in hanc vel in illam partem ferri, toto quod aiunt pectore in rem incumbere, aut prorſus auerti pro iudicij ſui placito; orare, abſtinere, ita nunquam medium ferit: ſed cum vni rei ſeſe dedit, cõcupiſcentia fertur in aliam, in fines, & in extrema rerum. quæ mediocritatis ſunt, prudentiæ, ſanitatis, quę temporum vel accidentium momenta habent, vt audiat, imperare ſibi nullo modo

Rom. 12.

Iudith. 10. & ſeq.

D. Ambr. offic. 2. c. 9. & lib. 1. cap. 43.

modo poteſt. Atque hæc cauſa dari poteſt eius oſcitantiæ, cum in rebus agendis quaſi in labyrinto deprehenſi ab vno in aliud atque aliud ferimur: neque explicare nos ipſi neque ſolui ab illo nexu poſſumus: ſed quod de mulierculis inquit Apoſtolus: *ſemper diſcentes nunquam ad ſcientiam peruenimus.* Atque his hominibus illos opponimus, quibus curæ eſt purgare frumentum, euellere zizania. *Nam viri boni & pij cum ſentiunt exurgere in ſeipſis concupiſcentiam, & deflectere ad illicita, mox remedium adhibebunt illi temeritati, & ſeparabunt triticum à paleis & Zizanijs, neq; committent, vt præ nimio feruore triticum cum Zizanijs euellant, & Dei ſpiritum extinguant. rectè omnia & ordine inſtituent. Humanitate, beneuolentia, manſuetudine erga omnes alios & erga ſeipſos vtentur parati ad omnem rationem,*

&c.

1. Tim. 3.
Lib. de Monte cap. 10.

CAPVT LXI.

DE SOLATIO, ET AMORE illis exhibendo, in quibus neq; malitia, neque falsitatis quicquam est, & quando tandem hæc solatia relinqui meritò debeant.

Estque in his omnibus videndum, ne viros simplices & planè bonos eorum moneamus, temerè & properanter, quæ nō nouerunt ipsi: fit enim vt ijs quasi delitijs sanctè vtantur, & proinde castius viuant, quàm alij in cilicijs, & media heremi asperitate. Timere etiam possumus, si illos ab isto vitæ genere libero, & suaui, specie alicuius mali imminentis abstrahere conemur, tum grauissimis sceleribus se induant, quorū antea nec cogitatione meminissent. Dicat aliquis: Mirum quidem id non est. neque enim illa abstractio vel auersio est causa sequentis peccati, sed retectio potius animi illius, qui antè tanquam sub velo abscondebatur.

Responsio.

Contra esse abundè probant opera, nimirum quibus ea occasione licebat esse

malis.

malis nullo hominũ metu, in peccatum nec sola cogitatione consenserunt, nedũ corde, aut opere: iã ab eo amicitiæ vsu remoti in omne vitiorũ genus audacissimè proruunt. quo satis constat nõ aliqua sensus illecebra captos primũ fuisse, sed ingenui & simplices animi ductu id fecisse, quod neque Dei præceptis contrarium, neque ab Ecclesiæ consuetudine alienum esset: vt, qui bonus & honestus, licitè eo vti posset. Qui enim illo abutitur quod ex sese malum non est, non excusatione in peccatis, sed criminis cõfessione veniæ locum quærere debet. Noscat se quisque, quod iter ingressus, quid naturæ suæ consentaneum, quod beneplacitum Dei sit, neq; Petri exemplo turbetur ecquid agant alij, quoniam sua nihil interest: quibus omnibus tam ociosis in Petro Christus respondet: *Quid tua, sequere me.* Postremùm incidunt sæpè perturbationes, quibus auertendis consilium & opem frustrà quæsieris. Igitur si neque verbis neque opera tollere quisquam potest, neque tamen ad eam grauius quidquam accedat: erit prudentię si teipsum constantia & animi fortitudine contineas, non in querelas & lamenta mulierum in morem conuertaris: non apud alios atque alios misertiæ tuæ mala

Genes. 51.

Ioan. vlt.

 expli-

explices, sæpe loquaces & indignos. sed hoc totum Deo committas, posita omni humana fiducia. quoniã & Paulus cum ter *Dominum rogasset, vt discederet à se Angelus Satana*, accipit responsum: *Sufficit tibi Paule gratia mea. nam virtus in infirmitate perficitur.*

2. Cor. 12.

CAPVT LXII.

QVÆ TRISTITIA LAVDAbilis super amissione bonorum temporalium.

PRimùm sunt hîc ea repetenda, quæ supra L I. & L II. capitibus diximus.

li. de Mõte cap. 15.

Secundò, quis appetitus habendi probari debeat, ex libro quodam nostro paucis repetemus. *Est appetitus habendi, qui cũ immoderatus est, auaritia dicitur. & habent auari testimonium Apostoli: quod regnum Dei non possidebunt. sed cum certis & æquis limitibus continetur. desiderat opes illas, quæ non pereunt. Christus docet beatos esse qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Et sapiens: Qui me edunt, adhuc esurient, & qui me bibunt, adhuc sitient.* Iterum: *qui habere cupiunt quantum ratio & necessitas exigit, nec facilè carere*

Matth. 5.

ijs quæ habent, vtiq; benè faciũt. Nam & Iacob Patriarcha petit sibi à Domino dari panem ad edendum, & vestem ad induendum, & quotquot sumus Christiani, quotidianis precib. necessitati vitæ nostræ consultum cupimus. Qui ad eum modum affecti sunt, excitãtur ad omnem diligentiam, studium & laborem, & vt ea quibus indigent honestè parent, vt habeant quo sibipsis sufficiant, & pauperibus diuidant, & tandem nemini molestiam exhibeant. Vt qui maiores sumptus reformidat, eo ipso mouetur, vt rei circumstantias omnes accuratè expendat, quod facturus non erat nisi hoc appetitu retraheretur: qui quamuis præter rationem sæpè turbat, & primo impetu multum pulueris trahit, addit tamen calcar homini, solicitudinem & curam ingenerat, & socordiam animis excutit.

Tertiò id nobis iam constituendum est, quod propriè huc pertinet: Qui dolent aut tristes sese exhibẽt propter amissionem rerum temporalium, sed (quod ille inquit) cum ratione: id testimonio non est illos aut affectu nimio duci, aut malè ab animo constitutos esse. Quoniam scilicet Scriptura sacra, exẽpla Sanctorum, & ipsa naturæ ratio istiusmodi dolorẽ admittunt, ꝗ alijs libellis separatim docuimus.

cap. 15. de Monte.

De vita act. de reb. tempor.

docuimus. Atque hîc repetemus, venire bona illa de benedictione & manu Dei, & Sanctissimum quemq; magni semper illa fecisse: ijs consequendis multum laborasse, cõsecutis lætatum esse, & gratias Deo egisse, quod etiamnum Christiani in oratione Dominica petimus, quæ quotidiana nobis est: vt nihil mirum sit viros bonos & sanctos tristitiam eo nomine sensisse in animo, & re ipsa exhibuisse: cuius causæ multæ sunt.

Vide lib. vita act. cap. 2. & 3. Et de Mõte cap. 4.

1. Vult habet Deus (probationes suppetunt in Scripturis) horum possessione & fructu nos deijcere in vicem pœnitentiæ: quæ ipsa castigatio sui acerbitate dolorẽ in nobis excitat, atque vt doleat vult Deus; cuius tamen alia causa fuit in Iob, & alijs quibusdam Dei Electis, quam silentio hîc pertransimus.

Prouer. 13.

2. Fit quidem Deo satis voluntate, quando re ipsa non possumus: sed tamen quis nõ doleat impediri se ab ijs prestandis, quæ magno & pio animo conceperat? Esse enim illorum bonorum vsum viris pijs beatissimum, & sanctissimum, & re ipsa, & libellis nostris accuratè demonstratum est.

3. Si id fiat iniustitia illius qui aufert (quod sæpè vidimus) eo tanto scelere, rapina, furto dolemus. Videlicet iustitia, & vir-

& virtus ipsa nobilissimo cuique gratissima est: eo grauior iniustitia illis qui probi, & pij sunt. ideoque contabescunt, quod sentiant hoc scelere illius animam contaminari & perire, quam ad sui similitudinem creatam suo Sanguine Deus redemerat.

4. Dolet meritissimò, quia timet ne forte hæc acciderint vel vitio suo, maximè si occasionem dedit ipsa sua imprudentia, peccatis aliorum: quòd videre est vbi Domini, parentes, mariti, superiores negligunt filios, familiam, subditos: ideoque furantur illi, & sceleribus se polluunt.

5. Dolet propter tot irritos labores, & vigilatas noctes, quòd illa pereant, quæ tot impēdijs iustissimè quæsierit. quamuis ille idem eodem loco, & gratia futurus sit apud Deum, si nullo suo vitio hęc contigerunt.

6. Quoniam destitutus iam, vxori, & liberis superesse non possit: qui (nequaquam ita firmi & perfecti) impotentia animi in desperationē agi possent cum periculo honoris, animæ, & corporis. Ecce tibi auream Sapientis sententiã: *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria. ne fortè satiatus, illiciar ad negandum, & dicam:* *Prouer. 30.*

cam: *Quis est Dominus? aut egestate compulsus, furer, & periurem nomen Domini Dei mei.* momenta singulorum verborum diligenter expende. Multa reperit, & excogitat vir pauper, & fames ipsa gladio acutior. & quotusquisq; nostrum est (sumus ferè imperfecti) qui non affectibus & necessitate rapiatur? Temporibus Diui Nicolai vir diues hactenus inuidia fortunæ ad egestatem compulsus, tres nobiles filias vt quęstum corpore facerent (erant autem pulcherrimæ) iam destinarat. Id cū sensisset vir sanctus, intempesta nocte per fenestras tantum pecuniæ in domum viri illius iniecit, quæ doti sufficeret. Vide vim inopiæ. Vir ille cætera egregius fuit (si hoc vitij demas quod pusillanimitate incidit) quod vel ex eo liquet, quoniam ea pecunia non ad lusus, & ingluuiem abusus est, nec sibi quidem datam putauit; sed honestati, & matrimonijs filiarum. atq; ita, vt dotem (immisit eam per vices vir Sanctus) accepit, pro ætatis ordine maritos filiabus quæsiuit. cuius probitatis merito mouit Deus animum Nicolai, illiusque opibus salutem familię parauit: quod causa peccati, quo tantū facinus cogitasset, non in malitia, sed in animi ægritudine fuisset.

7. Dolet, quod ea calamitate oppressus credi-

creditoribus suis non sufficiat, qui scilicet actionem, & lites sæpè, aliquando etiam vincula & nexus misero intendũt. Vxor (Abdiæ quondam Prophetæ) *clamabat* (ad Helizeũ) *dicens: Seruus tuus vir meus mortuus est. & tu nosti quia seruus tuus fuit timens Deum: & ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad seruiẽdum sibi.* 4.Reg. 4. Magna in primis humilitas nobilis & claræ fœmiæ apud inopem Prophetam. *Seruus tuus vir meus*: qui tamen autoritate, & diuitijs secundus à Rege in Israël fuerat, & famam apud omnes misericordiæ, & sanctitatis reliquerat: sed illa documentum à marito humilitatis acceperat, qui scilicet vel in summa dignitate eodem animo vsus est, aduersus virũ Dei Heliã: *Domine mi*, inquit, *ego seruus tuus*. 3.Reg. 18. Atq; Helizeus tanta virtute cõmotus, per potentiã & manũ Dei solatus est mulierẽ: tãtumq; tribuit quod creditorib. & familiæ satis esset. Iterum: *Filij Prophetarum cum Helizeo veniũt ad Iordanẽ, vt*, inquiunt, *tollamus de sylua materias singuli, & ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Accidit autem vt cum vnus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquã, exclamauitq; ille: Heu heu Domine, & hoc ipsum mutuo acceperam.* 4.Reg. 6. sed Prophetæ opera recepit per miracu-

miraculū quod perierat. Dolet ille quod ferrum perdidisset, eò maximè quod mutuo acceperat, nec per inopiam sufficiebat parando nouo quod redderet: neque dedignatus est vir tantus in syluam illos comitari, non aspernatus preces illius cui hoc deperierat: atque adeò Deus ipse miraculo opem tulit vtriusq; precibus Refert Diuus Gregorius: *Virū quendam nobilem, qui pro vita sua meritò magnam apud sanctum Benedictum familiaritatis audaciam habebat, quadam die cellam eius ingressum, illum amarissimè flentem reperisse: & cum diu subsisteret, neq; ille mœrendi finem faceret, quanam causa tāti luctus existeret, inquisiuit: Cui vir Dei ilicò respondit: Omne hoc monasterium quod construxi, & omnia quæ fratribus præparaui, omnipotentis Dei iudicio gentibus tradita sunt: Vix autem obtinere potui, vt mihi ex hoc loco animæ concederētur.* Atq; hîc vide Benedictum doluisse, & fleuisse non obiter, non præporo moto, non in medio hominū, nec vsitato tempore, sed cū esset in sua cella solus, atque ibi diuinis precibus incumberet: fleuit diu, & multum. & quamuis potissimum laboraret pro redemptione illorum qui in monasterio viuebant, tamen ille tantus dolor ad Cænobium ipsum,

Greg. lib. 2. dial. cap. 17.

ipſum, & quæ in eo erant omnia extendebatur. Quamobrem poſitum hoc ſemel, & diffinitum ſit: viros pios & bonos triſtari poſſe ſuper amiſſione bonorum temporalium, neq; tamen idcò ſtultitiæ aut vanitatis accuſandos. quēadmodum & illi rectè faciunt, qui amicorum mortem lugent, aut ſolatium ab amicis quęrūt, eo modò quo ſupra ſcripſimus. Nam & qui diligentiſſimi ſunt, non eò minus Deo confidunt, atque adeò magis etiam & perfectius: ita & hîc. Igitur qui audiūt non eſſe dolēdum ſuper amiſſione temporalium, in eum ſenſum accipient, quo illa Chriſti: qui non vult nos eſſe ſollicitos de craſtino. Monet enim nos Dominus multis locis in Euangelio: Ne ſitis ſolliciti, &c. Reſpicite volucres cœli, & lilia agrorum, *&c. multa in hanc ſententiam dicit Dominus.* Sed diligenter aduertendum eſt quomodo, & quo fine. Nam cùm dixiſſet: Non poteſtis duobus dominis ſeruire, Deo & Mãmonæ. Hoc eſt, diuitijs, nequaquam negat Dominus haberi diuitias piè poſſe; ſeruire & his & Deo dicit impoſſibile. ſeruiunt, qui cor apponūt, qui Deum ex ijs faciunt, &c. *Propterea*, inquit, *dico vobis, vt ne ſitis ſolliciti*, ne ſcilicet, honorē Deo debitum, tribuamus creaturis, hoc eſt, ſeruiamus.

De vita act. cap. 22. & 23.

Sed cum Deum quidem toto animo colimus, res verò omnes, quæ infra nos sunt nobis subiectas habemus. iisq; imperamus, vnius & solius Dei serui dicemur: Ita, qui passionibus suis seruit, illas sequitur, ille auarus, iratus, tristis dicitur. quibus qui vti norit, easque ad rationem inflectere, oportunam & commodam operam dabunt. Sed cum agricultura, & alij honestissimi laboris opera sine dubio Deo auctore inuēta sint, & ipse Christus loculos habuerit ad custodiam eorū quę mittebātur, satis constat sanè intelligenda quę suprà diximus de volucribus, &c. Vult enim nō esse sollicitos nos, nō scrupulis & auxietate perturbari queādmodum gentes, tanquam Deus non esset, aut nullam nostri curam gereret. Vtique ille tam clemēs & misericors nobis laborantibus & summo studio satagentibus non deerit, qui auibus etiam & volucribus, quarum nulla est comparatio ad homines, pro naturæ suo ductu operantibus suppeditat. Et quod addit, *nolite sollicitiesse de crastino* eandem sententiam habet; ne intempestiuè, importunè, anxiè nos ipsi cruciemus; sed vt quodq; suo tēpore & animo pacato agamus. &cętera.

In oratione Quod quinto & postremo loco supra diximus, de sentiendis in anima affectionibus,

nibus, & gratia diuina, breuiter ex al o nostro libello repetemus: *Summe Pater, quamuis reuelationes, solatia gratiæ tuæ &c. nobis gratissima sunt, quas scilicet vltrò petimus quarumq́; nomine gratos nos tibi exhibemus: hoc tamen obnixè obtestamur, vt facias nobis, vt fidem, spẽ, charitatem in te solo constituamus, tuæ inuisibili potentiæ, quæ omnes sensus supergreditur, sapiẽtiæ, bonitatis, promissis magis adhæreamus, quæ tu in nos explicas, & vltrò tribuis nobis per Scripturas, Sacramenta, & Ecclesiam tuam, vt ne, aut animũ nostrũ trãsferamus & nitamur apparitionibus, visis, reuelationibus aut ijs omnibus, quib. falli, & errare possimus. Hæc enim abeũt: sed Dei volũtas manet in æternũ, quæ in Scriptura & per Ecclesiam prædicatur.*

Dominica super illa: Panem nostrum.

CAPVT LXIIII.

DE CAVTIONE DVPLICI, & iudicio ad ea, quæ iam diximus an scilicet affectus illi recti, an verò inordinati sint.

NImirum consentaneum non est tibi quenquam persuadere se vel affectu nimio erga seipsum duci vel amicos, res perituras amare, aut aliquod à Deo lumen & supernaturalem gratiam requirere, &c. quoniam eorum nomine multimodis tentetur: quod in

medijs precibus tumultum aliquem suæ importunitate moliātur, aut vero in vim imaginatiuam diu per simulacra & imagines quasi impetum molitæ, etiam penetrent: neque enim vlla res tantæ virtutis est, quæ tentationum prorsus expers sit: atque adeò si Deo gratissima est, si cum magno aliorum commodo, ita maioribus quasi tentationum procellis agitatur. Nam & in auro, si optimum est, maior ab igne purgatio. Vt quamuis sobrietatem, aut solitariam vitæ rationem abscissis affectibus humanorum solatiorum magno studio amplectatur, tamen & sic multa molesta accident. erit enim cum sibi plus nimio tribuere, nimium amare videbitur, atq; ideò Sapiens: *Fili,* inquit, *accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationē.* Hoc est, etiam cum te paras ad orationē, præsto erit tentatio: quātò, si alia aliqua minora mediteris. Quibus omnibus exemplo sanctissimi cuiusque rebus ipsis respondebimus in hunc modum. Non cœpi te auctore, neque tua ab eo quod cœpi, absistam. *Patientia vobis necessaria est,* ait ille, *vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Sed neq; hoc necessitatis, vel consilij semper est; neque ita quisque saluus erit, si ea quæ habebat

Eccles. 2.

Vide lib. de Monte. ca. 7. 9. 10. Chrysost. in 5. cap. Matth homilia 13. commēt. 2. Hebr. 10.

per amicos, aut ex rebus creatis solatia, eo solo nomine derelinquat, quod vel calũnias patiatur, aut alia quædam leuia peccata præter rationes iudicium intercurrant. Hoc enim cum precibus & omni virtutum genere exercemur, accidere potest: neque tamen propter ea ab instituto recedendum est, sed accipienda occasio maioris humilitatis, & quasi fomenta ad ignem charitatis, prorsus magno studio ad emendationem enitendum est. quoniã scilicet hoc non fiat vitio rerum ipsarum, nec eorum quidem quę extra sunt, sed à nobis impedimẽtum, & nostra culpa est. Neque lęditur quisquam nisi à seipso. Nã & hoc cogitãdum nobis est qui propoter leuissima quędam ijs omnibus extremum valedicimus, fortè an ipsa infirmitate naturæ nostræ in grauiora pręcipitabimur, nisi primum & ante omnia ad seriam eorum emendationem cõuertamur, quæ intus & in anima sunt. Atq; hęc causa grauissimorum errorũ in multis est, qui ita sibi victoriam pollicentur, si hæc & his similia, leuia ferè, quàm maximè fugiunt (quæ tamẽ hominẽ ipsum non ita lædunt) nulla intrinseca perfectionis ratione, quę adhæret, & in homine ipso quærenda est. ita perfecti malunt videri, quàm esse. Bona quidem vtraque;

Esaia 64. 1. Ioan 1. August. de ciuit. dei li. 19. c. 27. & lib. 1 ca. 1. Chrysost. epist ad Phi. ser. 12. in moral.

Matth 23.

S sed

ſed hoc faciendũ erat, neque illud omitti debet, ſi occaſio & tempus ferat. Habent hoc hominum mores, vt quod in veſtib. ſolent quę precio vel forma commendãtur, primo loco, tanquã in oculis ponãt: quas ſi explices, ſqualida vel detrita ſub ijs reperias: ita qui prima ſui ſpecie ſanctitatem vel ſupra hominem pollicẽtur, aut certè ſimulachrũ aliquod in verbis, factis, & cõpoſito illo vultu: ſi ad interiora penetras, ſæpè diſſimillimi ſunt.

Bern. apol. ad Guliel. abb. Poſtremùm non eò ſe quiſquã mala erga res aff ctiõe duci iudicabit, quia quicquam ſibi ex his ſeligit, aut vnũ pro alio, ęſtimat, id enim rectè, & omni modo facere poſſumus, teſte natura, Scripturis, & ipſa rerũ experientia. Ordo videlicet proprius charitatis eſt, & ita vnumquodque amamus, quo bonitate pręcellit. Deus in primo gradu eſt, poſt Deũ potiſſima cura debetur animæ noſtræ, & huic potius quã corpori: ſed neque alienũ præ noſtro curabimus, ſi de ſalute proximi agitur; corpus, & quicquid in rebus noſtris erit, ſummittemus ſaluti eius. Iterum, homo pluris eſt quouis animali, et parẽtes ſupra fratres & ſorores ſunt, quẽadmodum & liberi; ſed & illi ſupra alios cognatos, q & ipſi tum ſequentur; eoq; referri oportebit, quorum cura nobis concredita eſt. Inter illos à quib. beneficia accipim⁹ pri-

D. Tho. 2. 2. q. 26. Auguſt. de moribus. Eccleſ. lib. 1. c. 30. & epiſt. 120. & de doct. Chriſt. lib. 1. ca. 23.

Chryſoſt.

mi sunt qui curāt animā, tū q corpus. Nā *hom. 15.*
& in corpore mēbrorū nō eadem ratio & *in 1. Tim. 3.*
dignitas: & sūt quib. facili' caremus, &c.
Breuiter, à quo summa omnia consecuti
sumus, in amore summus erit. Et q hoc
cibo magis delectetur, potu, veste, lecto,
sede, &c. quoniā ita cōueniat naturę suę,
aut ratio vitę exigit, cū sibi ponat eūdem
finē in cultu Dei: id totū quoniā ratione
& naturæ iudicio nititur, cōmendari debet,
neq; sine merito est. Quēadmodū &
illi qui manib. vel artificio quęstū faciūt, *Ecclesi. 28.*
ea sibi deligūt instrumēta quæ aptissima *& ibi Dionysius.*
sunt, neq; tamē iniquè ferūt quādo aliter *&*
nō possunt, si ea nō cōsequantur, nam & *de Monte*
Deo cōfidūt, & in omni patientia & mā- *cap. 12. 15.*
suetudine sibijpsis succurrūt: apud se re- *& 18.*
putātes ꝓ curiositate humani ingenij nō
rarò fieri, vt q̄ sibi aptissima quisquā existimet,
reuera non sint: imò cū insigni &
ꝑpetuo exitio animę et corporis. Vt omninò
hoc electionis iudiciū possit esse testimonium
discreti & recti animi, adeoque
sapientis & perfecti. Ait in Canticis
sponsa: *Ordinauit Rex in me charitatem.* *Cant. 2.*
Hoc est. contulit mihi Deus eam gratiam,
vt ea quæ mihi conueniunt maximè
amem, sic deinceps singulari quadam
proportione cætera, vt quæq; conueniunt:
cum tamen Deo, & operibus

 manuum

demus esse homines ita affectos, qui si decidant à pristina gloria, statu, officijs, procis & amicis, aut rerū suarū iacturam aliquam faciant, sensuum & rationis iudicium perdunt. In Scripturis sic ait Sapiens: *Tristitiam nō des animæ tuæ, & affligas temetipsum in cōsilio tuo* (nimirum vt vel in desperationem te concites, aut in vitæ tædium, &c.) *Iocunditas cordis hæc est vita hominis.* (Illi enim Deo gratissimi sunt, qui hilari & libenti animo seruiūt. quo tot elogia sanctę illius & acceptæ, in conspectu Dei lætitiæ nos prouocant) *& thesaurus sine defectione sanctitatis, & exultatio viri est longæuitas. Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitate eius, & tristitiam longè expelle à te. multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illa. Zelus & iracūdia minuūt dies, &c.* Iterum alio loco. *Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa; sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* quisq; apud se æstimet quātum facinus committat, qui proximum suum potissimum pietate, innocentia, morib. & vita honestum iniustè perturbat, illiusque spiritum verbis asperioribus, dentatis iocis, ait mendacijs contristat, aut in litium laqueos

Chrysost. ad Philip. 12. in moralibus.

Greg. hom. 36. in Euang.
Eccl. 30. 38.
2. Cor. 2.
Phil. 3 & 4.
1. Thes 5.
Psal 5.

Prouerb. 17 & 25.

Ezech 13. laqueos & horrida iura pertrahit.

Aug. q 3. in Genes. li de Mõte. cap. 15. Quantum malorum afferat tristitia, quis paucis explicet? si enim exorbitat, corporis actiones impedit, valetudinem lędit, rationi & precibus & deuotioni tenebras inducit: per impatientiam & blasphemias effrenem reddit hominem, & magno pręcipitio per peccata in desperationem rapit. sed cum modus adhibetur tristitię, tollit illa noxios humores, & qui

Aul. Gel. noct. Atti. lib. 19. ca. 1. præter naturam in corpore sunt: eoque nomine custos syncerae valetudinis & cõciliator diuturnæ vitæ, adeoq; est profligator morborum: etiam vim suam infundit in animam cum insigni moderamine, dispellit torporem ex animis, excitat ad humilitatem, diligentiam, & quæ necessaria est in rebus humanis, prouidentiam. vt quanta potest cura, studio, & labore ea, vel ijs similia rursum consequatur, quorum iacturam fecit: prudẽs,

Nota. etiam cautus, ne vllis post temporib. eandem foueam incidat. Estq; hic dolor non sine spe.

2. Qui dolet super obitu amici, à quo auxiliũ in anima & corpore persensit, videtur eo ipso testimoniũ dare liberalis & grati animi, quãto iliũ amore vti debuit, complexus sit: ideoq; laudat & prædicat illũ, & in vicem tantorum benefactorum

Dei

Dei gratiam adeoque omnia illi imprecatur, quæ pulchra & magna.

3. Habebit hæc tristitia vim gratitudinis in ordine ad Deū pro beneficijs, quæ nobis tot exhibet per creaturas suas. *Luc. 8. Narra quanta tibi fecit Deus.*

4. Flebimus, quod indigni simus qui amplius illis fruamnr, aut quod nostro vitio hanc pœnam commeruimus.

5. Testimonium amoris est, & probat ipsa naturæ ratio, & quę supra à nobis dicta sunt de viris sanctissimis, qui nō sine ingenti dolore parentum, &c. mortē pertulerūt. Et Iudęi cum Christum flentem viderent super Lazaro, dixerunt: *Ecce. quomodo amabat eū.* de fletu scilicet, iudicium amoris accipiebant. *Ioan. 11.*

6. Potest fieri desiderio & reuerentia virtutum & doctrinæ, quam ex illo fonte hausimus: quo testatū facimus illius monita, consilia, &c. nequaquam in rupes & saxa incidisse, sed fructū in nobis facere. Et Paul. prędicat sibi solatio fuisse cum audiuit eorum desideria, qui erant Corinthi, lachrymas, solicitudinem, qua erga se sui discipuli afficerentur. non vtique quod tantus Apostolus fletu illorū gauderet: sed quia ex eo perspectissimū haberet, quod ea omnia intimis animæ visceribus impressissent, quæ docuerat: quod amarēt, quod cum salute & insigi *2. Cor. 7.*

commodo illorum verbũ fidei dissemi-nasset. Adeò nõ malè accepit suorũ affe-ctus vt eo nomine gratularetur sibi, & gauderet in Domino vehementer. Neq; verò suos increpat. Quid vobis & mihi? adeoúe creaturis nitimini? conuertimini in Deũ toto corde, &c. Hęc neq; per som nium venerunt illi in mentem, nõ eo le-nitatis deciderat vir grauis, nõ facilis iu-dicare de proximo suo; tanquã qui suam pręsentiam modis omnibus exoptarent, non etiam Deo per fiduciam adhærerẽt: cui satis constitit eo ipso aliquid accessis-se suis ad fiduciam illã, quam in Deo re-positam habebant, adeò non imminu-tã esse aut defecisse. Omninò videtur esse Dei dilectio maior, saltem benignior in nos, si non ipse solus agat & operetur pro sua virtute & beneplacito in nobis; sed vltrò dilectissimos sibi filios & amicos suos ad vitæ solatia summittat, quorum opera vtitur ad nostrã salutẽ, alijs atq; a-lijs modis quãto nos amore cõplectatur, demõstrans. Ita videlicet ille amicorũ v-sus, solata, &c. magni nobis esse debebũt, eo'q; tanquã singulares Dei nũcios, illa etiã ratione colemus & reuerebimur, ꝙ in eius nomine quicquid tãdem veniat, gratum & expectatum nobis esse debet, & debebit in omnia secula.

CA-

CAPVT LXV.

HAC TALI TRISTITIA, desiderio, lamentis commoueri Deum & homines ipsos ad Misericordiam.

VTiq; poterunt hæc illos excitare, erga quos afficimur, vt pro nobis Deum deprecentur:imò, mouetur Deus his ad misericordiam, & si qui sunt homines non omnis prorsus humanitatis expertes. Apostolus cũ multis egisset de hoc desiderio, quo vtrimq; afficiebãtur, demum concludit in hec verba: *Quam gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum nocte & die abundantius orãtes, vt videamus faciem vestram, & compleamus ea, quæ desunt fidei vestra.* Videlicet abundantius orat, cum audisset quo desiderio & reuerẽtia aduersum se discipuli sui ducerẽtur. Mouent Deum lachrymę, mouent homines, ait Scriptura: *Irrugijt clamore magno Esau, & consternatus est, & cum fleret eiulatu magno, motus Isaac benedixit ei.* Quem locũ de Doctorũ sententia interpretabimur: Isaac nõ natura solũ ad hãc Benedictionem motũ fuisse, sed etiã supra naturã per Inspirationem à Deo;atq; ita fecisse, quod alioquin no-

1. Thes. 2. 3.

Gen. 27.

4. Reg. 20. lebat & renuerat. Ezechias Rex Iudæ, cũ
22. Esa. 38. audisset se moriturũ, *fleuit fletu magno;* & ait Dominus: *Audiui orationẽ tuam, & vidi lachrymã tuã* Scribitur in Actis,
Actor. 9. *fuisse quandã Apostolorum discipulã, cui nomen Tabita seu Dorcas, & erat plena bonis operib. et eleemosynis, quas faciebat, quæ cum infirmata moreretur, et aduenisset Petrus, circumsteterunt illum omnes viduæ flẽtes, et ostendẽtes ei tunicas et vestes, quas faciebat illis Dorcas, &c. Petrus autem ponens genua orauit, & conuersus ad corpus, dixit: Tabita, surge. at illa aperuit oculos, &c.* Deplorãt viduæ mortem Tabitæ, atq; adeò nõ offendũt Apostolũ, vt illarũ lamẽtis commotus à morte illã excitauerit. non dixit Petrus: quid ita in homine spẽ vestrã ponitis? cur non in Deo omnẽ fiduciã vestrã collocatis? &c. Procul hæc iudicia à morib. & grauitate illorũ: nam & ipsæ viduæ Dei lumine illustratæ, & ad omnẽ illius motum obediẽtes, satis sciebant, parũ conuenire, vt inanis colore perfectionis, hoc suũ erga defunctam & bene meritam studium, amorẽ, & grati animi testimonium tegerent & celarẽt. Iterũ: *Venit Iesus Betaniã,*
Ioan. 11. *& inuenit Lazarũ quatuor dies in monumento iam habentẽ, atq; vt vidit eã (Mariam) plorantẽ, & Iudæos, qui cum ea venerant, plorantes, infremuit spiritu, et tur-*

bauit seipsum, et lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Flebat Beata Maria super obitu fratris sui Lazari, quo ipso non offenditur Christus. sed tum huius, tum astantium lachrymis mouetur similiter Christus: & ea causa fuit (quãuis neq; alię rationes deessent) cur Lazarũ de morte ad vitã reuocarit. *Cũ vidisset Dominus viduã, cuius filius vnicus efferebatur, misericordia motus super eã, dixit illi: noli flere. et accessit, & tetigit loculũ, & ait: Adolescẽs, tibi dico, surge: et resedit qui erat mortuus, etc.* Quo loco eadẽ, quæ supra, obseruanda, sunt. *Noli flere*, miserẽtis verba sunt, non increpantis. Hoc est: vidi fletũ tuũ, & exaudiui deprecationẽ tuã, firma animũ, resurget tibi filius tuus. Ita reuerenter & amicè succurrit Dominus ploranti. Vir Dei Helizeus eũ vidisset hospitã suã, ad quã ex itinere cõsueuerat diuertere, mœstitia confectã, propter obitũ filij accenso in misericordiã animo restituit illũ matri viuũ Sãct⁹ Benedictus, dolẽte nutrice sua, ꝙ vasculũ casu decidẽs in partes dissilijsset, indoluit, & recollectis partib. & frustulis, dedit se in orationẽ, à qua surgẽs vidit frustula ipsa coagmẽtata. Hoc est, vasculum in eam formã, qua prius, restitutum esse. Non arguitur à Benedicto, ꝙ dole-

Luc. 7.

Esaiæ 38. Vide lachrymas tuas.

4. Reg. 4.

D. Greg. 2. lib. dialo. cap. 1.

doleret super amissione rei minutæ, quã cõmodato acceperat. quo nomine etiam lachrymatus est, vt tãdẽ per miraculũ sedaretur fletus nutricis: cui simile, quod de securi, quæ in aquam deciderat, supra retulimus. Ea nimirũ optimi & sanctissimi cuiusq; viri perpetua quędam regula est, nihil temerè de quoquã iudicare, nõ festucã videre in oculo alterius: sed omnia in bonum vertere, quę non cũ aliquo Dei mandato apertè pugnant. sed qui se solos magni faciunt, & æstimari volunt, illis nunquam deest, quod in alijs culpẽt, & arbitrantur teste Augustino, nihil benè fieri quod nõ ipsi fecerint: qui si quicquam videãt leui nota dignum, de statu totius hominis in malum pronunciant. cuius tam superbæ & leuissimæ censuræ meritò omnibus modis grauiorem pœnam merentur, quàm illa omnia quæ in alijs nigro denotarunt. Quãta est humani sensus imbecillitas, quę oculorum caligo, ad eum modũ, in ijs offendere, vbi sapere potissimũ videatur? Quod ipsum iustissimũ iudicis Dei iudicium super illos est, vel hac causa, quòd tam temerè se ipsi iudices faciunt eorum, quos remittere alijs à Deo ad hoc constitutis debebant. *Magna hominum pars*, ait ille *virtutem, non vitium, culpant. adeò, qua laudan-*

Aug. epist. 118. ca. 2.

Ambr. exhort. ad virg.

danda erant, vituperant. Hoc est; In eos facilè inuehimur qui boni sunt, eorumque virtutes vitia facimus.

Itaque probatum & constitutum sit, tristitiam eam, quæ moderata est, fletus, lachrymas, media esse certissima, quibus Deus ipse & homines moueantur, ad ea adhibenda quæ amissa sunt, vel eorum loco meliora. Atque ad eum modū iam finis sit tractationi, de varijs desiderijs, tristitijs, &c.

CAPVT LXVI.

CONSVEVISSE SATANAM specie boni pertrahere hominem in malum.

OMninò sperandum est eam esse Dei bonitatem, potentiam, & sapientiam, vt qui ijs, quæ iam exposita à nobis sunt, diu & multum sese exercuerit, nequaquam decipi aut falli possit iudicijs, momentis Inspirationū, motuum, &c. examinandis: sed enimuerò cum in Deum respicimus: *Iudicia Domini iusta & abyssus multa,* cum in nos: loquitur in persona omnium nostrûm Dauid: *Ab occultis meis munda me Domine. Peccata quis intelligit?* Et cum ipsa peccati tenebrosa nox diuinæ lucis radios opacitate, caligine & tenebris suis in animis nostris magnoperè obumbra-

Psal. 35.

Psal. 18.

rit; operæpretium facturi videbimur, si de incertitudine & iudicijs Inspirationum porrò agamus.

Neque longè abeundũ est; prodeat sincerus Christi mẽtis interpres Apostolus:
1. Cor. 11. *Pseudoapostoli sunt, sicut operarij diaboli,*
Aug. de *transfigurantes se in Apostolos Christi. Et*
Gen. ad lit. *nõ mirum, ipse enim Satanas transfigurat*
lib. 12. c. 13. *se in Angelũ lucis.* Sed quia multoties hęc
Eck. hom. à nobis dicta sunt, nihil addimus. Sunt
6. domini- videlicet subtiles mali spiritus, qui incre-
ca. 1. in dibiliatq; insensibili quodã modo in ipsa
quadr. hominũ corda penetrant: proinde se in-
Hieronym. gerunt Imaginatiuæ & vi Cogitatiuæ;
Eph. 4. cumq; visum, excitant affectiones & de-
Bernard. sideria varia, quorũ potentia multa de-
de sen. ser. mũ patrant, & miranda loquuntur. De
2 & 4. horũ numero fuit *qui stetit corã Domi-*
post Pent. *no, & ait: ego decipiam Achab. Egrediar,*
3. Reg 22. *& ero spiritus mendax in ore omniũ Prophetarũ eius.* Hic idẽ in ariolis agit, prognosticis, &c. docens quid eloqui debeãt de futuris. Sed inprimis admirãda est dęmonis versutia, & ingeniosissima quędã subtilitas, qui scilicet subinde vi acuminis & statim quæ proponit, effecta dat; aliàs sensim & lento gradu idẽ planè consequitur: vt ferè bonos iuxta improbosque decipiat. De hoc multa Cassianus in
Cassian. lib. 2. Coll. Collationibus Patrũ, vbi inter hæremi-

ticæ

ticæ & memorabilis vitæ exempla multos recenset, qui cũ ætate & ante actæ vitæ innocentia reliquos viderentur excellere, & totos quinquaginta annos eâdẽ victus & instituti austeritate durassent, ad extremũ Satanæ insidijs cessisse: dũq; se putãt diuinis Inspirationib. morẽ gerere, in peccata dilapsos esse. Sed ne libri moles excrescat, inde sibi exempla quisq; petat. Describit Epiphanius Episcopus hæreses octoginta: & fuerunt ex ijs q̃ tũ verbis, tũ reipsa vitæ genus quoddã admirabile suis auditorib⁹ præscripserint; adeò, cùm sibi nihil indulgerent, cõmunẽ naturæ modũ videbãtur excedere. atque inde patet tentationis magnitudo, vt ꝙ Deus pro inscrutabili cõsilio suo ita permiserit Satanę, ipsorũ hominũ scelere & meritis exigentibus. Prætereo hîc spiritus superbiæ, inuidiæ, acediæ, &c. qui & ipsi specie virtutis sæpè blandiuntur incautis: quorũ latior tractatio requirenda est, cũ de peccatorũ distinctione quæritur. Neq; est cur Doctorũ testimonijs ad rẽ non necessariam abutamur, cũ ex ipsa Sanctarum Scripturarum historia manifestum sit, homines, etiam Reges, & qui dignitate cæteros anteibãt in errorẽ vsq; adeò tetrũ dæmonis artificio prolapsos, vt ex se natos filios vel vnicam sobolem

2. lit. f. g. h. i. vixit anno 380.

D. Epiph. lib. de hæresib.

Iud. 11.
4. Reg. 3. & 16.
Psal. 105.
Sap. 14.
D. Hieron. cont.

Iouinian. lib. 2. Deo in sacrificium obtulerint: arbitrantes se rem maximam & Deo modis omnibus acceptissimam præstitisse. quemadmodum & hodiè reperire est, qui sibi ipsis vim adferunt, tanquam verò ea Dei voluntas & inspiratio fuerit, quo neque cogitari detestabilius quicquam potest. Quid igitur si tanta est Satanæ subtilitas, fraus, versutia, vt ea hominibus persuadeat, quæ cum ipsorum natura, institutione, & cõmuni vitæ vsu vehementer pugnant, magnum aliquid pręstabit, quando in alijs longè minoribus, lapidem ponit, ad quem offendamus? puta in hæresi, opinionibus, fantasijs, quæ neque tàm claræ sui luce sunt, neq; statim parent naturæ aduersari, de quibus ad *Coloss. 2. 1. Tim. 4.* Collossenses suos & Timotheum Apostolus. Atque hoc loco notandum est, *Hieron. cap. Ierem. 23.* quod falsitas & mendacium figurat & sequitur veritatem, cuius si nõ aliquam speciem præferret, subrepere simplicibus nullo modo posset.

Dionys. Areopag. Philosoph. & D. Thomas multis loc. Dionys. Habet hoc etiam ratio naturæ, vt qui in peccatum aliquod declinat, spem habeat, hoc facto, boni alicuius cõsequendi, vti apparet cum vtilitate aut voluptate coniuncti: quod dum sequitur, ita obruitur & præceps in profundum agitur, vt nec oculos attollere ad ipsius Boni naturam

turam contemplandam possit, & à veritate prorsus auertatur. Nam neque hæresibus, aut quorumuis aliorum somnijs defuit color virtutum, quo se venditarent: atque adeò *habent æmulationem Dei, sed non secundũ scientiam.* Ipse Paulus quo zelo ferebatur ante conuersionem, & tamen impius in Christi membra? *Venit hora,* inquit, *vt omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo.* Et illi qui filios suos offerebant, habebant quod dicerent. Vt nimirum Deo modis omnibus placeamus, & quæ gratissima illi sunt exhibeamus, deferimus vltrò, quæ charissima habemus, & in eum finem neq; nobis ipsis, neque vllæ rei preciosissimæ parcere consilium est; sed erat hoc tale facinus vetitũ mandato Dei, & naturæ lege interdictum, quod illi non animaduertebant. Videbatur Saul nõ incongruè fecisse: *Descendent Philistijm ad me,* inquit, *& non placaui faciem Domini. necessitate compulsus obtuli holocaustum Domino. Dixitq; Samuel ad Saul: Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus, vt esset dux super populum suum, eò quòd non seruaueris quæ præcepit Dominus.*

Carth. in 43. Iob.

Rom. 10.

Ioan. 16.

Genes. 22.

August. quæst. vet. & noui Test. qu. 42. & qu. in Iud. 4. 49. & de ciuit. Dei lib. 21.

Idem

1. Reg. 15. Idem ille Saul victoria potitus contra Amalec, pepercit optimis gregibus ouium & armentorum, vti ea Deo offerret, & vestibus, & vniuersis quæ pulchra erant, &c. cum Deus iussisset vt ea omnia internetione deleret. quamobrem concitatus est furore Dominus in Saul & posteros eius. Est videlicet solemnis & vsitati moris apud hostes animarũ nostrarum, specie virtutis aut pietatis imponere simplicitati, aut certè eò adigere hominem, vt sese ipsum fallat. quod facilè illis est: quia in ipsas animæ vires subtiliter irrepunt. neque magni interest quæ occasio peccati sit cum peccat homo. quia nec Serpens Euam, nec Eua liberauit Adamũ à iudicio: sed quos cautio & aliena pericula debebant reddere prudentiores, vertimus in nos excusationes, & tanquam præscriptas sequimur. ita cum deceptos vel peccasse nos sensimus, accusantur alij in defensionem nostram: *Serpens decepit me.* Satanas persuasit mihi, &c. at priusquam illi errorem sentiant videlicet audacter firmant Dei gratiam & voluntatem esse, eius lumine illustratos. Hæc velle, cœpisse, perficere: quibus promissis sæpè diaboli multa millia hominum in sagenam pertrahunt, etiam cum detrimento fortu-

August. in 91. psal.

fortunarum, famæ, &c. in hoc mundo, & in futuro, gloriæ sempiternæ. Hos subdolos deceptores notat Christus: Nónne potest cæcus cæcum ducere, nónne ambo in foueam cadunt? quod de sententia Ieremiæ interpretatur Hieronymus: *Ipsi prophetant in nomine meo mendaciter, ut pereatis tam vos quàm Propheta, qui vaticinantur vobis.* Ait Dominus ad Ezechielem: *Vaticinare ad Prophetas Israël, qui prophetant: & dices prophetantibus de corde suo. Audite Verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nil vident. Vident vana, & diuinant mendacium, dicentes: ait Dominus: cum Dominus non miserit eos, & perseuerauerunt confirmare sermonem, & dicunt: ait Dominus: cum non sit locutus Dominus, &c.* Iterum Ieremias: *Dixit Dominus ad me: falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo, nō misi eos, & non præcepi eis, neque loquutus sum ad eos. visionem mendacem & diuinationem & fraudulentiam & seductionem cordis sui prophetant vobis. Idcirco hæc dicit Dominus de Prophetis: qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi: In gladio & fame consumentur Prophetæ illi. Et populi, quibus prophetant, erunt proiecti in*

Luc. 6.

D. Hieron. in Ierem. cap. 27.

Ezech. 13.

Ierem. 14.

vijs Ierusalem præ fame & gladio, & non erit qui sepeliat eos, ipsi & vxores eorum, filij & filiæ eorum, & effundam super eos malum suum. Et dices ad eos verbũ istud. Deducant oculi mei lachrymam per noctem & diem, & non taceant, &c. Rectè: qui sequuntur spiritum suum, prophetantibus de corde suo, seductionem cordis sui prophetant. Idem enim est, eodemque tendit, an inspirante Satana, an ex seipso peccet homo. & admiranda hîc ira Dei & vindicta super illos, qui præbent aures eiusmodi Prophetis, probantque sermones. Ait Ieremias: *Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, nõ loquebar ad eos, & ipsi Prophetabant.* Audiamus Verbum ipsum & sermonẽ Dei Patris in Euangelio loquentem: *Videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent. Et multi pseudoprophetæ surgent & pseudochristi, & dabunt signa magna & prodigia, &c. Ecce prædixi vobis.* Patet igitur, cum esse quem diximus vsum diaboli, vt specie boni in malum hominem pertrahat. quî proinde cor hominis subuertatur, aut tandem fallaci iudicio & speculatione cordis sui homo decipiatur.

Ierem.5.
Ierem.23.
27.
Matt.24.

tur. Atque hæc sit prima ratio incertitudinis Inspirationum.

CAPVT LXVII.

INSPIRATIONES DEI *malè accipi.*

DEus sæpè inspirat homini, qui tamen neque Dei voluntatẽ agnoscit, neq; intelligit vti oportebat: immò diffidet, & in contrarium fertur. Huc referenda sunt quæ in libro Iob legimus, capite quarto. Cui par locus tota Sacra Scriptura non est, qui perinde aperiat rationes, & quasi formam secretissimarũ Inspirationum: & tamen ipse Eliphaz, & alij, vtique merito suo his ipsis diuinis (fortè propter latentem in animo ambitionem) Inspirationib⁹ in peruersum sensum abusi sunt. quę latius explicare supersedemus, ait tamen Dionysius. *Erat hac reuelatio ex se præstans & vera, nimirum auctore Deo, qua Eliphaz contra amicum Dei Iob falsè abusus est.* Sicut frequenter ratio sub veris principijs malè subsumit, quod passio maximè facit. Hoc est, ratio ipsa principia, & rerum causas videt. quemadmodum & iudex, quæ iustitiæ consona sunt: sed in ipso processu labitur, errat, corrumpitur ipsa

Lib. de Monte c. 8.

Dionys. Carth in Iob cap. 4.

ipſa naturæ concupiſcentia faſtu, & præſumpta rerum opinione. Et philoſophi, quòd quiuis in genere verũ & rectè iudicet, cũ ad ſpeciem ventũ eſt, ibi paſſionẽ tradunt eſſe pro iudicio· qua ſcilicet ipſa veritas obſcuratur, affectione vel opinione priuata, & in peccatũ homo deducitur. Dicit Sacra Scriptura: *Factus eſt ſuper Iephte ſpiritus Domini, & Votum vouit Domino, &c.* Quem locum explicans D. Thomas, docet: fidẽ & deuotionẽ ipſam qua motus Iephte vouerit, fuiſſe à S. Spiritu, cũ tamen votũ parũ ſani & prudentis cõſilij fuerit: ipſa verò executio palam impia. Etiamnũ largitur Dominus & inſpirat hominibus pium animũ, quo inducti nouerit aliquid, &c. ſed, quanta, quàm multa promittantur leuia pudenda, inſana, &c. quis eſt qui nõ intelligat? fit enim vt quis finem optimum animo concipiat, ſed in medijs conquirendis errat ad illũ finẽ, vt, qui dante Deo emendationẽ vitæ anteactæ cogitat, velit peccatũ fugere, & quàm aptiſſimè Deo ſeruire. hæc Dei ſunt: progreditur vltrà, & hoc principio Monaſticẽ eligit, vel relinquit; arbitratur etiã hoc iudiciũ ſuum eſſe à Deo: quod neq; eſt, neq; cũ ſalute hominis eſſe poſſit. poſſet enim hæc cogitare vir incõſtans, cui haudquaquã conſultũ

Iud. 11. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 2. & ibi Caiet. D. Hieron. cita. à Dionyſ. in Iud. Auguſt. qu. noui & vet. teſt. qu. 43. & in Iud. qu. 49. Iacob. Latomus in ſuo quodã lib. de ingreſſu Relig.

fuerit

fuerit Monasticen profiteri. Hic error proprius illorũ est, qui feruore & flagranti spiritu ad quæuis rapiuntur, de quibus suprà. Sunt etiam qui abundantia quadã animi, vel impotentia passionũ ad obsequium alicuius in eum modũ feruntur, vt, cùm os aperit, neq; dũ plenè elocutus quid præstari velit, illi, quod leuibus & ferè fallacibus iudicijs velle illum suspicantur, hoc properè expediunt. ita fit, vt miserè fallantur, & aliquando contraria vel certè multũ dissentanea ijs faciant, quę fieri alter petierat. In hanc sententiã accipere possumus, quæ Christus edisserit in parabolis: *Qui*, inquit, *seminatus est in spinis, hic est, qui verbum Dei audit, & sollicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarũ suffocat verbũ, & sine fructu efficitur.* quæ vt rei nostræ aptemus: Inspirat homini Deus neq; q̃ bona, quæ certa, q̃ sancta sunt: fit tamẽ ipsius hominis vitio, quo sibi soli studet, suisq; opinionib⁹ inhæret, vt illa tã pulchra & vera in ipsius animo cũ squalore & tenebris exarescant. Sunt etiam, qui tanquam *super petrosa seminati verbum audiunt, & continuò cum gaudio accipiunt illud, & credunt ad tempus, non autẽ habent in se radicem, sed sunt temporales. facta tribulatione & persecutione propter verbum,* conti-

Cap 45. & seq.

Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8.

continuò scandalizantur. Atque hi ferè pessimi sunt. (Quod Beatus Augustinus sensit ex experientia, & ex rebus ipsis, in promptu est) videlicet Hæresiarchæ, Sectarum, Schismatum capita abusq; primis Apostolorum temporibus ex nobis fuerunt, sed reliquerunt ordinem nostrum Apostatæ, qui primam fidem, quã Deo dederant irritam fecerunt, capitales & potissimi hostes eorũ quæ semel crediderunt: illam Veritatis lucem, quam cæcutientibus oculis vix de longè proprio scilicet vitio impediti aspicere potuerunt homines mali & improbi, odijs & cæde prosequuntur. In his adimpletur quod per Apostolum dictum est: *Qui nocet noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Et ait Dominus: *Tollite ab eo talentum, & date ei qui decem talenta habet. Omni enim habanti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo & inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus, & stridor dentium.*

Aug. epist. 137. in fine. *August. de quant. anima. cap. 11. & 33 grad. 6.* *Apoc. vlt.* *Matth. 25.*

Hactenus in illos dictum sit, qui Inspirationes & gratiam Sancti Spiritus nõ solum negligunt, sed & vltrò sese opponunt, & agnitæ veritati repugnant pertinaces. quę duritia & obstinati animi pervicacia potissimũ tribuitur Iudæis: quibus

Exod. 32. 33. 34. Isa. 46. 48.

bus cum Dei voluntas tot modis illuxisset, in omnia alia abierunt, & retrorsum post sensus suos conuersi sunt. quod illis exprobrat prothomartyr Stephanus: *Dura ceruice, & incircumcisi cordibus & auribus: vos semper Spiritui Sancto restitistis, sicut patres vestri & vos. Quem Prophetarũ non sunt persecuti patres vestri? & occiderunt eos, &c.* Atque hoc modo liquet & fieri potest, qui à Deo mouetur vt bona agat, optima velit & desideret, ille idem quoniam suæ sententiæ pertinax innititur, conceptæ hæresi vel opinionibus obstinatus inhæret, ipsissimas Dei Inspirationes trahat, & obtorto collo rapiat in sensum suũ; tanquam videlicet ijs firmari habeat in sententia; solatij vicem accipiens & probatæ apud Deum hæreseos, atque adeò auctoramentum detractionis proximi sui, & sceleratæ vitæ suæ. In eum errorem inciderunt amici Iob, & etiamnum Iudæi, Turcæ, & quotquot sunt de reliquo infidelium grege. Enimuerò *vult Deus omnem hominem saluum fieri, & venire ad agnitionem veritatis: neq; vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* Quod si verũ, vt est verissimum, de immensa Dei bonitate & misericordia prorsus ita sentiendum est, quod ijs

Actor. 7.

1. Tim. 2.
Ezech. 18. 33.

ipsis infidelibus, impijs hominibus multa de penu gratiæ suæ iocunda, sancta, & pia inspiret, quæ omnia illi (vt præmissum) stabiliendæ suæ hæresi recipiunt. vnde fit in hunc vsque diem multos duriter & incredibili abstinentia vitam agere, æmulatione quadam monachorum nostrorum, supra communem hominum morem infideles tamen, & à cognitione vnius veri Dei separatos, ideoque non ex Deo, cui proinde accepta esse eorum opera non possunt. Secundò: Quemadmodum infideles pessimè interpretantur, & in contrariam ferè partem accipiunt Dei gratiam, motiones, &c. ijsque abutuntur: idem sentiendum est de Christianis, quique fidei gratiam adepti sunt, si quando ad perfectæ vitæ aut sincerioris Dei cultus studium euocantur. Exemplum: Vocatur. N. vt Deum perfectè diligat, Deo perfectè seruiat, &c. Hic, qui sensu aliquo sibi impressit eiuscemodi cogitationem, aut lectione hausit, aut quouis alio modo persuasum habet, sibi sequendum huius vel illius in vita degenda exemplum, eius ordinis regulam, &c. prorsus non esse aliam salutis rationem, nisi ad huius mores se accommodet, aut illum ordinem ingrediatur: ex quibus ita positis,

positis, concludit hoc Deum velle, Inspirationis vel tactus diuini hanc genuinam sententiam esse: & tamen probabile est, huius opinionis rationem & causam non in efficacia voluntatis diuinæ esse, quæ hoc non voluit: sed ab illa primùm cõcepta & impressa animæ imaginatione. nã & pueri hoc ferè sequuntur quod vident, præeuntis verba iterant & repetuntipsi, etiam in cantum & modulamina præcinentium vocem conformant: & qui vix infantiæ annos excessērunt, quadrimi, quinquennes, &c. Carthusiani, Benedictini, fratres, sorores dici & audire volunt. imò, ne quid fuci desit, si causa quæratur, vt, inquiunt, toto corpore & anima Deo seruiamus, vt in numero fratrum & sororum, vtique Beatorum computemur. Omninò debent instituì ad optima, neque contemnenda illa sunt: sed Ecclesiæ consuetudo nõ est, vt ea ætatis & iudicij imbecillitate profiteantur, nisi cũ ratio & maturitas accessit. cæteroqui hoc posset cedere in perniciem animarum, etiam alioqui imprudẽtiæ & leuitatis nomine merito suspectum. Siue tamen naturæ tractus ille, seu imaginatio, aut quicquid tandem sit, bonis in bonum omnia cedunt, neq; carent hæc sua vtilitate, qua de re aliàs latius.

D. Thom. opusc. con. retra. c. 3. 12. 13 & 2. 2. q. 189. art 5. Latom. de instit mon. cap. vlt. infra cap. 113 & seq.

Patet igitur Inſpirationes Dei malè à nobis accipi, ſuffocari, & earũ loco praua cordium noſtrorum deſideria, peccata, concupiſcentias ſæpè ſuffici. Patet, electo fine, bono illo & præclaro, vt placeamus, vt ſeruiamus Deo, media non ſemper reſpondere: ſæpè erronea eſſe, & in fraudem nos inducere, vt quamuis ipſa principia, & primus ille motus, quo in bonũ ferimur, planè diuinus ſit, non ſtatim media ipſa quæ eligimus: quæ vel à Deo non ſunt, etiam cum periculo animarum noſtrarum. Atque hæc ſecunda ratio ſit incertitudinis Inſpirationum.

CAPVT LXVIII.

QVOD DE ILLIS, QVI VERba Dei malè intelligunt: tam illa quæ ſcripta ſunt, quàm quæ fidelium cordibus diuinitus inſeruntur.

OMninò cogitandum eſt homines nos eſſe & reputari: quique velit cum auctoritate quicquam agere apud homines, eſſe opus, vt afferat, quo ſe venditet ſupra & præter alios. Igitur qui docere alium, aut ſententiam ſuam probari velit, ille aut talem ſe exhibet,

qui

qui hominē ipsum excellere & superasse videatur: aut testimonium Dei habet, & ex Inspiratione loquitur: aut aliorum hominum auctoritate nititur, siue mortui illi sint, seu viui, qui scilicet Christianorum suffragijs probati existant: aut tandem Sacrosanctarum Scripturarum intelligentia. vtetur dico his omnibus ad defensionem sui, aut aliquo horum. Veniamus ad singula.

Primùm, habet cautionem à Christo: *Multi venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent.* Et Apostolus scribit: *quod filius perditionis (Antichristus) extolletur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita, vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Neq; defuerunt filij huius seculi, qui admirabili audacia se Christum esse æterni Patris filium, æditis scriptis, & in concionibus ad populos toti mundo prodere non erubuerunt. *Matt. 24.* *2 Thess. 2.*

2. Multi sunt, qui inaudito scelere Dei spiritum, reuelationes, visiones, &c. probandis suis erroribus mentiuntur.

3. Illorum verò numerus iniri non potest, qui de Scripturis defensionem parant, hoc faciunt æmulati parentem suum Satanam. Hinc sibi quisque trahit, vellicat, parat subsidia, robur, quo- *August. de Trinit. lib. 1. cap. 3.*

cumque alio titulo nitatur: vt idem flos venenum araneo, & salutare mel præstat apibus: eadem terra vuas producit & aconita: & vini præstantia alijs mortem, multis medicam opem attulit. Verba salutis quæ procedebant de ore Domini nostri Iesu Christi quæ docuerunt Apostoli, fructificârunt & germinârunt in electis fructum vitæ æternæ: alijs fue-
2. Pet. 2. runt in lapidem offensionis. Idem sermo
Rom. 3. non idē sonat in omnium auribus. quisque accipit vt vult, vt intelligit. Vsitata hæc sunt, fuerunt, erunt. Rationes multæ: quasdam retulimus, referemus plures. Hactenus præfati simus.

Sunt igitur qui Sacras Scripturas peruertunt *ad suam ipsorum perditionem:* quibus benè cognitis, facilè erit iudicium de interiori verbo, deque ijs qui illud in malum vertunt, vbiq; deficiunt, desperant, & occasionem accipiunt pereundi. nā qui errat in intelligētia ipsius Scripturæ (quæ in promptu, & ad manū semper est, quæ tractari & retractari potest) quomodo interpretabitur quod nō
Ieb. 4. scriptum, non exhibitum oculis est ver-
2. Pet. vlt. bum absconditum, & quasi furtiuum? De illis qui scriptū vel exterius verbum malè intelligunt, scribit Beatus Apostolus Petrus. *Loquitur in epistolis* (Paulus) *secun-*

secundum datam sibi sapientiam de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorũ perditionem. Atque hic inde duas conditiones, *indocti, & instabiles*: contrarias iis quas in sincero Dei famulo, in Consiliario requisiuimus, Sapientiæ, siue Prudentiæ, & fidelitatis. illi verba Dei accipiunt, vti Christus ipse accepit, & accipi à nobis voluit: hi verò *indocti, & instabiles*, pro libito voluntatis suæ intelligunt, & non Christi, cui repugnant, vel aliena ab illo sentiunt; sed suam sententiam sequuntur. Sed enimuerò vt consiliarius non censebitur, nisi qui prudens sit & fidelis, vtraq; enim requiruntur: ita neq; Sacrosanctas Scripturas rectè intelliget, qui non coniunxerit stabilitatem doctrinæ. nam & stabilitas siue constantia si sola sit Iudaicæ pertinaciæ assimilabitur, vt suprà dictum est. Qui inconstans est nõ habet imperium in seipsum, neque eam diligentiam inquisitioni veritatis adhibet, quam debebat; eoque nec comprehendit vnquam: qui scilicet, cum aliquod spacium indagationi rerum posuerit, re nondum percepta, abit inde, & transit ad alia. Benè Sapiens: *Qui non tentatus est, quid sit?* Sed quæ ratio

2. Tim. 3. & ibi Caietan.

Ecclesi. 34.

Num. 23. & Dionys. in Num. 24. Matth. 13.

ratio explicandæ tentationis & probationis in illo, qui imminente probatione transfugit ad alia? quæ etiam sententia est loci Euangelici de eo *qui seminatus est super petrosa, qui verbum Dei audit, & continuò cum gaudio illud accipit; non habet autem in se radicem, sed est temporalis facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuò scandalizatur.* Deserunt fidem, deficiunt, voluuntur hûc illûc. vertunt sese in hanc partem, mox placet institutum aliud. Atq; ita experimur, qui adolescentiam ingressi sunt, aut alicuius rei tyrocinium ponunt, cum multis sæpè diuersis negocijs eodem tempore occupantur: tanta rerum & officiorum multitudine ita obruantur, vt nequicquam sperent sese peritos fore earum rerum arbitros, nisi reliquis omnibus prorsus derelictis, vni rei soli & toti adhæreant; inde aliam atque aliam aggrediantur. quemadmodũ videre est viros senes & rerum vsu edoctos nullo negocio, summa animi tranquillitate difficultates causarũ, litium, &c. expedire: quod vt rectè fiat, necessum est illos ingenio & natura optimè institutos, alia multa ad eam perfectionem parandam adhibuisse: quales fuerunt Abraham, Dauid, Salomon, &c.

cæte-

cæteroqui pro suo iudicio diuidit vincuique Sanctus Spiritus donum aliquod neque vni omnia elargitur. Quem Dei & naturæ ordinem nos sequimur. Habet suos gradus eruditio, Theologiam, Iurisprudentiam, Medicinam, &c. Qui nondum perceptis vnius scientiæ regulis, formis, præceptis omnibus, leuiter transcurrit ad aliam, nunquid vtriusque fructu & laurea captator insolens fraudabitur? Hactenus de stabilitate. Doctrinæ vim (quæ altera conditio erat) capite 90. explicabimus. subijciemus his quæstionem.

CAPVT LXIX.

Quæstio.

DIcat aliquis: quæ fuit illa tanta scientia (quam requiris) sanctissimorum hominũ ab orbe condito, in Apostolorũ, imò in hæc tempora?

Responsio.

1. Deus pro incredibili bonitate sua adest patientibus necessitatem, supplet defectus, ministrat vltrò quæ requiruntur, cætera diligentibus & industrijs. *Supra cap. 27.*

2. Fuerunt iam olim, etiam de infidelium numero, viri naturæ & ingenij

dotibus percellentes, in quos Deus multa & admiranda contulerat dona sua. *Inuisibilia ipsius (Dei)* inquit Apostolus, *per ea quæ facta sunt, intellecta cōspiciuntur* ab illis. Enimuerò Philosophi & alij naturalium & cœlestium rerū contemplatores, quatenus illis licuit antè natum Christum, solo naturali lumine, diuinitus tamen, vti par est, illustrati, ea in posteros reliquerunt ingenij sui monimenta de omni ordine naturæ, virtutibus, moribus, & ijs, quæ Politicæ administrationis sunt: vt magno in honore illorum sit nomen. magna operū auctoritas (salua semper fidei Veritate) & doctrinæ merito apud omnes memoria & vsus: vt necessarium visum sit Christianorū doctissimis, si qui de nostrorū numero perfectissimis scientijs destinantur, diu & multum prius exerceantur cognoscendis illorum scriptis & institutis. Quibus vt quisque studium magnum, summam diligentiam adhibuit: ita præter & supra alios dignissimus censetur, qui ad maiora transcendat, & ciuili tandem vel Ecclesiasticæ Reipublicæ præsideat. ex hoc fonte prodeunt & deliguntur ad excolendā vineam, quam plantauit Dominus. Hæc suprà tetigimus, & habent opus consideratione non parua,

Rom. 1.

Cap. 19.

neque

neque putauimus opus hîc referre de abusu: ille semper & vbiq; cauendus est. Pergamus. Fuit ea Philosophorum, &c. præstantia, tanta naturæ & morum peritia, eaq; in posteros transmittendi scientia: obstupescimus ad nostrorum hominum tanquam miracula, qui paria aut maiora his illis præstiterunt, perfectius & simplicius à Deo edocti? *Christus venit legem non tollere, sed adimplere.* Et gratiam Deus homini infundit, non vt vim inferat naturæ, vt eam obstruat, vel eijciat; sed vt quæ ante suis terminis claudebatur, cœlesti spiritu quasi superfuso suauissimo imbre irrigata, perfecta, alta, sublimia, cœlestia suspiraret, & consequeretur. Scribit in hanc sententiam Iudæorũ doctissimus Philo: exponens, qui mores, quæ vita fuerit sanctissimorum Patrum ab ipso mundi initio: *Hi sunt, inquit, qui rectè ac sine culpa vixerunt, quorum virtutes publicatæ sunt in Sacrarum literarum tabulis: non tantum ad laudem illorum, verum etiam ad lectores in æmulationem prouocandos. fuerunt enim illi animatæ rationalesq; leges, duabus de causis venerabiles: altera, quoniam ostendunt, quod præcepta legis à natura non discrepant: altera, quod hinc liquet, non esse opus magno labore*

Matth. 5.

Philo de de Abr. in primum

Similia. Chrysost. cap. 8. Matth. hom. 22. in primum in 2. comment.

Aloys. in 4. cap. Gen. Ex collat. patr.

labore ad exigendam vitam iuxta legum regulam: quando illi prisci ante leges sigillatim preditas non scripto iure vsi, pari facilitate ac fœlicitate vixerunt. vt meritò quis dicere possit, leges scriptas nihil aliud esse, quàm vitarum Patrum commentarios: in quibus eorum dicta factaq; narrantur. Nã illi scholas nullas frequentauerãt, nullis praeceptoribus vsi fuerant, sed à seipsis instituti doctiq;, ordinẽ naturæ secuti sunt, quæ lex procul dubio est antiquissima omnium; quam ipsi ius summum fasq; rati esse, totã vitam suam vltrò ei subdiderunt, fortuitas res precibus & supplicationibus commendantes Deo propicio, &c. Et sub finem. *Testantur* (diuinæ literæ) *eum (Abrahamum) Dei legem & mandata fecisse omnia, non scripto vllo edoctum, sed absq; Scriptura secutum appetitus ingenij sui suauissimos.*

Rom. 2. Scribit ad Romanos Apostolus: *Non est personarum acceptio apud Deum. quicumq; enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt: & quicumq; in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Quum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostẽn-*

ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum, &c. Inter eos qui legem nõ habebãt fuit Iob: cui suffragatur ipse Deus, *quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, & timens Deum, & recedens à malo.* Talis erat Cẽturio, cui similem constantia fidei non reperit in toto Israhele Dominus. talis ille, cuius in Actis mentio fit.. Iob.1.cap. Matth.8. Chrysost in hunc. lo. in 2.commẽt. Luc.7. Actor.10.

3. Pauci sunt ex tanto hominum numero, quibus tanta memoriæ, ingenij, &c. vis per Dei gratiam contigerit, quiq; ijs vti possit. Sed si quisquam ea omnia acceperit, quæ huc faciunt, & non ita vsurpet (quod ferè fieri videmus) quemadmodum ad præscripras Dei leges decuit & debebat, deficiẽt, atq; vti flos terrę euanescent: præterquam quod Deus pro iusto iudicio suo illi ablata in alium trãsferet. Mitto quàm sit exiguus illorũ numerus, qui ad hunc modum à Deo instructi *toto corde & anima, spiritu contribulato, corde contrito & humiliato* Deum Deiq; gratiam quærant, inueniant, custodiant, non insistunt vestigijs Maiorum, quibus cor erat paratũ ad omne Dei placitum noctes, dies, compositis sensibus & animæ viribus ad omnem mansuetudinem: modesti, alacres, pro- Deut.4. Psal.50. Isai.65. 1.Cor.2. Phil.2. Psal.2.

uidi, ad quamuis occasionem rei benè gerendæ prompti, apta & idonea organa ad influxum Sancti Spiritus, prorsus ne quicquam efflueret, quod ad Dei gloriam faciebat. Et quia ad illorum perfectionem vel longissimis spacijs non accedimus, opus habemus Pædagogo Scriptura. & tamen si quis ab ipsis statim crepundijs ad disciplinam rapiatur, à Doctore eius rei peritissimo ad virtutem & doctrinã erudiatur (quæ cui contigerint quotusquisque tandem est?) ne sic quidem satis est huic curæ. Consueuit sanè Dominus docendis hominibus hominum opera vti, neque semper per miracula illorum animos suo spiritu implere. Infudit se semel Apostolis in die Penthecostes: quod consilium si semper placuisset, quò tot magistri, Doctores, principes, ministri? nè Christi quidem ipsius opera, vel Apostolorum requirebatur ad annunciãdum toti mundo Euangelium, quod tamen modis omnibus, ipso Apostolo teste, fuit necessarium.

August. in prologo lib. de doctrina Christ.

Rom. 10.

Postremùm. Iudicabantur ab huius seculi hominibus pauperes Apostoli, simplices, etiam odio (si dijs placet) & contemptu digni. ij sanè, qui facietenus illos

viros

viros consideraret: cæterum natura nobili, Dei gratia omnifariam tanquã pulcherrimis vestibus exornata, humani, quorum probitas, animi magnitudo, patientia longo tempore Christo probata: cuius exemplo se confirmarunt: vsq; dũ missus Sanctus Spiritus de cœlo post Christi resurrectionem in illos descenderet, contemptis interim ijs omnibus, quibus hic mundus sese venditat, titulis, & fumis; constantes in aduersis, ad tolerandam famem, sitim, nuditatem: eâdẽ prorsus animi submissione si quis honor Christo tribueretur, & ab illo ipsis Apostolis deferretur. Simplices & liberi sed cum sobrietate: pari & perpetua in Christum reuerentia. Iidem mores, eadem verecundia in quæsitis & responsis. Obedientes ad imperia Domini: solliciti cum tempus ferret, qui etiam (si dicere fas est) Christum memorẽ fecerint celebrandi Pascatis. Cũ aliquando Christus ad vesperam multa hominũ millia detineret studio audiendæ concionis: *Desertus est locus*, inquiũt, *& hora iam præterijt, dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas.* Alibi cum Christus acerbè inueheretur in Pharizæos, accesserunt eum discipuli, dicen-

Matth 26.
Matth. 14.
Luc. 9.
Mar. 6.

Ioan. 6. dicentes: *Scis quia Pharizæi audito ver-*
Matth. 15. *bo hoc scãdalizati sunt?* Elucet nimirum in Sanctis perfecta virtutũm corona: ita, si quis inspiciat, simplices videbit, morigeros, cum magna animi submissione erga parẽtes, superiores, sed pari diligentia, alacritate & pia quadam sollicitudine, vbi opus est. Erãt Apostoli gratia pleni, & natura instructi ad omnem honestatem; subinde adhæserũt indiuidui comites Domino nostro Iesu Christo: cuius exemplo diuinisq; sermonibus quis eos non videat ad optima quæque profecisse? Ex illius spacijs, &; quæ in ipso erat beatissima omnium rerum copia ad satietatem hauserunt auidi, & tam excellentis magistri gloria excitati: sub cuius tali magisterio assidui discipuli diligenter edocti, & ad futuram gratiam præparati, die Penthecostes, cum diu in oratione vnanimes perseuerassent, gratiam Sancti Spiritus perfectissimam consecuti sunt.

Patet igitur, viros sanctos, quorũ mentio est in Scripturis, doctos & eruditos præ cæteris fuisse.

2. Quo pacto ad illud eruditionis fastigium peruenerint, ea vsi sint, paratamq; custodierint.

3. Quod Christus ipse Apostolos suos sen-

ſenſim & tractu tẽporis docuerit & præparârit, nihil ab eo conſilio deterritus, quod poſt eis elargiri vellet Sanctũ Spiritum inaudito miraculo, & in eo theſauros ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ.

4. Quę miraculi virtus ad nos trahẽda non ſit, qui cum ijs nec paria facere, neque talem Sancti Spiritus gratiam exſpectare debeamus.

Poſtremùm, quod indocti & inſtabiles Scripturas ipſas malè intelligãt, ideoque prorſus indigni ſint, quib. in intrinſeco cordium influat Deus, & diuiniores Inſpirationes vel recipiant vel intelligant. atq; hæc tertia ratio ſit incertitudinis Inſpirationum.

CAPVT LXX.

DE VOCATIONE APOSTOlorum, & primùm de medijs & præparatione eiuſce Vocationis.

IGitur Apoſtoli optima natura, magnis inſuper gratiæ muneribus à Deo dotati erant (vti iam dictum eſt) adeò quidem, vti Sancto Ioanni Baptiſtæ, pœnitentiam & venturum Meſſiam prædicãti, ſtatim adhæſerint diſcipuli Sanctus Petrus,

Petrus, Andreas & Ioannes: quia scilicet solum Deum præ oculis habebant, & virtutem: neque tamen ab operibus vitæ necessarijs cessandum sibi putabāt, quin labore manuū & artibus nemini nō probatis, victum sibi compararent.

Actor.19. 2. Erat Sanctus Baptista Christi præcursor, exhortans homines ad credendum ei *qui post se venturus esset:* Hoc est, in *Iesum Christum*; idem subinde repetens inculcabat: sese ipsum deijciēs cum humilitate & submissione admirabili; Christi laudes perpetuis sermonib' prædicabat: apertè tradens ipsum esse verum Dei filium, & tot seculis annunciatum Messiam. Describunt illum concionantem Euangelistæ : *Venit fortior* *Mar.1.* *Matth.3* *me post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu Sancto.* in quam sententiam qui plura volet, legat tria prima capita Sancti Ioannis. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

3. Erat in oculis omnium Sanctus Ioannes Baptista, tanti nominis & admirationis, vt eum plerique Messiam ipsum putarēt: *Mar.1.* *& egrediebatur ad eū omnis regio Iudaa & Ierosolomita vniuersi, & baptizabantur ab illo.*

4. Ve-

4. Venit ad Baptistam Christus ipse, & baptizatus est ab eo. sed quid ait? *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* & subinde clamat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et vidi spiritum descendentem, quasi columbam de cœlo, & mansit super eum. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* *Matth. 3.* *Ioan. 1.*

5. Abijt quidem à baptismo Christus in desertum, sed redijt, & mansit eo ferè loco, vbi Ioãnes Baptista agebat totum annum: subinde aperiens, & tanquam manifestum se faciens Ioanni: ille verò prædicabat & testabatur populo illum ipsum esse, cuius aduentum toties prædixisset. *Caietan. in 3. cap. Ioannis.*

6. Atque ita cum hinc se Christus ostenderat, inde Ioannes concionaretur, totum iam annum, vidit ille transeuntem Christum, & ambulantem, dicens: *Ecce Agnus Dei. Et audierant eum duo discipuli loquẽtem, & sequuti sunt Iesum;* vtique læti quod reperissent aliquando illum, toties à Magistro annunciatum. *Conuersus autẽ Iesus, & vidẽs eos sequentes se dicit eis: quid quæritis? &c.*

7. Ioannes vti fidelis minister cũ totam illam populi multitudinẽ in Christum cõuertisset, extremũ fidei & debitæ iusti-

iustitiæ officium præstiturus, ipsos suos discipulos, quos maiore affectu prosequebatur, ad Christi imitationē exhortatus est. Vide, vt omnia sincerè, ingenuè, liberaliter egerit.

8. Et quidem illi discipuli tanto in Deum affectu ferebātur, nullo in ipsum Sanctum Ioannem carnali desiderio, virum vtique nominatissimū, magistrum, & qui eos in spiritu primùs genuisset. sed cum ab illo mitterētur ad meliorem, nihil cūctati, libenter paruerūt, & Christum secuti sunt. Poterant respondere Ioanni: *Quod minus est à meliore benedicitur*: potior est baptizans baptizato: venit, vt à te baptizaretur Christus, non tu ad Christum. Humilitatis tuæ est, quod suprà te extollis alium: qui tu sis, scimus, nescimus Christum, benè nobis apud te est; quo loco apud illum futuri, ignoramus. Nihil tale illi, simpliciter, & toto animi affectu Deum quærebant. pari erga Sanctum Ioannem obedientia: siue maluisset ille manere illos, seu separari à se, & disiungi corpore.

Hebr. 7.

9. Neq; tamen apertè mandabat, vt relicto se, Christum sequerentur, dicit tantum: *Ecce Agnus Dei*: neque enim opus habebant discipuli ad omnem cultum & reuerentiam compositi, pari ingenio

genio & intellectu, apertiore mandato non illi partem aliquam, sed ipsissimam Sancti Baptistæ sententiam planè percepetant.

10. Incredibilis modestia Discipulorum est. non primi rogant, non se ad latus, aut ante oculos Christi statuunt, nihil audaciæ vel in potentiæ in aggressu. dixisset alius: Veniamus ad te discipuli magni illius & admirabilis viri Ioannes Baptistæ, qui quod te prædicet, & maiorem se faciat, ea causa venimus ad te, vt eo loco habeamur, quo apud illum fuimus; accommoda te nobis & cetera. procul hæc ab illis; erant sanè pauperes, sed spiritu & moribus ad omnem honestatē instructi, qui nec cogitare quicquam tale sustinuissent: quin potius in patientia & humilitate ad sequēdum Christum tota animi deuotione incitati, sustinebant libenter, dum sese aperiret Dei gratia, ea mensura, quæ ipsi Deo tādem placuisset. Vulgo putatur, qui demissis in terram oculis, innocenter & verecundè vix aliquando aspiciunt, vel eo solo declarant necessitates suas, duntaxat apud eos, qui iudicio & intellectu valent: ijdem fuerunt mores discipulorum Sancti Ioannis Baptistæ.

CA-

CAPVT LXXI.

DE PRIMA APOSTOLORVM vocatione videlicet de Sanctis Andrea & Ioanne Apostolis.

CHristus ipse plenus & perfectus omni virtute & gratia statim aduertit, quod se sequerentur Discipuli: conuertit ad eos se quàm amanter, & allocutus est: *Quid quæritis?* non ait: *quem quæritis?* neque carent suo pondere verba hæc, *quæritis*, quo scilicet docemur vt omne studium, & quãtam possumus diligentiam adhibeamus inquirendo,
Matth.7. iuxta illud: *quærite, & inuenietis* & ipse
Luc.11.15. quærendi modus & forma per parabolas traditur apud Lucam: nimirũ vt eam exactissimam diligentiam adhibeamus procurandæ saluti animæ nostræ, quam bonus paterfamilias procurandis rebus suis. rectè igitur: *quid quæritis?* ad eos, qui omni opere & negocio contendebant: qui panem illum cœlestem pascendis animabus rediuiuo conatu constanter requirebant quod altero verbo indicatur, quid quærendũ sit, abundè explicuimus supra de Amore. Ad hanc quæstionem respondent, & iterum quærunt Disci-

Diſcipuli: *Rabbi, vbi habitas?* Hoc eſt, quæris Magiſter quid quæramus? nos nihil præſumimus, non nos, neque noſtra venditamus, neq; verbis multis vti audemus, &c. videlicet illius quæſitionis finis non à verbis vel auditu petēdus erat, ſed in actione verſabatur: ita, quod proprium eſt magnorum virorum, non fidem verbis addicere, ſed rebus ipſis præſtare cupiebant. ideoque nec ſimpliciter ad rogata Chriſti reſpōdebant, cum quod illi quærebāt verbis explicari & cōprehendi non poſſet: nam de cœleſtibus vix quicquam dignè loquimur, & nihil ſunt noſtra comparatione illorum, quæ admirabili & diuina gratia operatur Deus in nobis. *Auguſt. de catech. rudib. cap. 2.* *2. Cor. 12.* *Phil. vlt.*

Secundò. Miranda Diſcipulorum prudentia, quorum reſponſio noua quæſtio eſt: *Magiſter, vbi habitas?* nimirum, tanti momenti res de facili non poterat explicari: videbatur ocioſum & prorſus alia multa ſtudium audientis requirere: quæ ab ambulante, & cætera non perinde expectabantur: ſatis certi ſenſim & tempore ad veram de rebus cognitionem perueniri, cuius finis eſt ipſa Perfectio. Quærunt de loco habitationis, in certam ſpem adducti maioris cum Chriſto conſuetudinis, eam tam pulcherrimam *Vide ſupra cap. 46. & ſeq. & cap. 60.*

occaſio-

occasionem accepturi sæpius conuenire (vti etiam fecerũt) rogare, discere, in eius vitam intueri, & in exemplum sumere. Respondit quæsitioni Christus nõ simpliciter, sed: *venite, & videte.* animaduertit in illorum mores, vidit sibi rem esse cum viris, qui factis non verbis probari vellent: exhilaratus, hoc respondit, quod sensisse illos, non tamen elocutos esse apparebat. non respondere multis, non seipsum magni facere, neque polliceri quicquam illis voluit, sed ita paucis: *venite, et videte.* Vulgò dicitur, illius demum mores pernosci, cuius familiarem habuimus consuetudinem: ita & Christus. Videte propius & familiariter qui sim, etiam atque etiam audite. non est, quod vinculis alligemini perpetuò manendi apud me: volo pro nobilitate vestra libertatem vobis integram manere: video gratiam & Dei dona non frustra in vos collata; aduertitis & excolitis diligẽter, scio, si semel assueueretis, non vobis tædium fore mei, sed desiderium perpetuæ mansionis. Repetendum etiam est hic, cum viri pij corporibus & mutua familiaritate coniunguntur plurimum in omnem partẽ proficere ex eo ipso. Multum interest loqui aut laudari quemquã audias, an verò ipse illum cognoscas, videas,

Luc. 2. Maria cõseruabat, &c.

Eccles. 24. qui edunt, me, adhuc esurient. 1. Thess. 3. Epist. 2. & 3. Ioan. in fine. Vide supra c. 55.

deas, eiusq; vitam familiaribus & quotidianis congressibus exploratam habeas. *Et manserunt apud eum illo die.* O vesperam & noctem suauissimam cum Christus ipse procus. suos, postea futuros Apostolos, purissimi amoris complexibus detineret: quibus tanquam amicissimis & fidelissimis mysteria doctrinæ suæ erat crediturus. *Hora autem erat quasi decima:* neque hoc frustrà: imminebat iam nox; supererant omninò horæ duæ diei, sed illos instantes tenebræ nihil deterruerunt, vt vel in crastinum rem differrent: audita & intellecta Dei voce, obtemperatum est statum, & in opus deducta vocatio. Neq; Christus causatus est vesperam, non iussit cras ad se redire, &c. fuit etiam hoc prudentiæ Discipulorũ quod vesperè accesserint, accepta occasione, quod vidissent Christũ deambulantem, eumque honorificè comitati sint, & domũ euntem deduxerint: vbi tandẽ honestissimè vespere & totam eam noctem manserint apud eum, posito fundamento maioris amicitiæ in futurum. Discipulorum vnus Andreas fuit, alter ex Doctorum sententia fuit Diuus Ioãnes: qui quod hæc ipse scripserit, nomen suum consultò videatur præterijsse.

CAPVT LXXII.

DE VOCATIONE SANCTOrum Apostolorum Petri & Philippi, itemq; Natanaëlis & Nicodemi discipulorum.

QVærit subinde & *inuenit Simonē fratrem suū Andreas: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. & adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit. Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis cephas, quod interpretatur Petrus.* Andreas nequaquam existimabat se parem esse ijs explicandis, quæ illo vespere & nocte à Christo acceperat: non ita in verborum sono confidebat, sed viua Christi vox, vita & opera iunctum, quem non traherent videntem & audiētem? exemplo incipientibus, qui spiritum perfectæ & solidæ scientiæ nondum consecuti sunt, ne se alienis temerè immittant neu magistros exhibeant, sed eo dirigant vnumquemque, & ad eos digitum intendant, qui alijs docendis consilio & experientia sufficiunt.

In crastinum voluit exire Iesus, & inuenit Philippum, & dicit ei Iesus: Sequere me. Erat autem Philippus à Betsaida, *ciui-*

ciuitate Andreæ & Petri. fueratque Philippus ipse, quemadmodum & alij tres Apostoli de numero discipulorum Ioannis Baptistæ, quem videlicet sæpenumerò audisset Christi virtutes, & residentem in eo Dei spiritum, prædicantem. *Inuenit Philippus Natanaël, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Et dixit ei Natanaël, à Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, & vide. Vidit Iesus Natanaël ad se venientem, & dicit de eo: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.* Erat frater Philippi, doctus literas Sacras, pari sapientia & pietate, qui ipsius Christi ore tantoperè laudatus sit. Alius sermo erat Andreæ ad Petrum. vocat in partes Moysem & Prophetas Philippus, sed exemplo priorum, paucis: & arguenti, *num quid boni à Nazareth? Veni,* inquit, *& vide.* Venit & inter discipulos Christi computatus est, non sine maiore quadam vi & efficacitate per miraculum, vt in textu est videre, quomodo & Doctorum princeps Nicodemus: *Scimus*, inquit, *quia à DEO venisti Magister. nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit DEVS cum eo & cætera.*

Ludolph. ca. 24 de vita Christi.

Ioan. 3.

Ex quibus ita traditis pulchrè deducimus: fidei lumen & intelligentiam à viris doctis studijs & doctrina parari non posse, sed ab inspirante Deo esse: quemadmodum verisimile est etiamnum existere inter gentiles & Iudæos, qui ciuili prudentia, & aliarum artium cognitione reliquis hominib. multum præstent. Fit etiam inter nostros, vt illi, qui doctrina & rerum vsu cæteris videntur præstare, dum sibi ipsis fidunt plus quàm debebant, aut alijs rationibus, vel ipsa rerum varietate adducti, non se statim subijcere, neq; vocantem Deum sequi possunt simpliciter & mansuetè, nisi per miracula maior quędam vir illorum animis adhibeatur. Fit adeò rationum momentis hinc inde incurrentibus, quod perplexis disputationum laqueis irretiti vel distracti, quid eligere, quò se vertere debeant, prorsus ignorent: & tamen illa ipsa perplexitas, moræ, &c. sæpè sunt donum Dei: ne videlicet ab eo illectus, quod sibi ipse effinxit, illud quidem temerè suscipiat, eo derelicto, quod pura puta Dei vocatio est. Erit igitur consilium homini ita affecto dandum, vt sese ipsum ad quietem & tranquillitatē componat, atque sibi temperet à status sui mutatione, vsque dum fluctus illi subsideant, & liqui-

Ephes. 2.

Simile hist. trip. de quodam Philosopho.

liquidò cognosci queat, quid potissimũ Deus iubeat, quid ipse possit. Quod hic ex alio libro nostro explicabimus: id planè saluberrimum nobis omnibus, eo solo perfectè censebimur, hoc suaue & amabile Domini iugum est; quando miseri & cæci nos fatemur inscitiam & infirmitatem nostram, quique nesciamus, quid conueniat & salutare nobis sit: sed totam spem, fiduciam, & omnia nostra in Deo solo collocamus; illi tota animi quiete seruimus, quisque in ea vocatione, in qua viuit, & vocatus est; & præsenti gratia Dei vtimur, curam nostri & preciosissimi temporis habemus, quantam possumus, vsque dum Deus ipse aliò nos vocet, & melius nobis consulat, quod planè petimus & rogamus quotidiè Deum magna patientia, spe, & fiducia id nos aliquando consecuturos, ijs medijs & eo tempore, quando placebit Deo. quæ ipsa homini vel semper incognita, Deo soli manifesta, suæ potentiæ & voluntati subiecta sunt omnia. Hoc sensu dicebat Dauid: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, ad omnia scilicet, quęcumque tibi placent: cum certum mihi sit, me sine te nihil posse, in te & per te omnia, vt non seruitus, curæ, miserię, non tribulationes aut tormenta,

Cap. 8. de vita Act.

Psal. 107.

V 3 non

non mors aut infernus separare nos possint à charitate Christi. Hæc charitas optima pars est, vnum necessarium, quod non auferetur à Maria. nam in rebus exterioribus per morbos, & alioquin, multoties impedimur: Charitas nulli casui subiacet, nisi quis seipsum ea priuatum eat. adeò in tormentis & martyrio perseuerat (quanto in proprijs suis effectibus) vt, cum diuinæ bonitati sic complacatū est, apertis oculis videat Iesum stantem à dextris virtutis Dei, vt Stephanus, &c.

Ludolphus de vita Christi cap. 24. Ioan. 3. August. in illud psalmi: date gloriam laudi. 1 Cor. 1.

Erant, vt ad propositum redeamus Natanaël & Nicodemus (quorum etiam alibi mentio fit) viri docti, & iam inde ab initio, vt in Christum crederent euocati sunt: quod magni intererat firmandis simplicium animis. dicitur hic princeps *Iudaeorum*: inter eos nimirum qui de peritia legis censebantur. neque tamen numero Apostolorum voluit eos aggregari Christus, nè Christianæ fidei initia hominum industriæ vel adinuentioni tribuerentur. benè inter Discipulos admisit, ne quis per imperitiam vel doctrinæ ignorantiam deceptos Apostolos arbitraretur.

Posteà Dominus Iesus cum his quinq; disci-

discipulis, quos iam elegerat, venit *ad nuptias in Cana Galileæ die tertia & erat mater Iesu ibi.* vbi *Iesus fecit initiũ signorum suorum, & manifestauit gloriam suam. Post hoc descendit Iesus Capharnaum, & mater eius, & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus. Et propè erat Pascha, & ascendit Ierosolymam, & inuenit in templo vendentes, & omnes eiecit de templo, nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.* Quo tempore *multi crediderunt in nomine eius, videntes signa quæ faciebat,* inter quos & *Nicodemus Princeps Iudæorum: Hic Venit ad Iesum nocte.* cuius facti inter alias, hæ rationes dari possunt. vt seriò præsenti Christo loqueretur, fortè quod intelligeret, de die tot occupationibus districto non vacare: aut, quod viro prudenti, & rerum perito videretur non sine leuitatis vitio ad eum modum subitò immutandus, & animi sui intima toti mundo declaraturus: aut certè, quod cum alijs *legisdoctoribus & tota plebi honoratis,* occultus Christi discipulus futurus erat, certo consilio: vt efferatos Iudæorum animos prudentia & mansuetudine nusquam suspecti, attemperarent: quod ab ijs sedulò factum esse satis patet. Fuit Gamaliel post

Caiet. in 2 c. Ioannis.

Actor. 5. Simile 2. Reg. 15. Ioan. 7. glosa in Act. 5. & ibidem Dionys. Carth. Clement pp. lib. 1.

recognit. Christi ascensionem in cœlos, de consi-
non longè lio Apostolorum itidem verę fidei secta-
à fine. tor, sed occultus; legisdoctor *honorabilis*
Ioan.3.15. *vniuersæ plebi.* Ait Nicodemus: *Rabbi, scimus quia à Deo venisti Magister. nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* quo loco aduertendum est, tanta fuisse Christo miracula, vt Iudęorum doctissimum de sententia ad se sequendũ compulerint, quæ Discipulis diligenter notata, crescebat nimirũ fides, reuerentia, & cultus in ipsum Præceptorem.

Ita patet: Discipulos numero quatuor, posteà Apostolos, & alios duos lõgè doctissimos à Christo vocatos fuisse, neque nisi multis accuratè perceptis tandem Christo credidisse.

2. Magna discipulorum reuerentia, humanitas, gratitudo, & parata in omnem partem obedientia.

3. Habuisse Christum iam inde ab initio qui se sequerentur, viros omni eruditionis laude præstantes, quos tamen nunquam extulerit ad Apostolicæ dignitatis fastigium, & quare?

CA-

CAPVT LXXIII.

QVOD DE SECVNDA APO-
stolorum vocatione, quidque illam praecesse-rit.

DIcturi de secunda & tertia Apostolorum vocatione; operæprecium facturi videbimur, si prius explicemus, quo maximè modo discipulis suis Christum annunciârit magnus ille Ioannes Baptista, vt scilicet à se persuasi illum ipsum Messiam sequerentur. Miranda inprimis Baptistæ mansuetudo & longanimitas, neque defuit in agendo nobilis & humanissimi viri dexteritas: vt vel sensim perciperent, & præmonstratum vitæ panem discipuli requirerent. Ait Euangelista: *Post hæc* (à conuersione scilicet Nicodemi) *venit Iesus & discipuli eius in Iudæam terram, & illic demorabtur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Ennon iuxta Salim, quia aqua multa erant illic, facta est autem questio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione, & venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium* *Ioan. 3.*

perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. Respondit Ioannes, & dixit: Non potest homo accipere quicquam, nisi ei datum fuerit de cœlo. ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim. Non sum ego Christus: sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat & audit eum gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui. Qui de sursum venit, super omnes est. Qui de terra est, de terra loquitur: qui de cœlo venit, super omnes est. Et quod vidit, & audiuit, hoc testatur; & testimonium eius nemo accipit. Qui autem acceperit eius testimonium, signauit, quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur, non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Qui credit in filium, habet vitam æternam, qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Hactenus Ioannes Baptista. Ex his manifestum est quod Discipuli Christi, quos iam diximus, Christo affuerunt, cum ea fierent, quæ prioribus capitibus narrat Euangelista. ait enim:

Post

Post hæc venit Iesus & discipuli eius, scilicet, *in Iudæam*, ex Ierosolyma, vbi tot signa fecerat. Neq; mirum si Christo noctes & dies adhæserint, qui illius suauissima conuersatione, tot miraculis, tantorum virorum Christo credentium exemplo commoti, quid aliud, quàm reuereri, amare, sequi talem magistrum potuerunt? neque tamen derelictus omnibus Christo adhærebant, sed subinde res suas curabāt: piscatis & honestis artibus vitæ necessaria sibi suisque paraturi. Probabile etiam, Ioannem Baptistam veterem præceptorem suum accessisse, de ijs quæ in Christo viderant, cum Ioanne & discipulis suis contulisse; quibus omnibus nihil obstantibus, *facta est quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis*, qui in Christum crediderant, ab eoque baptizabantur. Qua occasione accepta Sanctus Ioannes Christum magnificis laudibus effert, se deprimit, & humiliat: quique à se baptizati essent, eos omnes ad Christum mittit, vt ab eo baptizarentur, sed quanta in ipsa responsione Ioannis humanitas, quanta rationum vis & connexio. Non illis imperat vt Christum statim sequantur, quod iure poterat. sed eadem benignitate animi qua alios tractârat,

Caietan. in 3. c. Ioan.

Ludolphus de vita Christi cap. 27.

dum Christum supra se prædicat, satis explicat, quid sentiat, verè generosus: qui ducere non trahere quemquam vellet. Sed ille idem mansuetissimus & humanissimus, vbi opus fuit, alijs se tentantibus cum minis & seueritate pro merito respondet: *Progenies viperarum, quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira?* sed adhibet mox salem doctrinæ: *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, & cætera.*

Matth.3. 2.Tim.4.

CAPVT LXXIIII.

DE SECVNDA VOCATIONE Apostolorum.

Ludolphus de vita Christi cap.29.

HÆC tanquam præfati, iam rem ipsam aggrediemur. Christus per miracula & conciones citò toti Iudææ innotuit, vt illum turbæ multæ, in ipsas solitudines & quoquouersum flagrantibus animis sequerentur, adeò vt *irruerent in eum ad audiendũ verbũ Dei, secus stagnum Genezareth, & necesse habuerit* nauim conscendere. *Ascendens ergo vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum, & sedens docebat de nauicula turbas.* Mox miraculo probaturus sermonum veritatem, *dixit ad Simonem; Duc in altum,*

Luc.5.

altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt multitudinem piscium copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita, vt penè mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant in captura piscium, quam ceperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem, qui erant socij Simonis. Et ait Iesus ad Simonem: Noli timere, ex hoc iam eris homines capiens. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.

Patet primum, quantum Christi nomen, quàm præclaram apud omnes existimatione fuerit.

2. Petrus & Ioannes à Christo discesserant, & hoc ipso tempore suis negocijs liberè exercebãtur. ex quo idipsum probari potest, quod supra docebamus, illos non continuè Christo adhæsisse. Videntur adhæc in summam admirationem

rapti, propter eximiam Christi sanctitatem, cui sese adiungere trepidabant, quemadmodum illa Sidoniorum vi-
2. Reg. 17. dua: *Quid mihi & tibi* (inquit ad Heliam) *vir Dei? Ingressus es ad me, vt memorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? &c.*

3. Petrus animi sui sensum simpliciter eloquitur, morigerus tamen ad vocem Christi: neque reprehenditur super hoc. Par est vt subditus & discipulus cuiusquam quid sibi potissimum videatur verbis exponat; sed nimirum si alia vox est præceptoris, parentum, superioris, cũ omni patientia & animi mansuetudine dictis illorum se præstabit obedientem: plusque illis tribuet, quàm sibiipsi. Est hoc nobilissimi & optimè constituti ingenij curare, inquirere, sollicitum esse, &, quàntum conniti possunt, sua opera Superiorũ consilijs succurrere, & opem ferre. Quod illi ipsi lubenter accipiunt, & probant in subditis suis eam iudicij & naturæ indolem: quia scilicet omnibus examinandis & videndis soli non sufficiunt. Quæ hoc loco semel monuisse satis sit. Istiusmodi cõtradictiones prorsus humanissimæ tota Sacra Scriptura probari possunt exẽplo sanctissimi cuiusq;.

4. Rogat Christus Petrum *reducere*

pusil-

pusillum à terra. Non imperat, non iubet: par penè humanitas Præceptoris & Discipuli.

5. Duo miracula: multitudo piscium, quodque fracto reti non excidebant. *Ludolph. in vita Christi cap. 29.*

6. Ait Christus: *Ex hoc iam eris homines capiens.* Non statim, sed aliquando. Mox Petrus, Andreas, Iacobus & Ioannes *relictis omnibus* (nauibus, piscibus, & quicquid tandē in ijs erat) Christum secuti sunt: ne sic quidem indiuidui comites mansuri, sed sola Christi reuerentia ad tempus illū honorificè prosecuti, post ad sua redierunt. *Idem ibid. Dionys. Carth. in 4. caput Matth.*

7. Etiam hoc obseruabimus, nequaquam reprehendi hos suos discipulos à Christo, quod nauim & amicos suos subinde repeterent cùm idem ille alio loco Discipulum qui parenti suo extrema iusta soluere, & alium qui amicis salutē dicere percuperet, seueriùs increpatos idipsum præstare non permiserit: atque ideò Christus ipse postremo Matth. cōuiuio, quod discessurus ille amicis suis parauerat, cum Discipulis interfuit. Et Helizæus ab Helia ad consortium vocatus: *Osculer, oro, patrem meum*, inquit, *& matrem meam, & sic sequar te. Dixitq; ei Helias: Vade, & reuertere; quod enim meum erat feci tibi.* *Matth. 8. Luc. 9. Matth. 9. Luc. 5. 3. Reg. 19.*

Hoc

Dionys. Carth. in Luc. c. 9. Hoc est, vt Testamenti Veteris conditio accipiatur: Per me licet tibi quod vis, vide etiam atque etiam quid facias. res plena periculi est. parentes & amici ferè trahunt ad inferiora, & ipsa hominis natura parum stabilis & infirma est. Vt verissimum sit, quod multoties ostensum à nobis: pro temporum ratione perfecta & bona æstimari, quod vni commodum, obesse alteri, & iidem ipsi si tempus aliter ferat. Benè Paulus: *Litera occidit, spiritus viuificat.* Spiritus discretionis, prudentiæ, charitatis, &c. 2. Cor. 3.

CAPVT LXXV.

QVOD DE TERTIA ET VLtima Apostolorum vocatione. qua causa priorum duarum non meminerit Apostolus Matthæus. Apostolos non leuiter credidisse, neq; temerè Christum secutos esse.

Matth. 4. DE tertia quatuor Apostolorũ vocatione scribit Sanctus Matthæus in hunc modum: *Cum audisset Iesus, quod Ioannes traditus* (in carcerem coniectus) *esset, secessit in Galilæam, & cœpit prædicare, & dicere, &c. Ambulans autẽ iuxta mare Galilea, vidit duos fratres,*

fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare. (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus, secuti sunt eum. Et procedens inde vidit duos filios fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus, & patre, secuti sunt eum.

8. Quo loco animaduertendum est, Euangelistas, qui scirent multitudinem gestorum Christi, nō omnia scriptis (testis est B. Ioannes Apostolus) commendasse, sed ex eo tanto numero quædam tum verba tū facta Christi selegisse, quæ tamen ad eruditionē & normam Christianæ fidei abundè sufficiant: ex quibus dico, illa omnia etiā intelligi possint & deduci, quæ scripta non sunt. Atque hoc modo factum est, quod vnus aliquis quædam magni exempli indicta subinde prætereat, vt hoc loco apud tres primos Euangelistas magnum silentium de ijs est, quæ ab initio sui Euangelij ad caput quartum, deque Lazaro, &c. pertractat D. Ioannes. Ille enim postremus Apostolorum descripsit Euangelium Iesu Christi. Igitur S. Matthæus, omissis ijs quæ

Ioan. vlt. cap. in fine.

Hieron. in

in vita sancti Ioannis de vir. Illustr.

quæ in Ioannis Euangelio legimus, quæ scilicet antè coniectum Baptistam in carcerem contigerant, ne hoc quidem refert quod ex Euangelio S. Lucæ de captura piscium retulimus; vt prorsus initium libri sui faciat ab ipso, vt diximus Ioanne Baptista, in vinculis constituto. Quod spacium si expendatur, excedet annum integrum totum ab eo die, quo baptismum de Ioannis manibus accepit Christus. Quod tempus non sibi ille passus est abire vacuum: claruit miraculis, habuit conciones ad populos, traxit ad se infinitam hominũ multitudinem virtute verborum, exemplo, &c. quę vt maxima sint, parua videntur in eorũ comparatione, quæ post Ioannis captiuitatem Christus patrauit. Ita tanquã à potiorib⁹ facit principium Matthæus: *cum*, inquit, *traditus esset Ioannes, cœpit Iesus prædicare, &c.* Mox subijcit de vocatione quatuor Apostolorum. quæ omnia latè deduximus, vt illorum argutias refutaremus, quibus leues videntur Apostoli, quod verbo ignoti hominis, quasi de mentis statu deiecti, illum secuti sint relictis omnibus. Quæ iudicij ratio videatur alicui probabilis, quod illa credendi facilitas, tùm S. Scripturæ sententijs, tùm hominib⁹ nõ imperitissimis vehemen-

Chrysost. in Marc. hom. 4.

tet

ter improbetur. *Innocens credit omni ver- bo,* inquit ille, *astutus considerat gressus suos. Innocens,* rerū inexpertus, prudens parum, & indoctus. Item: *Qui credit citò, leuis est corde, & minorabitur.* Item. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Quibus Scripturarum testimonijs responderi multis modis potest, vt breues simus: Christo nihil impossibile est, in illius manu est cor nostrum. Homo erat & Deus. Fit etiam vt facilè credamus referenti, quæ diuturna cogitatione multum & diu agitata, nobis ipsi persuasimus vera esse: vt proinde nulla maiore cōsideratione opus sit. Igitur nihil temerè, nihil leuiter ab Apostolis in hac vocatione factū, quemadmodum hac explicatione nostra satis superque declaratum est.

Prou. 14.
Ecclef. 19. & 34.
1. Ioan. 4.

CAPVT LXXVI.

QVAM SE SVBMISERINT, quantopere reueriti sint ipsam Dei vocationem Apostoli.

VIdetur & hoc rectè dici, cogitasse illos sæpè de relinquendis omnibus, cupiuisse Christo corpore & anima in perpetuum coniungi, quod tentare ausos non fuisse, Christi ipsius reueren-

reuerentia, & quia ſeſe indignos hominum humillimi cenſerent, vt ille præclarus fidei Centurio aduenienti Chriſto
Luc. 7. miſit, qui nunciaret: *Domine noli vexari. Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, propter quod & meipſum non ſum dignũ arbitratus, vt venirem ad te, &c.* Iterum: Zachæus vbi Chriſtum audiuit
Luc. 19. ſibi dicentem: *Zachæe feſtinans deſcende, quia hodiè in domo tua oportet me manere: & feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens.* Quæris cauſam? *quærebat Ieſum videre, quis eſſet.* Præ humilitate non ſuſtinens aperire Chriſto quid peteret, ad mandatum Chriſti excitatus, accurrit cum gaudio. Eſt ea perpetua ratio inter Deum & hominem, & hominum inter ſe: eſt quod ſibi quis tribui cupiat; ſed ne petat, tardat pudor. ſi vltrò offeratur, exultat, & pedibus in ſententiam concedit: quia videlicet petitio ea iam dudum animo ſuo ſediſſet. Et Apoſtoli, qui penitiora Chriſti iã diu introſpexiſſent, partim cognati, partim inter ſe amici, nimirum cupiebant indiuidua ſocietate vitæ coniungi & ſequi Chriſtum: efferre concepta animi homines modeſti non poterant, cũ per ſe pateret, quanto in Chriſtum amore ducerentur, cuius tamen beneuolentia ſeſe indignos putarent:

tarent: quod reliquum erat Christo committentes, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Cuius oculis interiora cordium manifesta essent, vtique vocaturo, & cum ita sibi placitum fuisset, hac libertate in deditissimos vsuro. Quò facit, quod alibi loquitur: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructū afferatis, &c.* Coloss. 2. Ioan. 15.

CAPVT. LXXVIII.

DE TERTIA VOCATIONE *Apostolorum, deq; Christi verbis: Venite post me. quodq; regandi sint subditi, si res ferant, exemplo Christi.*

VEnerat hora, quòd Ioanne in vincula coniecto, ea facturus erat, quorum causa venerat missus à Patre suo in hanc terram: penetrat virtute sua Apostolorum intima, respicit super illos vultu misericordiæ & suauitatis suæ, euocat tandem voce beatissima: *Venite post me, &c.* Neque sine ratione apud generosos & præclari iudicij: ego *faciam, &c.* Ego, cui Ioannes Baptista testimonium dedit, & vos audistis, in me adimpleri promissionem veri Messiæ:

ſiæ: ego, quem multimodis probaſtis & vidiſtis ipſi: ego, cuius eſtis experti virtutem, cui ſubiecta ſunt omnia. *Faciam vos.* Quos in hunc diem ſenſi ita flagrantes, obedientes, gratos, fideles, humiles: qui nihil negligitis, quo creſcat gratia & ſpiritus meus in vobis, &c. *Faciam vos piſcatores hominum, &c.* Illi verò gauiſi (in quos gratiſſima Dei gratia tota virtute influxiſſet) relictis retibus, patre, &c. in perpetuum Chriſto adhæſerunt. Nunquam huiuſcemodi verbis hos Apoſtolos ſuos compellâ-at Chriſtus: *Venite poſt me:* tamen illi etiam tum Chriſto familiariter loquebantur, conſuetudine vtebantur ſæpè comites, & tanquam diſcipuli magiſtrum ſequebantur, ſed nullo certiore propoſito, redibant ad inſtituta vitæ prioris, & alioqui bis Petro promiſerat multa & magna, ſed nihil ad hæc: *Veni poſt me.* Vt ſcilicet maneas. Videlicet nihil præſumptè, nihil temerè aggreſſi niſi de vocatione conſtaret: vbi conſtitit prompti ſtatim & morigeri. Quemadmodum ab hac vocatione dignos & capaces fecit, in quos influeret Sanctus Spiritus die Penthecoſtes: ita, cùm illos ſenſim exemplo, fama, miraculis, &c. in ſui reuerentiam commouiſſet; ita tandem

aptauit

aptauit huic præclarissimæ vocationi.

9. Etiam hoc notandum, quod dicitur; *relictis rebus, & Patre, secuti sunt eum*: Sed non venditis, & precio in pauperes erogato: quemadmodũ alibi mandat Adolescenti; de quo suprà. Illa enim quæ forinsecus perfecta patent, eatenus censenda sunt, si prudenter, rectè atque ordine ad Dei honorem, ad aliorum salutem & prouectum sint instituta. Multum differunt, relictis rebus, abeas: an venditis. *Matth.* 19. *Caietan. ibidem, & in cap.* 4. *Matth.*

10. Apostoli dum agunt, dum exercentur, & Matthæus in telonio, nimirum solliciti adsunt, sicunde Deus vocet: in exemplum nobis, nullum esse opus, officium, &c. quod Dei vocationem impediat, si tamen homo creaturæ non innititur, si liber & sincerus in Deum fertur.

11. Christus, si sua interesse videatur inde aliquid ad se deferri, rogat & petit, vt suprà Petrum: & Paulus Philemonem, &c. sed cum res in illos refertur, illis ex eo salus & vita quæritur, sermone vtitur iubentis & demandantis. *Venite, & videte. Venite post me, &c. Sequere me.* Exempla ad manum sunt. & nimirum

ita

ita decet, potius quàm ad preces & blanditias conuertamur: Pro tempore, caussis, rationibus, mutandæ res, & instituendæ sunt. Videat quisque vt prudentiæ & charitatis sale actiones suas condiat, nihil temerè de alijs præsumat, nihil iudicet. Neque vacat improbitate, cum subditi eò efferuntur, vt arbitrentur ineundæ vitæ rationem à Superioribus se non accipere, sed ijs ipsis præscribere debere: quod ferè ab arrogantia est. Inde turbatur pax, nulla quies, nullus subditorum progressus, adeò nihil boni sperandum, prorsùs malorum quædam scaturigo, gaudium & dies festi Satanæ; qui hoc exordio triumphos & trophæa cogitabit, istiusmodi hominem ab vno in aliud præcipitem aget, ostentatam mox præripiet spem, subinde proponet aliam atque aliam, quam fugientem captet: vt bonorum operum obliuio subοriatur, aut locum non det, agitata varijs & perturbata mens, iusto Dei iudicio: fitque, vt alius ferè rerum sit euentus, quàm ipse sperasset; quæ exspectabat, tum eueniant, cùm minimè putat. Christus etiam Apostolorum selectissimis acerbioribus verbis respondet. ait
Matth. 16. Petro: *Abi post me Satana* Et verò Petrus amicissimè sibi locutus videbatur,
tanquam

tanquam testimonium amoris, nō conuitium commeritus. & alibi: *O stulti, & tardi corde ad credendum, &c.* Luc. vlt. Quamobrem in his temporum ratio tenenda est, causæ, occasiones: & subditi parere debent suis Superioribus, non pręcipere.

CAPVT LXXVIII.

DE CONVERSIONE ET VOcatione sancti Matthæi.

AIt Apostolus: *Et circuibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo. Et abijt opinio eius in totam Siciliam, & obtulerunt ei omnes malè habentes varijs languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, &c. & curauit eos, & secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & Ierosolymis, & Iudæa, & de trans Iordanem.* Matth. 4. Ex quo loco videre est, quāta apud omnes Christi existimatio, quantus honos fuerit. Subinde cum & alia multa fecisset Christus, *vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: sequere me. & relictis omnibus, surgens secutus est eum, & fecit ei conuiuium magnum Leui* Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5.

in domo sua, & erat turba multa Publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant, discumbentes.

Genes 1. Psal 32. 148.

Vide hîc primum (salua semper Dei bonitate & potentia, in cuius manu sunt corda omnium; qui verbo *dixit, & creata sunt.*) nequaquam nos mirari debere, quod Matthæus statim Christum sit secutus, qui suis oculis tot miracula, tantam Christi virtutem, & insitam omnium animis opinionem, &c. hauserit: post quæ tandem Matthæus Christo accessit, teste Chrysostomo: & elucebat in Christi vultu & oculis ea gratia, & lux diuinæ naturæ, splendor, & Maiestas, quæ sui virtute solo intuitu hominem ad sese pertraherent, vti præclarè docet Hieronymus. Sunt etiamnum homines ijs moribus, tanta suauitate, & arcana quadam gratia præditi, vt negari ijs nihil possit: & quæ comparatio nostra ad Deum ipsum, cui potestas eadem faciendi, quæ vellet. Quis tandem aliqua ingenij nobilitate pręditus, qualem probabile est Matthæum extitisse, (nam qui maximas opes possident, populis & exercitibus præsident, aut alia dignitate supra cæteros eminent, sæpè inertes, stupidi, & infimæ sortis sunt: ita minimis maximi & nobilissimi homines occupantur aliquando.

Chrysost. hom. 4. in Marc. & in 9. cap. Matth. hom. 31. in primum comment. Et Dionys. Carth. in 5. caput Lucæ. Hieron. in Matth. cõment. 1. Marc. 6.

quando,& quasi delitescunt) virum tanto omnium concursu celeberrimũ, sanctitate & potentia supra omnes omnium temporum, vltrò euocantem nõ lubentissimè sequeretur? fuit nimirũ Matthæo *Luc 19.*
iam pridem animus Christum sequendi, sed tardabat, & conceptũ animi premebat verecundia: quemadmodum de Zachæo, & Apostolis dictum est.

2. Potuit intelligere raræ & admirabilis gratiæ donum, quod se in telonio sedentem præter cæteros Christus eligeret, neglecta illa tanta multitudine, in qua multi docti & egregij, quæ sequebatur: & quodammodo ignarũ omnium, proprio certè iudicio indignum, amicissimè inuitaret.

3. Potuit audisse quomodo reliqui à Christo vocati statim secuti sint Apostoli: illa enim vtpote aperta, & in oculis omnium, totius populi sermonibus celebrabantur: ea vna & perpetua materies loquendi omnibus de Christi concionibus, vita, miraculis. Et in Veteri Testamento Helizeus vocantem Heliam statim secutus est. Ne hoc quidem *3. Reg 19.*
mirum tam excellentem Prophetam in omnibus sequi, eiusque dictis fidem adhibere, & quantò maior Helia Christus, quantò potior ratio hîc?

4. Ait Euangelium: *Relictis omnibus surgens*; ijs scilicet quibus in telonio occupatur. Fieri etiamnum videmus: si quis ab amico domum adueniente deprehenditur domesticis negotijs, mercatu, officio, &c. districtus, ille nihil turbatur: sed positis statim omnibus, &, sicubi res postulat, verbo annotat, atq; obuiam prodit amico, eumq; complectitur. Neque Apostoli scribunt Matthæum subitò surrexisse, *sed relictis omnibus* surrexisse, ipso scilicet Publicani officio in perpetuum derelicto.

Dionys. Carth. Luc. 5. cap.

5. Explicat seipsum Apostolus: nam quia post hæc *fecit conuiuium magnum* satis significat, neque dum planè familiam, domum, &c. ab illo relicta fuisse.

Caietan. in Luc. c. 5. & Mat. 4. de Petro.

6. Vide in hoc conuiuium, nimirum humanitatis & omnis beneuolentiæ lenocinium, potuit experiri mores Christi, illius suauissimam vocem, & verba in animum admittere, conferre tandem de omnibus, prius quàm ipse cum discipulis suis domo excederet. Fuit hoc gratissimum Matthæo, quod instituto suo accederet sociorum omnium consensus, sibi gratularentur in ijs quæ supra cæteros præclara & magna sibi contigerant. Quisque Matthæi gaudium animo concipiat, mitto reliqua. quis non hoc sibi persu-

perficiendum putaret, quod amicissimorum votis & vocibus videret confirmari? vt admirari nihil debeamus, quod Matthæus Christum secutus sit, sed ipsa Christi bonitas, misericordia, gratia, iudicium suspicienda & admiranda sunt.

CAPVT LXXIX.

DE CONVIVIO SANCTOrum Matthæi, & Helizæi prophetæ. deq; aliorum Apostolorum vocatione.

7. MAtthæus pro animi sui nobilitate, &, quo ferebatur erga Dominum & Magistrum iam suum, affectu, vocat ad conuiuium cum discipulis suis Christum, *& erat turba multa Publicanorum, & aliorum, qui cũ illis erant, simul discumbentes.* Quibus scilicet hoc discessurus in memoriam sui apparabat. cui simile est quod in veteri Testamẽto Helizæus scribitur *tulisse par boum, & mactasse illud, &c. & dedit populo, & comederunt, consurgensq; abijt, & secutus est Heliam, & ministrabat ei:* sed venerat tempus gratiæ, & aderat Christus conuiuio cũ discipulis suis; Helias non aderat: vt videa- *3. Reg. 19.* *Dionys. in hunc locũ.*

 tur

tur honestissimè ab officio discessisse Matthæus, & non tam reliquisse, quàm rebus omnibus expeditis renunciasse.

8. Qui ab animo & natura probè comparati sunt hoc inprimis curabunt, vt cuique quod suum est tribuant, ne quicquam faciant quod cùm ignominia cuiusquam aut incommodo coniunctum sit: sed constitutis omnibus ita tandem relinquent si videbitur, nimirum vt rectè atque ordine fiant omnia necesse est.

Dionys. Carth. in cap. 5. Matth. & Luca.

9. Fuit incredibilis quædam Christi humanitas, qui Apostolos suos diuinitus euocatos, cum creditorum & sociorum bona gratia, nullius hominis iniuria, prorsus honestissimè & amicissimè sibi conciliârit, docuerit, & in familiam suam adscripserit. Qua ratione Christus vsus sit vocandis alijs non liquet ex Scripturis, & hæc vtique sufficiunt ad eruditionem nostram.

10. Sciendum est, hos qui à Christo vocati, & Christum secuti sunt, Discipulos duntaxat, neque dum Apostolos fuisse, sed cum dies venit & Discipulorum numerus inualuit, *exijt in montem orare Iesus, & erat pernoctans in oratione Dei & cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis,*

Luc. 6.

quos & Apostolos vocauit. De quorum numero fuerunt hi quinque, tùm tandem Apostoli. Voluit enim Christus suos sensim proficere ad maiora, alia atque alia conari, & quasi per gradus constantiæ gressum figere, quamobrem & Apostoli ad eum diem, quo simul omnes vocati (neque enim propria alia vocatio extat) Discipuli erant & dicebantur.

CAPVT LXXX.

QVOD DE IIS QVIBVS ANImus & ingenium nobile est, siue præsint illi, seu subsint.

Quæstio.

QVarit Chrysostomus: cuius rei gratia non cum Petro simul ac Ioanne, & alijs discipulis Matthaum vocauit? *Chrysost. hom 31. Matth. in primum comment.*

Responsio.

Certè quemadmodum tunc ad illos accessit, vocauitq́ue, quando obtemperaturos sciebat: sic Matthaum quoq́ue nunc vocauit, quando miraculorũ fama perdomitum, minimè reluctaturum videbat. Qua de causa etiam Paulum post resurrectionẽ piscatus est. Nam qui corda scrutatur,

& occulta mentium perspicit, is etiam, quando vnusquisq; ad obediendum paratus erat, non ignorauit. Propterea nõ continuò incipiens, quando durior fuit, sed post mille miracula, & insignem atq; promulgatam famam, aptiorem iam ad obtemperandum, vocauit. Atque hîc mihi vide, quod vel preclarissimum in ijs, quibus ingenium aut natura nobilis est, subditi illi sint siue imperent. Vobis loquor, qui aliorum imperijs subiecti estis, vt principibus, præceptoribus, parentibus vestris summa omnia tribuatis: simpliciter morigeri, nusquam suspicaces aut refractarij: certi, nihil ab ijs venire quod cum salute vestra non sit. Vos interim, quibus aliorum salus, vita, res, fortunæ committuntur, etiam atque etiam in hoc Christi exemplum introspicite, qui non nisi præparatos in via & gradu firmitatis constitutos euocauit Apostolos: quos ab ore & ad nutum suum iam prudentes viderat, quorum alacritati hoc deerat, vt signum sustolleret Christus, quod sequerentur, vt verbum eloqueretur: *Venite post me.* Rogare non audebant propter rei dignitatem & magnitudinem hominum humillimi. Amicum & Patrem se Apostolis exhibuit Christus, quod illorum bo-

nam

nam voluntatem haberet exploratissimam. Iudæis in faciem exprobrat, populo pertinaci, duræ ceruicis, &c. ponit ob oculos malefacta, quomodocumque tandē accipiant. Fuit ergo magna Christi humanitas, & suauissima vox erga Matthæum: *sequere me*: neque contraria Discipuli ratio, simplex animus, parata obedientia, quæ videlicet modis omnibus rectissima & aptissima est: inde in animo pax & tranquillitas, salus in animam & corpus, & alia optima, de quibus alibi per Dei gratiam acturi sumus.

CAPVT. LXXXI.

DE DVOBVS, QVI VLTRO se Christi discipulos futuros profitebantur, dicentes: Sequar te, &c.

AIt Euangelista: *factum est, ambulantibus illis dixit quidam ad Iesum. Sequar te quocumque ieris. Dixit illi Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Et ait alter: Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renunciare his, qui domi sunt. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum* Luc. 9. Matth. 8.

suam ad aratrũ, & respiciens retrò aptus est regno Dei. Aduertamus in hæc paulò diligentius: & quidem:

1. Quàm verè Christus dixerit non multò ante passionem: *Ego vos elegi, non vos me elegistis.* Et Apostolus: *quomodo prædicabunt si non mittantur? Nec quisquam sibi sumit honorẽ, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.*

Ioan. 15.
Rom. 10.
Heb. 5.

2. Apostolos, non sua sibi auctoritate, sed à Christo euocatos id muneris desumpsisse inhæsisse studijs, & operibus suis, insigni patientia & longanimitate, vsque dum à Christo vocarentur: neque non iugi & perpetua oratione Domini clementiam implorabant, cõfisi de gratia, eamque affuturam pro iudicij sui beneplacito; exemplo Moysis, qui vtiq; segregatus à Deo erat, & destinatus liberando Israëli, sed vir ille totis quadraginta annis peregrinatur, vt tandem audiat è cœlo vocem: rebus ipsis declaraturus, quæ in promissis aliàs acceperat. Saul cũ à viro Dei Samuele in Regem Israël inunctus esset, pressit hanc suam vocationem incredibili quodam silentio, non iunctissimis, nec parentibus quicquam aperuit, neq; ipse quidẽ vllo signo quid actum esset manifestauit; adeò nihil eorum reliquit, quibus ad eum diem occupari

Actor. 7.
Exod. 3. 7.
1. Reg. 9. & 13.

pari ſueuerat, donec tandem Deus ipſe tempore & rationibus aptiſſimis rem executus eſt: valdè ad doctrinam noſtram, ne apud alios referamus, ſi quid oſtendere dignatus eſt: quod vix ac ne vix quidem ſine peccato fiat, & habet ferè aliquid latentis ſuperbiæ, & captatæ gloriolæ ex viſionibus. ſed ſi res, ratio, & rei ipſius circumſtantiæ ſic requirant, poſſumus, ſed alio quodam modo, quid ſuper his alij ſentiant, indagare: vt omninò qui rationibus ijs nõ aſſentiantur, nec viſionibus ipſis fidem habituri ſint. *Luc. 16.* Dauidis certa fuit vocatio, ſed ille tanquam omnium rerum ignarus, ijſdem vitæ ſpacijs inſiſtit, quibus antè, nulla rerum ſollicitudine, priſtini animi & propoſiti: ſed venit hora, & rebus ipſis agit Deus, agit etiam Dauid, & mutatur in virum nouum. Idem in Chriſto obſeruabimus. Venerat è cœlis in hanc terram miſſus à Patre ad redemptionem noſtram: & tamen ille idem humilis & ignotus mundo totis triginta annis latet, & tempus venit, &c. Quamobrem, qui à Deo vocatur, non eam ſententiam ſtatim habet, vt vocationi exequendæ manum admoueat, non vt obedientiæ titulo opus ipſum acceleret. quod ſi faciat, præter rationem facturus ſit.

1. Reg. 11. 16. 17.

5. Videamus, quam in agendo quasi formam secuti sint humillimi & sanctissimi Patrum in ordine scilicet ad Deum, & Dei vocationes: videbimus dico, horum duorum, quos suprà retulimus, nec verba nec facta conuenire, si ad eam normam exigantur, ideoque reprehensionem Christi meruerunt. Nescio, si quis se offert ex toto Sanctorum in Scripturis numero similibus verbis, atque hi Deum allocuti sint. *Ecce ego*, inquit Esaias Domino, *mitte me*. Sed si in huius tam promptæ obedientiæ causas inquiramus, iudicabimus vel hoc solo eundem spiritum cum Apostolis habuisse, qui vocati Christum secuti sunt statim, sanctissimum, prudentissimum virum, & qui diuino Dei amore flagraret: adeò non superbum, fastu tumidum, aut vanum, non inuidiæ, vel auaritiæ flammis agitatum. Ieremias ad Dei vocem excusat adolescentiæ annos, & verecundiæ suæ pudorem: non irascitur Deus, robur adijcit & firmitatem Prophetæ. quia scilicet rubor ille & naturæ ingenuus pudor non dedecet iuuentam. sed Moyses vir grandæuus octoginta annorum non auditur in excusationibus suis, perstringitur vltrò quod non pareat.

Esa. 6. & ibi Dion. Carth.

Ierem 1.

Exod. 4.

4. Pa-

4. Paterfamilias in Euangelio *exit conducere operarios in vineam suam*, sed non locant illi nō requisiti ad opus: quin imò rogati *ecquid starent tota die ociosi, quia*, inquiunt, *nemo nos conduxit*. Neque ad hoc responsum indignatur Dominus; audiunt suauissimam vocem: *Ite & vos in vineam meam. & cùm serò venissent, acceperūt singulos denarios, quemadmodum primi.* Describit illos Euangelista stātes, qui scilicet parati essent, quātum in ipsis fuit, ad opus, si quis conduceret. Alibi *tradidit seruis suis bona sua, & vni dedit quinq; talenta, alij autem duo, alij verò vnum.* Sed non illi veniunt & petunt. Ad nuptias rogati veniunt, & ita locum capiunt cum honore, absunt alij. Ita est: Viri sancti à Deo vocati ad Apostolici muneris functionem ad Euangelium Christi prædicandum, ad pascendum gregem, ad curam animarū, parēt, obediunt ad nutum, sed vocati, nemo seipsum vocat. Scribit Apostolus: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Nimirum differunt plurimum, præstare quis Episcopatum, & re ipsa exhibere cupiat qualem debet (quis non optet in virtute & reb. agendis esse perfectissimus?) an vero supra alios sese hoc officio dignū æstimet, nullo certo motu

Matth. 20. & ibi Origenes.
Gregor. Nazian. orat. 41.
Matth. 25. Luc. 19.
Matt. 22. Luc. 14.
1. Tim. 3.

Sancti Spiritus: non aliqua rerum necessitate aut ratione inductus: non animo & oculis ad puram illam & veram pietatem intentus, vltrò se ingerat aut sollicitet. Petunt opus bonum, benè hoc: petunt honorem, diuitias, dignitatem, & aliud petunt. Hi in seipsos, illi in Deum intendunt. Summa, non reperimus tota Scriptura quod Christus illis assensum præstiterit, qui proprio motu non vocati tali officio se dedere voluerunt.

Luc.8. *Possessus à legione dæmonum rogabat Iesum vt cum eo esset, dimisit autem eum.*

Iacob.4. 5. Dicit vterque: *sequar te.* Nullas ad-
Ioan.13. miscent preces, non addunt, si viuimus;
Psal.29. si Deo placet: sed ita simpliciter, *Sequar*
Matth.20. *te.* Quemadmodum & Petrus ad Christum: *animam meam pro te ponã.* Et Dauid: *Dixi in abundantia mea non mouebor in æternum.* & duo Zebedæi: *possumus calicem bibere.* &c. quæ omnia quia fastum & ambitionem sapiunt, annotantur in exemplum cum reprehensione.

* * *

CA-

CAPVT LXXXII.

HABET RESPONSIONEM Christi, ad verba Primi: sequar te.

6. CHristus, cuius oculis arcana omnium patent, significat aliquid amplius in horum verbis latere, quàm habebat calida S. Dauidis & ardua petitio Apostolorũ, quos iam retulimus, ait enim. *Vulpes foueas habent, &c.* His verborum ambagibus tangit hominis vlcus, & improbum animi affectum peritus medicus explicat. quod illud studium se sequendi finem habeat auaritiam, opes, &c. quemadmodum in Actis Simon magus: sed in hũc lõgè seuerius inuehitur Petrus, vt, qui animi sui malitiam apertè profiteretur, quàm in illum Christum: eundem sanè finẽ, sed tectè & subtiliter sibi proponentẽ hic acerbè & grauiter increpatur, sed illum tanta arte Christus tractat, tã humaniter & innoxia quadã vituperatione castigat, vt quid diceretur solus ipse intelligeret. quæ tanta Dei bonitas imitanda nobis est, ne quem, nisi causa necessaria cogente, culpemus; ne cuiusquam secreta aperta accusatione prodamus, ac si dicat Christus: Quid tibi à me expectandum est? non idem mihi animus, studium, finis, qui tibi. *Actor. 8.*

dini-

diuitiæ tibi quæruntur, potentia & honor in hoc mundo; me paupertas sequitur, te quies, & ocium, me solicitudo, & piæ curę delectant: contraria non conueniunt. Vide vt benè intelligas, etiam atque etiam expendas quę dico: mihi magistro tuo (vti cupis) studio est paupertas, an cōsentaneum est rationi vt tu per me diuitias, fœnus & iocundum corpori ocium tibi pollicearis?

Ioan.13.

CAPVT. LXXXIII.

RESPONSIO CHRISTI AD secundum, deq́ue relinquendis parentibus, amicis, &c.

7. AIT ille ad Christum. *Sequar te, &c.* & hic in Chrsti responso repetenda sunt ea ipsa quæ diximus: & alioquin subindicat, illum sanguini & carni, non, quemadmodum debebat, renunciasse; retinere memoriam & affectus eorum quib. insueuerat. Respondet alibi ita affectis: *Si quis venit ad me, & nō odit patrem suum, & matrem, &c. non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, nónne prius sedens computat*

Luc.14.

tat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum: ne postea, quàm posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Aut quis rex, &c. Sic ergo omnis ex vobis, qui nõ renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Respondet aliquis, illum, de quo loquimur, paratum ad ea quæ Christus iuberet: sed nimirum ille videri potuit apud homines aliquid dicere, sed Christus ad intima sensuum, quæ penitus introspiciebat, respondet.

8. Fortè an illorum amicorum tanta fuit morositas, barbarus & crudelis animus, qui in vincula & carceres coniecturi prius illum fuerint, quàm sententiæ suæ accessuri: aut aliàs impedimenta ac moras rebus propositis iniecissent: quod facilè est apud eos, quibus tanti est auctoritas amicorum. quo affectu ductum fuisse hũc ex Christi verbis liquet: ideoq; petenti veniam negauit, singulari iudicio. Nam Matthæo non hoc tantum indulsit, sed & magnificum cõuiuium pro amicis instituẽti, affuit etiam ipse Christus cum discipulis suis. Moyses post acceptum Dei mandatũ, vocem, miracula in mõte Oreb: rediturus in Ægyptum ad li-

Exod. 4. ad liberationem populi Israelitici, cōuenit prius socerum suum, & accepta venia abijt in Ægyptum cum pace. Vtique vir ille sapiens erat, qui nullo sui studio aliorum commodis æquè lætaretur vt suis. Sed hoc Iacobo curæ non fuit, neq; institutę profectionis suæ certiorem fecit Laban socerum suum, apud quem totis viginti annis egerat: quo nomine excanduit ille, & abeūtem diebus septem persecutus est, &c. quod non sine magno consilio faciebat Iacob, cui scilicet explorata esset soceri sui auaritia, & quàm ille nullis rationibus flecteretur? Ita videlicet pij viri Inspirationibus diuinis obediūt, sed diuersa ratione. Moyses cum venia & pace securus abijt: contra Iacob clàm, nulla mentione consilij sui, non sine maximo tumultu. vterque rectè & piè. Idem & hîc sentiemus. pax, inquietudo placent vtraque, si ratione nitantur. Discordia illa, grauitas, seueritudo, quæ rationem sequitur, probatur in Euangelio: *Nolite arbitrari, quia pacē veni mittere in terram: non enim veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici homines domestici eius, &c.* Et alibi: *Quod si oculus*

Gene. 31. (margin)
Matt. 10. Luc. 12. (margin)

oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. de quo latius suprà. Quamobrem nihil mirandum, neque in nudæ literæ intelligentia hærendum est,& in eam sententiam ratio quęrenda, quare Christus veniam huic non fecerit salutandi amicos, &c. sequenda potius Christi prudentia, qui pro rerum qualitate modum & ordinē mutat, docet,permittit, negat. *Matth.5. cap.35.*

9. Etiam atque etiam videndum, qui quales sint,qui seipsos vocant, & dicunt: *Sequar te.*

CAPVT LXXXIV.

PROSEQVITVR, ET EX DOCTRINA Christi consulto opus esse, prius quàm rem incipias.

10. Apostoli se indignos putabant, qui admitterentur, & digni habiti sunt: hi, quod se ipsos non vocati ingererent, atque ideò dignos æstimarent, reijciuntur. *Luc.14.18. Ioan.14.*

11. Magna effari, de perfectis & magnis rebus sermonem texere, ea polliceri & verbis duntaxat præstare non magni negocij: rebus ipsis quæ dicta sunt, efficere,admirabile & perfectum est. Ea Apostolorum virtus fuit, qui non se vēditabant,

tabant, vt hi duo, sed euocanti Domino respondēt & adhærent, dicit pro se quisque; *sequor te. Ecce*, inquiunt, *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, &c.* Hi præter illa quæ ambitiosè iactant, vltrò moras & diuerticula quærunt. Non sequuntur Dauidem. *Et dixi, nunc cœpi*, sed incipiam. Vulgare dictum est.

Matth. 19.
Psal. 76.
August. de verb. do. serm. 28.

Qui non est hodiè, cras minus aptus erit. Hodiè habet significationem præsentis. delitescit in voce cras Satanas, vocat in memoriam præterita, trahit ad futura. tandem commotus, ita apud se homo: si ita affectus essem, si eo loco, si hoc suppeteret, vtique seruirem Deo toto corde, &c. friuola hæc, cui salus sua curæ est, illam horas integrum sequi, seruire statim Domino & adhærere, vt ille latro in cruce.

12. Ait Christus: *Quis ex vobis, &c. nónne prius sedēs computat sumptus, &c.?* quid hoc *sedens?* id quod multoties admonuimus: vt nimirum, cum rei pondus exigit, res ipsa magno consilio & singulari diligentia adhibitis circumstantijs, ad rectæ rationis iudicium exigatur: vt tandem in opus quàm aptissimi deduci possit. Ait Psalmista: *Vanum est vobis antè lucem surgere: surgite post quàm sederitis qui manducatis panem doloris.*

Psal. 126.

loris. Hoc est (vt huic sententiæ accommodemus) frustra surgis vt sequaris Christum, si ipsa lux mundi Christus te non illuminat, si non vocat, si in silentio causas rei & fines apud te non expendisti. surge & sequere Iesum cũ Apostolis, hactenus, si Apostolorum humilitatem, sedens quietus & patiens expressisti: si in *nouissimo loco recubuisti, vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius.* *Gregor. in illud 1. Reg. 3. Vade, & dormi &c.* *Luc. 14.*

CAPVT LXXXV.

QVOD DE ALIO, CVI NON permittit Christus sepelire patrem suum.

SCribit Euangelista: Iesus ait vni ex discipulis suis: *Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum. Dixitq́ue ei Iesus: Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuncia regnum Dei.* Erat hîc de numero discipulorum Christi, vti constat testimonio Matthæi, neq; seipsum vocabat, quemadmodum priores duo, sed à Christo vocatur: *Sequere me.* excusantem non increpat, vti illos: docet porrò & mandat: *annuncia* *Matth. 8.* *Luc. 9.*

regnum

Dionys. Carth. in Lucam. Ambro. Isid gloss. in Lucam. D. Thom. 2.2.quaest. 101.art.4. & 189. art.6.

regnum Dei,&c. Ille, neque dum perfectè eruditus in lege Domini, existimabat præceptum de honore parentum seruari inprimis oportere, & de sepultura mortuorum. Volunt viri docti huius disci- puli patrem mortuum, propterea extremo pietatis officio defungi illum voluisse: noluit Christus, & commõstrat quid sit agendum. Fortè nec defuerunt fratres vel amici complures, qui hoc officij defuncto præstarent: proinde opus non fuisse tantum itineris exigere, relicta diuiniore functione ad quam à Christo euocatus erat: cuius opera tum vel maximè vti voluisse videtur. ait enim: *tu vade, & annuncia, &c.* in exemplum nobis: si plura concurrant quę bona sunt illud præmittendum quod necessitate vel vtilitate pręponderat: quia scilicet homo sit, qui diuidi & pluribus locis esse non potest, neque ad multa simul sufficit. Quid si fuerunt improbi ad quos iturus erat, ignari pietatis amici, quorum verbis aut moribus tanquam contagio infici potuisset, quod ex verbis videtur colligi: *sepeliāt mortui mortuos suos*. Scribit in hunc locū Beatus Augustinus: *Ita quendam superbum (quantum intelligitur ex verbis Domini) vltrò ire cupientem à discipulatu suo remouit: Sequor te Domine*

Aug: de verb. Dō. serm. 6. in initio.

quo-

quocumq; ieris. Et Dominus in corde eius inuisibilia videns: Vulpes, inquit, *foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Hoc est: *habitent in te insidiæ, sicut vulpes; habitat superbia, sicut cœli volatilia: filius autem hominis simplex contra insidias, humilis cōtra superbiam non habet vbi caput suum reclinet. Et ipsa reclinatio capitis, non erectio, humilitatis magistra. Reuocat ergo istum ire cupientem; trahit alterum recusantem. Eodem quippe loco ait cuidam: Sequere me. Et ille: Sequor Domine, sed sine me primò ire, & sepelire me patrem meum. Piè quidem excusauit, & ideò dignior cuius excusatio remoueretur, vocatio firmaretur. Pium erat quod volebat facere, sed docuit Magister, quid debuisset præponere. Volebat enim eum esse viui verbi prædicatorem ad faciendos victuros. Erant autem alij per quos illa necessitas impleretur. Sine,* inquit, *mortuos sepelire mortuos suos. Quādo infideles cadauer sepeliunt, mortui mortuum sepeliunt.*

CA.

CAPVT LXXXVI.

CONCLVSIO, SEV BREVIS repetitio quinque capitum præcedentium.

1. PAtet, quod reſponſum accipiant, qui ſpecie quidem Christũ ſecuturi, reuera opes, gloriam, & in hoc mundo mercedẽ quærũt.

2. Quod illi, qui ſuperbia animi, & faſtu elati concionandi grauiſſimũ munus, curam animarum, &c. ſuſcipiunt, nulla ordinaria vocatione aut miſſione.

3. Quod illi, qui Chriſtum ſequi volunt, ſed non renunciare affectibus in amicos, non priſtinis vitæ inſtitutis ſalutem dicere ſuſtinent.

4. Sanctiſſimos viros vocationes & motus Dei ad multos ſæpè annos tanquam in myſterio abſconditos tenuiſſe, commiſſa interim negocij cura Deo & tempori.

Gen. 32. 33. 5. Etiam Patres Veteris Teſtamenti, Moyſen, Dauidem, Abraham, Iſaac &c. (quemadmodũ & Apoſtolos) præmiſſo tanquam examine, & multorum annorum probatione, ita demũ effectum vocationis conſecutos.

Poſtremùm, ea omnia, quæ vel Chriſtus ipſe, vel exemplo Chriſti fecerunt alij,

alij, non inde & simpliciter, sed piè & prudenter interpretanda esse.

Atque hoc modo explicata sit Apostolorum vocatio: quodque promptè & obedienter Christum secuti sint.

CAPVT LXXXVII.

DE QVIETE ET QVIBVSdam qualitatibus seu formis Inspirationum.

QVietem illam sanctarum Inspirationum, quidq; eam præcedat, habet liber Iob, & explicat his verbis: *Porrò ad me dictum est verbũ absconditum, & quasi furtiuè accepit auris mea venas susurri eius. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pauor tenuit me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. Et cum spiritus me præsente trãsiret, inhorruerũt pili carnis meæ. Stetit quidam cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audiui.* Iob. 4.

Primùm hic repetenda sunt quæ suprà diximus.

2. Dicũtur ipsæ Dei Inspirationes *verbum absconditum*, non verba. est vtique spiritus ille simplex, & operatur in ho-

mine morigero simplicitatem, modestiam, & pacem: cõiungit & copulat hominem Deo, qui *via, veritas, et vita est.*
Ioan. 14. Est aqua: *qui biberit ex aqua*, inquit, *quam ego dabo ei. fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Est manna* (panis cœlestis) *quod nemo scit, nisi qui accipit*, *Verbum absconditum*, quod sentire
Ioan. 4. *August. in* quidem possit, eloqui verò nemo, vt supra, capite LXXI, à nobis demonstratum
Psal. 118. *da mihi intellectũ.* est. *Est verbum absconditum à prudentibus & sapientibus, reuelatum paruulis.*
Apoc. 2. *Absconditum* oculis veteris Adami nostri. ita Christus ad Petrum: *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus*
Gregor. lib. 5. moral. cap. 19. *qui in cœlis est.* & quia *absconditum.* nihil
Matth. 11. mirabimur si ab illis non intelligatur,
Luc. 10. quib. absconditũ est. si contemnant, per-
Matth. 16. sequantur & abijciant. Ad eũ modũ vult
Matth. 6. nos Christus dare eleemosynam, sed
1. Pet. 3. secretò, *vt nesciat sinistra, quid faciat*
Colos. 3. *dextera nostra.* & hic nouus homo Petro
lib de Monte. de timore 3. 4. & seq. partibus. *absconditus est cordis homo. & vita abscondita cum Christo in Deo.* Atque istius tanti silentij, mysterij, &c. quæ ratio sit, quàm necessaria, cum quanta salute nostra, ex ipsius Diui Pauli Apostoli sententia à nobis alibi declaratum est. *Verbum absconditum*, quia Dei verbum
com-

comparatur grano in agris abſcondito, de quo alibi: *Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, quæ ipſa mortificatio eſt ſecreta, & moritur in nobis verbum Dei, cum probamur tanquam aurum in fornace. moritur, cum perit memoria, intellectus verborum ſed exurgit (cum opus eſt) in nouitate vitæ & ſpiritus. *Verbum abſconditum*, quia *Spiritus vbi vult ſpirat & vocem eius audis ſed neſcis, vnde veniat aut quo vadat.*

Matth. 12.

De hoc in 11. rat. cap. Mont in 2. par. ex Auguſt. Ioan. 3.

3. *Quaſi furtiuè accepit auris mea, &c. Quaſi furtiuè, &c. nam quaſi ſubtilitatem locutionis intimè afflata mens & raptim & occultè cognoſcit: quæque cor ipſum diligit, apprehendit facilè & ne vel abutatur aut pereat, diligenter & ſtudioſè conſeruat. Is* (ſponſus) *qui in ſpiritu viſitat, clandeſtinus venit & furtiuus, vtpotè verecundus amator.* item *furtiuè & tranſeunte ſpiritu*: neque enim perpetuæ ſunt Inſpirationes, ſed habent interualla ſua: ſubinde, non prorſus ad guſtum hominis, quæ doctrina ſolatij plena eſt, ijs potiſſimum, qui per Dei gratiam aliquem vitæ ſtatū ſuſceperunt.

Gregor lib. 5 moral. cap. 20.

Bern. ſer. 57. in Cãt.

sed illam ductricem Dei manum, suauitatem, affectus non semper sentiunt. Ait Dominus ad Moysen: *Iam nunc veniam ad te in caligne nubis, vt audiat me populus loquentem ad te & credat tibi in perpetuum.* Neque conuenit, vt ijs qui ingenio vel bonitate naturæ præstant, eadem res sæpius inculcetur: satis est, si semel hoc fiat. *Verbum absconditum, tanquam à spiritu transeunte.* quia scilicet viri perfecti exemplo Diui Pauli, *quæ retrò sunt obliuiscētes, ad ea verò quæ sunt priora extendētes seipsos, ad destinatum persequuntur: ad brauium supernæ vocationis Dei.* dicentes cum Dauide: *nūc cœpi.* qui continuò accipiunt & bibunt ex illo fonte æterni luminis, in quibus crescit, augetur, innouatur quotidiè gratia Sancti Spiritus, & operatur.

Exod. 19. *Philip 3.* *Aug. in Psa. 118.*

4. *Stetit quidam, cuius non agnoscebam vultum.* Illæ Inspirationes purissimæ sunt, quado illa inspirat, ad illa Deus hominem monet, quorum nullam imaginationem antè habuit: cōtingit tamen & hoc vt illorum perfectum cognitionem demum consequatur homo ex diuino influxu, quæ apud se primitus cogitârat.

August. de Gen. ad lit. lib. 12. c. 6.

5. *Imago coram oculis meis, &c.* Solet etiam Deus homini proponere tanquam

quam exempla Sanctorum vitas, &c. cuiuscumq; illi status fuerint: quod etiamnum fit in Ecclesia per ministros, sacras lectiones, &c. quæ si vel in hunc vel in illum referantur, vel aptare quisquam velit, malè videlicet & præter ordinem hoc faciet: vti hic Eliphas properam interpretatus hanc similitudinem contra amicum Dei Iob. Vtique Sanctorum rebus gestis lætari, audire, affici iurè & meritò debemus: quæ tamen in simplici sensu statim accipienda, neque rebus ipsis imitanda sunt. Secundò Beati Bernardi sententia est. *Simillima sunt nostra cogitata mentis sermonibus veritatis in nobis loquentis, nec facilè quis cernit, quid intus pariat cor suum, quidúe audiat. Cum ergo mala in corde versamus, nostra cogitatio Dei sermo est, si bona, &c.* *Ber. ser 32. in cant.*

* *
*

CAPVT LXXXVIII.

QVOD SERMO DEI tacitus, gratia plenus sit & pace.

Dionys in Iob.4. PErgit ille: *Vocem quasi auræ lenis audiui.* Hoc est, suauissimus sermo illius fuit ad me, dulcis & gratiosus. Testatur Sacra Scriptura: *Ascenderunt Moyses Aaron, & septuaginta de Senioribus, & viderunt Deum Israël, & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cœlum cum serenum est.* alibi dici-
Exod 24. tur: *sibilus auræ tenuis. Vox Domini in-*
3 Reg 19. *star auræ tenuis* potest dici pax illa, cuius
Psal.84. mentio apud Dauidem: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam*
Bern. in *loquetur pacem in plebem suam. & su-*
cãt. ser, 57. *per sanctos suos, & in eos qui conuertun-*
Aug. tract *tur ad cor.* Ait Bernardus: *Sequitur vox*
67. in Ioan. *blande & leniter diuinam insinuans pie-*
& epi. 112. *tatem.* Et Augustinus: *Vtamur voce so-*
post init & *ni, cum veritatem nobis in intrinseco cor-*
Confess lib. *dis sine tumultu loquitur* Et alibi: *Quan-*
9. cap. 10. *tò simplicior spiritalis animæ motio est, eò*
Idem de *verborum minus, lumen verò & splendo-*
Musica. li. *rem in anima maximè requirit.* Et Diuus
6. cap. 12. Paulus testis est, *se raptum in tertium cælum,*

cœlum, & audiſſe arcana verba, quæ non 2. Cor. 12.
licet homini loqui. de quo ſup à aliquid ca. LXXI.
diximus. & illa ratio dari poteſt, quare *Auguſt. de*
hic Dei ſermo dicatur *verbum abſcondi-* *cathech.*
tum. *rudibus*

Non eſt ſermo Dei vniformis, varij *cap. 10.*
& infiniti modi ſunt, vt initiò docuimus: nos tamen eum duntaxat modum hîc expediemus, qui eſt à voce diuina. atque hoc modo prima Dei operatio in homine eſt, quos & pax, vt ille idem homo liber ſit, neque locum faciat extrarijs cogitationibus. alacris, viuidus, expeditis naturæ viribus, nulla in ipſis actionibus perturbatione immoderata ſcilicet vel inſigni: humilis, promptus ad omne Dei placitum: quo ipſo momento Dei ſpiritus penetrat in animæ interiora, vnitur & coniungit ſe cordi & animæ, coniunctione quadam ſuauiſſima & excellenti, nullo corporis detrimento, Pax Dei *quæ exuperat omnem* *Philip. vlt.*
ſenſum, cuſtodiat corpora & intelligentias eorum, ſenſus & affectiones, ne quoquomodo offendantur aut pereant figura: vidit Moyſes *quod rub. arderet, & non* *Exod. 3.*
combureretur: ſed ille Dei tactus, vt iã diximus, neq; diuturnus ſemper eſt, neq; perpetuus. eſſet inprimis ſuſpiciẽdum ſi

cui ad momentum vnum, tam excellens Dei gratia illuxisset: *Sed beati qui non viderunt & crediderunt.* Igitur vt illa tam rara sint, furtiua & momentanea, *reliquia* tamen *cogitationum diem festum agent.* satis est hoc homini, placet in eo sibi & acquiescit diuinæ voluntati libenter, vsq; dum plenè & perfectè videat in futuro sæculo: non ignarus quàm seuerè per Moysen prohibeat Deus, ne quis de populo montem contingat, & temeritatis suæ longè grauissimas pœnas incurrat. Res est extremi penè periculi ijs quib. cerebrum aut caput infirmius est, ne videlicet omnia pessum eant iustissimo Dei iudicio, quando non ea sorte, quam gratia Dei consecuti sunt, contenti gratias, laudes, & benedictiones in simplicitate animi referũt Domino. Habet tamen perturbatio cerebri, stultitia, furor, &c. suas causas varias & naturales, communes bonis cum improbis.

Ber. tract. de dilig. Deo. Aug. de lib. arb. lib. 3. cap. vlt. Ioan. 20. Psal. 75. Exod. 19. & 24.

Quod de quiete & pace diximus, nemo sibi blandiatur, neque suis vitijs excusationem quærat ab eo, quod locus, aut vitæ status pręsentis non placeat. Friuola sunt hæc, & proprio libro plenius explicata, quem de vita Actiua inscripsimus.

CAPVT LXXXIX.

QVID EAM SVAVISSIMAM Domini vocem præcedat, quid ferè sequatur

VIdeamus iam quid præcedat & porrò sequatur. ait igitur: *In horrore visionis nocturnæ quando solet sopor occupare homines, pauor tenuit me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt, &c.*

2. Diximus capite XXXIIII quid cõuersionem Sancti Pauli præcesserit, & raptum eius in paradisum, sed illius passio tandẽ superabundauit, & supra reliquos Apostolos indignissimè tractatus est. *Vide de Monte de timore par. 3.* *2 Cor. 11. 12. & cap. 20. huius lib. & 51.*

3. Sapientia Dei quib. se credat, quos inhabitet, ipsa referente discamus: *Timorem*, inquit, *& metum, & probationem inducet (sapientia) super illum, & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, & credat animæ illius. Et firmabit illum, & iter adducet directum ad illum, & lætificabit illum, & denudabit absconditą sua illi*, &c. Iterum: *Fili accedẽs ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationẽ. Deprime cor tuũ, & sustine: inclina aurẽ tuam, &* *Eccles 4.* *Eccles. 2.*

suscipe verba intellectus, & ne festines in tempore obductionis. Sustine sustentationes Dei, coniungere Deo, & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe; & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur argentum & aurum, homines verò receptibiles in
Isaia 66. *camino humiliationis, &c. Ad quem re-*
Psal 50. *spiciam*, inquit ille, *nisi ad pauperculum. & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Pulcherrima sunt hæc, pleni sunt libri Sacri, exempla ante oculos infinita sunt, quæ tanquam aliena præterimus, vel tanquam miracula obstupescimus, adeò cordi nobis non est salus nostra.

4. Inspice qui vixerit Moyses, Dauid, &c. videbis quot exagitati tumultibus & miserijs fuerint cõclusi; & quis non eorũ quib. se familiariorẽ Deus exhibuit? Vide etiam atq; etiam, si quid tandem iudicij & acuminis in te est, saltem aliquot ex ijs psalmis, qui in manibus sunt, illos pœnitentiæ, vt dicuntur, vel alios, quorum prim' quos gemitus, quę suspiria trahit, quantum ibi tremoris & horroris: sed in fine vertitur in lætitiã luctus, plena omnia solatij & fortitudinis. eadem ratio de

alijs

alijs psalmis. Legimus passim in vtriusque Testamenti historia, viros sanctissimos præ timore in terram corruisse ad sermonem Domini: In transfiguratione Christi qui aderant, ad vocem de nube dicentem: *Hic est filius meus dilectus, &c. audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè.* Diuus Ioannes in senectute accepturus à Domino, quæ in Apocalypsi perscripta sunt, *cum vidisset, cecidit ad pedes eius tanquam mortuus* Apostoli in die Pentecostes accepturi Spiritum Sanctum describuntur *pariter in eodem loco sedentes.* Sed considerationem nostram requirunt præcedentia, *metus Iudaorum, perseuerantia vnanimis in oratione, &c. factus est repentè de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes, &c.*

Daniel, 8. 10. Isai. 21. Ezech. 2.

Matth 17. Marc. 9.

Apoc. 1.

Actor. 2.

Vide lib. de Monte de timore filiali.

5. Helias antè afflatum & *sibilum aura tenuis quid egit?* Post excellens & Propheticum facinus cum insigni miraculo, pluuiam suis precibus cœlo deductam, minatur regina Iezabel Prophetæ mortem. *abijt igitur in desertum solus, proiecitque se subter vnam Iuniperum, petiuitque anima sua vt moreretur, & ait: Sufficit mihi*

Ber. in cāt. ser. 67.

Domine, tolle animam meam. Post, cum surrexisset, ambulauit quadraginta diebus & quadraginta noctib⁹ vsq; ad montem Dei Oreb. Cumq; venisset illuc, mansit in spelunca, & ecce sermo Domini ad eum: Egredere, & sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum, non in spiritu Dominus: & post spiritũ commotio, & non in commotione Dominus: & post commotionem ignis, non in igne Dominus: & post ignem sibilus auræ tenuis: cum hoc sibilo erat Dei spiritus. & describitur hoc loco Dominus tanquam pertransiens, vt suprà diximus. Sæpè habuit Dominus sermonem ad Heliam, sed nõ ad eum modum. ambulabat per dies quadraginta, totidem noctes: tandem venit ad montem. quæ narratio significationẽ habet, quod illæ actiones & vita quæ ad Dei honorem dirigitur, nequaquam impediat vnionem hominis cum Deo, quod latius libro de vita Actiua à nobis explicatum est. Tria illa quæ præcedunt, tres intelligimus animarum nostrarum hostes seu tentationes. Hoc est, tempestatem illam seu imbrem calamitatum, tentationum, probationum, quibus ferè exercetur homo ante illud lumen

Capite 87. *Cap. 18.* *Suprà de experient.*

men suauitatis & gratiæ diuinę, aut perfectæ sapientiæ. Christus ipse trinam à Satana tētationem perpetitur annunciaturus Euangelium toti creaturæ. atque his trib. omnia tentationū genera complectitur Diuus Ioannes: *Omne quod est in mundo, concupiscētia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* quibus aptabimus hoc modo hæc ipsa; spiritum subuertentem, &c. superbiæ: commotionem oculis: ignem carni assimilabimus. quæ tentationes præcedunt nonnunquam ipsissimas Dei Inspiratio nes, comitantur etiam, & sequūtur. Huc referri possent quæ traduntur à Doctoribus contēplatiuis de triplici genere tētationum. Nimirum quem diligit Deus & eligit, cui abundantiora suę gratię dona largiturus est, consueuit eum ipsum aquis tribulationum nō tantum abluere, sed lauare identidem, & abstersis vel minimis sordibus purissimum, & quasi in innocentiæ statu constituere. exempla sunt ad manum, Iosephi, Dauidis, Iob, &c. Atq; hactenus explicatum sit quid præcedat, quidq; sequatur ferè Dei Inspirationes *Post tempestatem trāquillum facis Domine* (ait Sacra) *& post lachrymationem & fletum exultationem infundis.*

Matth. 4. *Luc. 4.* *1. Ioan. 2.* *De Monte. ca 9. exemplo sancti Paulipar. 3. de timore. Ioan. Lansperg. in pharetra de triplici cruce, & de via Reg. Ioan. Herp. de trip. myrrha lib. 2. c 49. Ioan. Tauler. instit. ca. 12. Thob. 3.*

CAPVT XC.

NECESSARIVM EST, VT illa Inspirationes cum Sacra Scriptura & doctrina Patrum conueniant.

DOcuimus suprà, qui tam scripto Dei verbo, quàm intrinseco in malum sensum abutantur: iam verò videndum est, quo pacto occultæ Inspirationes cum expresso Dei verbo consentiant. Probatio manifesta est; si quis sanctitate, doctrina, flagrantia spiritus Paulo Apostolo possit adæquari, & idem ille talis ac tantus quicquam doceat quod cum Scripturæ vel sensu Ecclesiæ pugnet, reijciendus est. Ait enim: *Sed licet nos* (Apostoli aut ego Paulus) *aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præter quàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Si non Paulo, non Apostolis, nec Angelis credendum est aliud tradentibus, quàm traditum semel est, quid amplius? Iterum Diuus Petrus: *Non indoctos fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præscientiam, sed speculatores facti illius magnitudinis: Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam*

Gal. 1.

2. Pet. 1.

voce

voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes quasi lucerna lucēti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris, &c. Rectè Sacrosanctas Scripturas lucernam scribit lucentem dū in huius mundi caligine oberramus. neque exigit à suis Apostolus, vt sibi fides adhibeatur, quod viderit & audierit tam magnifica: quòd quia verissimū erat, iure meritò fecisse poterat: longè alia ratione pro humanitate & spientia sua putauit sibi tractandos homines, quos remittit ad expressa testimonia in Sacrosanctis Scripturis, vltrò prædicans, quod ijs firmissimè insisterent. *Habemus*, inquit, *firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, &c.* Atque hinc fundamentum huius doctrinæ constituemus: Siquidem dubium esse non possit, quin illæ ipse reuelationes, motus, inspirationes, &c. quas vidimus, à Deo sint, vt rem omnibus modis gratissimā Deo facturi videamur si manum admoueamus, inconsultè tamen (aucto-

August. epist. 121. cap. 8.

Actor. 17.

Vincent. de vita spirit c.11.12. (auctore Vincentio) solis visionibus nitemur, & omnimodam fidem accommodabimus: probatio nimirum & firmamenta petenda erunt ex regula Catholicæ fidei, Sacrosanctæ Scripturæ sensu, Doctorum consensu. ex illa virtutum cathena humilitatis, modestiæ, morum. *August. de vnit. Eccles. cap.16.*

CAPVT XCI.

DOMINVS NOSTER IESVS Christus ipse Sacrosanctis Scripturis vsus est.

QVid tandē Apostolos & Angelos reijcimus, si aliud *euangelizent*, quàm Scriptura semel tradita habet: Christus Deus & homo, qui extra & supra omnē numerū est, remittit nos ad opera sua & ipsas Scripturas: *Si*, inquit, *opera non fecissem in eis, qua nemo alius fecit, peccatū non haberent: nunc autem & viderunt & oderunt & me & patrem meum.* Iterum: *Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim qua dedit mihi pater vt perficiam ea: ipsa opera qua ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis*

Ioan. 15. *Ioan. 5.*

putatis in ipsis vitam aeternam habere, & illa sunt qua testimoniũ perhibent de me, &c. Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit. Vide vt ad Scripturas remittit: in quibus vtiq; vita æterna est, si quis debito modo quęrat. Iterum, ad duos discipulos qui ibant in Emaus: *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, qua locuti sunt Propheta. nonne hac oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, &c.* Hoc est: Ego nequaquam requiro vt simpliciter & absolutè mihi credatis (quod vtique possem) habetis dictorum meorum rationes, facta miracula, & genuinum Scripturæ intellectum. Alibi castigat discipulos suos Christus, & exprobrat illis incredulitatem, quod *tardi ad credendum,* non Christo, *sed in omnibus qua locuti sunt Propheta, &c.* Ea fuit incredibilis Christi humanitas. Post, cũ ianuis clausis ad Apostolos introiret, *dixit ad eos: Necesse est impleri omnia, qua scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christũ pati, &c.* Huc huc vos, qui-

Luc. vlt.

August. pulchrè de vnit. Eccl. c. 16.

bus

bus volupe est in Apostolis viris grauis-
simis cauillari, tanquam leuiter illi & fa-
cilè Christo crediderint Christus tot mi-
raculis, concionibus, tanto tempore, no-
ctes & dies, &c. illorum animos dum
in viuis esset, impleuerat, adest post re-
surrectionem, firmat præterita, & ne
quicquam ad efficaciam probationum
deesset, cumulat miracula, rationes, Scri-
pturas ex lege, Prophetis, Psalmis, vn-
dique scilicet conquisitas; aperit in dex-
tera virtutis suæ oculos eorum *palpa-
te*, inquit, *& videte, & manduca-
uit, &c.* Quid suprà cogitari aut requi-
ri à quoquam potest? quo tam saluta-
ri exemplo quasi regulam præscribit
omnibus, qui ingenio, prudentia, &
rerum vsu valent, qui in auctoritate
constituti sunt, vt subiectis cum om-
ni mansuetudine imperent; nihil sibi
ad summam humilitatem, patientiam
& officiorum omnia genera reliquum
faciant, vt filios, discipulos, subditos
suos eò perducant, quò destinarunt:
vbique seduli monitores pari diligen-
tia & argumentis, ne non tanquam ho-
mines ratione duci, sed trahi videantur.
Qui modus in omni actione seruandus
est: inde profectus, pax, rerum cognitio,
firmitudo sensim in animos illabitur, &
durat

durat in posteros propter fundamenti nobilitatem. atque hæc viris expertis & intelligentibus dicta sunt, quando tales etiam illi sunt, quos docere quibusque prodesse cupiunt. vt latius in Monte capite 10.

CAPVT XCII.

HABET TESTIMONIVM Abrahæ de Scripturis, &c.

DIsputat cum Abrahamo apud Euangelistam diues Epulo, requirit visiones, apparitiones, &c. ille constans nititur auctoritate Sacrarū literarum. *Si Moysen*, inquit, *& Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*. Hoc est, vt maximè exuscitetur à mortuis Lazarus, & annunciet fratribus tuis tormenta, quæ pateris, quanta in futuro pœna maneat peccatores, &c. nihil eorum credituri sunt, quia fidem non habent ijs ipsis quæ certiora & firmiora sunt, Sacris literis, quas à Deo per Moysen & Prophetas accepimus. *Luc. 16.*

CA-

CAPVT XCIII.

HABET TESTIMONIVM ET verba Sancti Pauli ad Timotheum Episcopum.

2. Tim. 3. PAulus Apostolus traditurus Timotheo dilectissimo discipulo, quid sequi in omnibus, quo referre sua debeat, ita inquit: *Tu permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris, & quia ab infantia Sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem; quæ est in Christo Iesu. Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum, ad corripiendum in iustitia; vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Quæ vti reconditæ eruditionis plena, accuratius consideranda sunt.

1. Id quod iam diximus, vt maneat in accepta & tradita semel doctrina, tribus potissimũ de causis, quia plenè perceperat quicquid eò spectabat. & solent viri graues in eo consistere, cuius perfectam scientiam semel consecuti sunt.

2. Quod sciret à quo eas didicisset: non circumforaneis nec ineptis magistellis, neque feruidis & rerum imperitis aures dederat: Paulo præceptore gloriari

tiari poterat, cui ad perfectæ scientiæ plenitudinem nihil vnquam defuisset.

3. Quod ab infantia didicisset Sacras literas. ita curauerat sedula & pia mater Timothei. Vult igitur in Sanctis literis fundamentum & finem doctrinæ suæ ponere illum Paulus. possumus Apostoli sententiam explicare ad hunc modum: Timothee, nolo tibi excidat qui sis, nequaquam in puerorum sorte computandus es, neq; in populi censu, doctrina & ingenio preter cęteros vales: quamobrem nihil laboro, vt vir tanti iudicij stupido quodam sensu mihi adhæreas, & credas: sit aliqua mei habenda ratio, qui certè à primis vitæ annis in lege eruditus sim, magno miraculo conuersus, raptus in tertium cœlum, maximorum operum patrator, omnia in Deum referens, ab Ecclesia & Christo missus, certa scilicet & euidenti vocatione probatus, & ab ipso Domino in Apostolum electus adhęc propriè magister, & tanquam princeps tibi datus, de cuius vita & moribus quod queri possis, nihil habeas, &c. vide tamen vt hæc non vrgeam, nec eo nomine fidē haberi sermonibus meis velim: ad Scripturas te mitto, quibus nō leues horas, sed potissimam vitæ partem dedisti, cum ætate crescens in timore Dei *Actor. 22. & 9. 2. Cor. 11. 12. Galat. 2.*

re Dei & doctrina, &c. Poterat Diuus Paulus & Apostoli simpliciter exegisse obedientiam, &c. sed quia exemplum pertinebat ad posteros, vtque discrimen facerent eorum, qui reuelationes suas insulsissimè & arrogantissimè, iactabant, putarunt sibi hac auctoritate non vtendum, nisi necessitas & vsus postularet. 2.Cor.11. adeò nihil horum requirebat Timothei humanitas, cui nutus sui Doctoris & Apostoli vti & alijs Apostolorum discipulis, ad omnia sufficiebat.

CAPVT XCIIII.

QVOD CVIVSVIS NON SIT *Scripturas intelligere, quidq; ad rem tantam requiratur.*

VTilitas Scripturæ manifesta est. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, &c. vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Nimirũ si qua perfectio, si quod opus bonum, si quid aliud quæratur, è Scripturis peti potest, tanquam perhenni fonte bonorum omnium. Quæ si ita sunt, videbimur tentare Deum, si nouis reuelationibus, visis apparitionibus innitamur sed cuius res ita ferunt, cuius ea gratia & Rom. 7. vocatio est, accedat cum timore, & tremore ad Scripturarum lectionem. qui

aliter

aliter accedere ad hunc montem tentet, nulla volũtatis diuinę & vocationis sueratione habita, iusto Dei iudicio mortem citius quàm speratam sibi vitã conciliet. Cuius rei elegans est & expressa in lege figura. *Solue*, ait Dominus, *ad Moysen calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Pelle procul abs te omnes imagines, quæ animum tuum detinent, quicquid vitij in voluntate, affectibus, concupiscentia est longè sit à te. Iterum: *Vade* (tu Moyses) *ad populũ & sanctifica illos hodiè & cras, lauentq́ vestimenta sua, &c.* Vt capaces fiant & digni, qui sermonẽ Dei audiant. Cuius tantæ reuerentiæ & præparationis latior explicatio requirebatur; sed nobis properandum est. *Exod. 3.* *Exod. 19. 20.*

Etiam hoc notandum, solum Moysen in summa montis ascendisse, & cum Deo sermonem miscuisse. Christus aliquos Apostolorũ *seorsum duxit in montem, neq́ omnes assumit secum.* Et post resurrectionem non toti populo apparuit, *sed testibus praordinatis à Deo.* Et Apostolis dicitur: *Vobis datum est noscere mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum.* Etiamnum pauci sunt non de vulgi fece, sed ex eorum etiam numero, qui haberi & dici volunt spiritales, qui ad *Exod. 24. Matth. 17. 26. Marc. 4. Luc. 8. August. contr. epist. fund. Manich. cap. 4 & de Spir. & lit.*

veram sapientiam, Dei & diuinæ voluntatis cognitionem pertingant: cuius ratio præter cæteras (docet hoc Christus, & post eum Doctores & Patres nostri) quia indigni. quod hoc loco explicare, integrum non est: notabimus hæc: Apostolorum oculi debuerunt aperiri (qui Christum Dei filium tanto tempore viderant, tam multa, præclara, magna, vt nihil suprà possit) & descendere tota plenitudine in illos Sanctus Spiritus in die Pentecostes, debuit Paulus in terrā deijci, & supra cœlos sustolli ad veram Scripturarū intelligentiam comparandam: quot præsidijs nobis opus est, nobis dico, vt eas Sacrosanctas literas rectè intelligamus, atque alijs itidem interpretemur, eosque doceamus?

cap. 36. & ser. 43. de tempore. Orig. lib. 9. epist. ad Rom. in illud: Renouam. spir.

D. Hieron. præfat. in Abdiam Proph.

Ait Apostolus: *à quo didiceris.* quo significat vir humanissimus eum à Deo in scientijs constitutū ordinem, quemadmodum & in alijs artibus, vt nec ipse Timotheus (ab infantia in Sacris literis eruditus) neque alius operæprecium facturus sit sine doctore, & illius caliginosi itineris quasi commonstratore, vt crescat in nobis humilitas & amor, operam nostram alijs præstemus, & in vicem accipiamus. sunt etiam aliæ rationes.

D. August. præfat. libri de doct. Christ.

D. Hieron. epist. ad Paulinum.

Rectè intellexit hoc Eunuchus ille, qui

erat

erat super gazas reginæ Æthiopum, *qui* *Actor. 8.*
sedebat super currum suum, legens Esaiam
Prophetam. Dixit autem Spiritus Philip- *Genes. 21.*
po: Accede & adiunge te ad currũ illum. *& 18.*
Accurrens autem Philippus audiuit eum *Exod. 18.*
legentẽ Esaiam Prophetam, & dixit Pu *1. Reg. 4.*
tasne intelligis quæ legis? Qui ait: & quo- *23.*
modo possum, si non aliquis ostenderit mi- *2. Reg. 12.*
hi? Facilè erat Deo, administro Angelo *24.*
aut alio quouis, in Eunuchum influere, *Actor. 10.*
& Philippo parcere, sed quis est, qui sapientiæ diuinæ præscribat? plena istiusmodi exemplis sunt Sacra Byblia. Pulchrè in hanc sentẽtiam Paulus: *Quomodo* *Rom. 10.*
inuocabunt, in quẽ non crediderunt? quomodo credent ei quem nõ audierunt? quomodo audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt nisi mittãtur? Et Christus: *Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt*
mittat operarios in messem suam. Opera- *Matth. 9.*
rij pauci, intellige paucos esse quales su- *Luc. 10.*
pra descripsimus fideles & prudentes consiliarios, cum ita multi se venditent. *Rogate Dominum:* est scilicet hoc Dei donum. ille mittit pro iudicij sui æquitate cũ opus est, sed tamen illa ipsa missio vt matura sit, prorsus orãdus est, & meritis nostris hoc tribuere vult, quemadmodũ suprà dictum est titulo de Consiliarijs.

Jgitur Christus ipse & Apostoli (cum minimè videretur opus) doctrinæ suæ fundamentum posuerunt in Sacrosancta Scriptura. inde augmenta faciendæ fidei desumpserunt.

Patet secundò neq; parui negocij esse studium Scripturarum, & apud paucos reperiri perfectam earũ intelligentiam.

CAPVT XCV.

HABET TESTIMONIA PAtrum in eandem sententiam.

HActenus Sacrosanctarũ Scripturarum testimonia produximus, iam ad Ecclesiæ Doctores veniemus, eadem opera demonstraturi, nemini prorsus credendũ, quouis tandem ingenij vel doctrinæ nomine celeberrimo, si non illa omnia quæ tradit cum vero Scripturarum sensu & Ecclesiæ Catholicæ doctrina conueniant: vt ab omni ratione alienum sit, quorumuis reuelationibus, visis, &c. animum præbere, nisi constet ab acceptæ & vsitatæ fidei norma nihil discrepare. quod iudicium an scilicet discrepet vel conueniat ab homine vno expectandum non est, quemadmodum nec Scripturarum genuinus intel-

Actor. 15.

intellectus, sed ab ipsa Ecclesia Catholica: vel Concilijs generalibus; aut ab ijs tandem quibus hoc Dei gratia, vocatione Ecclesiæ, decretis commissum est. *August. contra Donatist c 5.*

Primùm se nobis offert Clemens Alexandrinus, qui vixit circa annum CXXC. *Doctum & perfectum virum illum esse censeo, qui Scripturis ipsis insenuit, qui sequitur & accommodat sese iustitiæ & virtutibus Apostolorum, & doctrinæ Ecclesiasticæ consentaneum se facit. Huius vita verè Euangelica est, in huius verba & mores si animaduertas, videbis tanquam riuulos ex fonte deductos institutionum & doctrinæ Iesu Christi.* Hoc est: vir perfectus non nititur Inspirationibus, reuelationibus, non opinionum vel ingeniorum magnitudine ducitur, nisi idem sonent, quod Scripturis & Ecclesia tradente accepimus. *Clemens Alexand. sub finem lib. 7. Strom.*

Diuus Augustinus explicitis aliquot benè viuendi modis, paucis aperturus, quid sequantur Noui Testamenti, quasi diuino lucis radio illuminati, scribit: *Sermonem hunc nostrum mandatum literis, si qui legunt, sciant multò infirmioribus hæc esse scripta, quàm sint illi, qui vnius summi Dei consubstantialem & incommutabilem Trinitatem, duorum Testa-* *August. lib. 6. de Musica cap. vlt. Orig. lib. 9. epist ad Rom super illud: Renouam. spir.*

Testamentorum auctoritatem secuti venerantur, & colunt. Hi enim non scintillantibus humanis ratiocinationibus, sed validissimo & flagrantissimo charitatis igne purgantur. Cui rationi nihil incommodat, quod videantur aliquando, viri perfecti extitisse, quibus peritia Scripturarum, &c. defuit.

Declaravimus suprà ex August. de doctr. Chrysost. lib. 1. c. vlt

Iterum: *Ego solis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam: alios autē ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideò verum putem, quia ita ipsi senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione quòd à verò non abhorreat, probare potuerunt.* Hoc est: Scripturæ fides ex se est. certi enim sumus eam à Deo venisse: aliorum scripta, reuelationes, opiniones, &c. sanctissimorum & doctissimorum hominum non eam auctoritatem apud nos habent, quia nescimus an à Deo sint: sed eatenus probantur, quatenus hoc docent, quod Scripturæ, quod Ecclesiæ, quod rectæ rationi consentaneum est. Ideoque nec Augustinus, neque Doctorum quisquam supra hominem quicquam sibi tribui postulat, neque fidem

August. epist. 19. & cap. 1. per totum. August. de ord. lib. 2. cap. 9. & 10. & de vera relig. cap. 10. & epist. 112. Item de Trinit. lib. 1. cap. 3 & de Baptismo contra Donatist. lib. 2. c. 5.

suis

suis verbis, nisi fundamentum & probatio sit in Scripturis, &c.

CAPVT XCVI.

DE FALLACIBVS VIsionibus.

AIt Augustinus. *De visis autem fallacibus legant quæ scripta sunt: quia ipse Satanas transfigurat se tanquam Angelum lucis. audiant etiam quid enarrent pagani de templis & dijs suis mirabiliter vel facta vel visa, & tamen: dij gentium dæmonia, Dominus autē cœlos fecit. Exaudiuntur ergò multi & multis modis, non solū Christiani Catholici, sed & Pagani, & Iudæi, & Hæretici. Exaudiūtur autē vel à spiritibus seductoribus, qui tamē nihil faciūnt, nisi permittantur. Deò sublimiter atq; ineffabiliter iudicante, quid cuiq; tribuendū sit: sine ab ipso Deo, vel ad pœnam malitiæ, vel ad solatium miseriæ, vel ad monitionē quærendæ salutis æternæ, &c. Ipse Dominus Iesus cū resurrexisset à mortuis, & discipulorū oculis videndū manibusq; tangendū corpus suum offerret, ne quid tamen fallaciæ se pati arbitrarētur, magis eos testimonijs legis, & Prophetarū & Psalmorum confirmandos esse iudicauit, ostendens ea de se impleta quæ fuerant tantò ante prædicta.*

August. de vnitat. Eccles. cap. 16. post medium.
2. Cor. 11.
Psal. 95.

Quid requirimus? si nō visui, tactui, non sensibus credendū est, nisi idem sentiant cū Scriptura? Idem. *Possumus illi (Deo) credere tantūmodo dicenti: noluit sibi credi dicēti, sed voluit teneri Scripturā suam Sanctam.* Est scilicet eadē Augustini sententia cum illa, quam suprà expressimus: nec Christum, neque Apostolos auctoritate sua ad faciendam sibi fidem vsos: verbis & doctrinæ suæ auctoritatem parârunt, rationes, vita, miracula, Scripturæ: quibus inducti vltrò & libenter crederent discipuli: quod sentiens prudens & sancta Christi Ecclesia, Apostolorum & Euangelistarum scripta Sacræ Scripturæ coniunxit, & eadem auctoritate, qua cæteras, populo legendas exhibuit. Vide etiam atque etiam studium, curam, & sanctam illam sollicitudinem summi & benignissimi Dei, quàm ille euigilet ad salutem nostram, ne quoquo modo *circumferamur omni vento doctrinæ*; nulli prorsus extra Scripturas & Ecclesiæ Catholicæ receptam auctoritatē adhæreamus. Quis ita demens vel arrogans, qui sibi tribui quicquam postulet, quod nec Apostoli nō Christus ipse à suis suo tempore postulârit? Sequuntur Discipuli Magistrum, & in illis idem modestiæ & discretionis spiritus est ad Scripturæ normam,

Psal. 144. Super illud: fidelis Dominus.

August de unit. Eccles. cap. 16. & con. epist. fund. Manich. c. 4. 5. Idem de consens. Euang. lib. 1. cap. 1.

mam, &c. exigi ſcripta ſua cupiunt. Igitur ſi quis ſit (non hîc de populo vulgares illos & ferè fanaticos denotamus, nô apoſtatas fidei vel ordinis, & id genus quiſquilias) tantæ ſuperbiæ, cætera eximius & pietatis fama commendabilis, qui ſuis dictis aſſenſum præberi velit, propter magnitudinem reuelationum, viſionum, &c. quas prædicat? non quia de Scripturis loquitur, & cum Scripturis & Eccleſia ſentit, &c. abijciendus ille & de ſuperbia condemnandus eſt.

CAPVT XCVII.

DE ILLIS, QVI FACILE aut difficulter credunt. Vbi quærenda ſit Dei voluntas.

SEd prô dolor hoc Satanæ artificium eſt, citius damus ijs fidem, qui mali quàm qui boni ſunt. Illis vltrò accurritur, qui non Chriſti nomine, ſed in ſuo veniunt, dicentes: Ego ſum Chriſtus. Odit Satanas lucem, dum occultæ ſunt fraudes, & tenentur præſtigijs oculi. laborat, vrget, inſtat vt fidem habeant ſtatim compulſi auditores vel decepti: Spiritus Sanctus in ſole lucet, vocat in meridie, nihil temerè,

Ioan. 5. Hieron. & omnes Doctores in Iud. 2. Cor. 11. Satanas transfigurat ſe, &c.

nihil præcipitari vult, vult vocari in partes rationem, & audiri consilia sapientum, pernouit vires suas. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui*, inquit, *bibunt me, adhuc sitient.* Hoc est: eò magis placebit, & firmius in animo fundamentum ædificabit sibi sermo diuinus, si relicto cõsilio, rationibus, Scripturis tractetur, colatur, examinetur. Neque officit quicquã, si quis ad exempla prouocet, quod in Actis tria millia ad fidẽ vno die venerint, quod Eunuchus ille, Cornelius Centurio, & Apostolus Paulus subitò videantur credidisse. Neque enim quæ per miracula & præter rerum ordinem fiunt, vt illi loquuntur, trahenda sunt in consequentiam: sed tamen hîc non stabimus: exigat apud se quisque rei circumstantias, præcedentia, coniuncta, &c. quorũ omnium demonstratio erat in Scripturis, poterit dicere nihil illos inconsulta ratione fecisse: adeò ipsis sensibus persuaderi potuit fides in Christum tot seculis decantatum, promissum, expectatum. Quamobrem frustra comparabimus, si quis iam existat, qui nullo certo consilio subito aliquo motu, quem sibijpsi forsan effinxit, Voto aut alijs grauissimis negocijs se implicet, quod neq; rectæ rationi consentaneum, & à Scripturis & Sanctis-

Eccles. 24.

Actor. 2. 8.

Sanctissimorum Patrum sententia alienissimum est. Diuus Augustinus cum statuisset qui libri in Canone Scripturarum censendi essent, ita subijcit. *In his omnib⁹ libris timens Deum, & pietate mansueti quærunt voluntatem Dei.* Ecce tibi quo loco voluntatem Dei requirat optimus quisque. Item *Quoniam non omnia nouimus, quæ de nobis benè agit ordo diuinus, in sola bona voluntate secundum rem agimus, in cæteris autem secundum legem: cum lex ipsa incommutabilis maneat, & omnia mutabilia pulcherrima ratione moderetur. Gloria igitur in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

De doctr. Christ. lib. 2. c. 9.

Aug. lib. 83. quæst. 83. qu. 27. in fine.

CAPVT XCVIII.

QVOMODO TRACTANDI sint illi, qui à Deo mouentur per somnia, terrores, miracula.

Ait Diuus Augustinus: *Quod si quis fortè diuinitus se admonitum vel territum esse responderit vt fieret Christianus, latissimum nobis exordiendi aditū præbet, quanta Deo sit curæ pro nobis. Sanè ab huiusmodi miraculorū siue somniorum ad Scripturarum solidiorem viam & oracula certiora transferenda est eius intentio, vt & illa admonitio quàm misericorditer ei prærogata sit,*

August. de catech. rudibus. c. 6.

nouerit, ante quàm Scripturis Sanctis inhæreret. & vtiq; demonstrandum est ei quod ipse Dominus non eum talibus signis aut reuelationibus erudiret, nisi iam præparatum iter in Scripturis Sanctis, vbi inuisibilia sperare consuesceret, eum securius & tutius carpere voluisset. Significans si quis relicta gentilitate Christianæ fidei nomen dare cupiat (quæ causa necessitate & pondere similem nō habet) illi fundamentum suæ conuersionis in veritate Scripturarum ponendum esse: neque perinde fidendum reuelationibus, &c. quæ scilicet suscipiendæ sunt, quatenus cum Sacra Scriptura concinunt. Dicemus cum Samaritanis ad mulierem, &c.

Ioan. 4. *Quia iam nō propter loquelam tuam credimus: ipsi enim audiuimus & scimus, quia hic est verè Saluator mundi.* In muliere hac Samaritide accipiemus illos qui credunt, quoniam signa vident & miracula vti hæc mulier, & Samaritani primitus per hanc ad fidem inducti. Samaritanos autem, qui iam non ex sermone mulieris, sed quia ipsi Christo adfuerant, interpretabimus viros, qui Scripturis credunt, & Ecclesiæ: signis, apparitionibus, &c. non nituntur. In Scripturis *vita aterna habetur*, & Christus *est caput Ecclesiæ, quæ est corpus suum*. Breuiter: Inspira-

Ioan. 5. *Ephes. 1.* *Coloss. 1.* *1. Ioan. 4.*

ſpirationes, reuelationes, &c. nequaquã contemnendæ, ſed probandæ *vtrum ex Deo ſint:* & ſi bonæ ſint & videntur, obediendum erit: non quod ita viſum nobis ſit, aut quod eiuſmodi motus ſenſerimus, ſed quia calcar addunt nobis, quia mouent nos, & Sacræ Scripturæ ſenſum, &c. adaperiunt. Vox Domini quotidie reſonat in Eccleſiæ ciuitate, & in Scripturis Sacris, vt teſtis eſt Beatus Hieronymus. *In cap. 6. Michea.*

CAPVT XCIX.

QVOD HOC PROPRIVM SIT miniſtrorum Dei, eorum veritatem requirere ex ſententia Sacrarum literarum, quæ per reuelationes diuinas cognouerunt.

EXplicabimus hæc de ſententia Sancti Gregorij: *Electus ordo prædicatorum Sanctæ Eccleſiæ hoc quod Deo reuelante cognouerat quale eſſet, in ſacro eloquio perquirebat. quia diuina conſilia ibi per venerabiles Patres noſtros expoſita ſunt, qui Spiritũ Sanctum habuerunt, &c.* Item: *Ordo prædicatorum in omni, quod ſpiritali reuelatione didicit patrum veterum dicta conſuluit, vt tunc demum à Domino ſibi fuiſſe reuelatum crederet, cum ab eo quod in Sacra Scriptura legebat,* *Greg. lib. 3. expoſ. in 1. Reg. c. 3.* *Nota.*

bat, nequaquam differre cognouisset. Nam facilè fallitur, qui hoc, quod occulta contemplatione colligit, in præclara Sanctæ Scripturæ veritate nescit discutere quale
2. Cor. 11. *sit. Vnde & Apostolus denunciat, dicens: Transfigurat se Satanas in Angelum lucis. Ad Heli ergo currit Samuel, quoties à Domino vocatur: quia sancti prædicatores ne falsa lucis imagine in intima contemplatione fallantur, modum occultæ reuelationis in aperta Sancta Scripturæ veritate discutiunt. Præclara nimirum & manifestissima sunt hæc.* Et si ea perpetua regula est legitimorum Ecclesiæ ministrorum, qui merito eruditionis & eximiæ in Deum pietatis ad hoc tantum munus doctrinę & interpretationis Scripturarũ à Deo & Ecclesia vocati & constituti sunt, nunquid hoc ipsum multo maiore ratione ab alijs exquiremus, ne videlicet illi sensibus, sæpè somnijs & opinionibus suis credant vel innitantur?

Atque hoc modo demonstratum sit ipsas Inspirationes, reuelationes, doctrinam, &c. ad iudicium Ecclesiæ & Sacrarũ Scripturarum exigi, ab ijsque interpretationem accipere debere.

* * *

CAPVT C.

QVOD DE QVATVOR PRImis conditionibus bonarum Inspirationum.

ACcingemur porrò ad conditionū quarundam explicationem, quibus discerni possint diuinæ & salutares Inspirationes, & discriminari ab ijs, quæ à pare diabolo sunt. Ait Apostolus *Quæ de sursum est sapiētia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione. De pudicitia.* Et quibus ea modis perficiatur vel inquinetur est à nobis dictum suprà, & non repetimus: sciendum tamen hoc oportere sanè intelligi, adhibitis semper rationum momentis, opinionibus, vel intentione, vt vocant pro vitę statu, loco, tempore, personarum, occasionum, &c. circumstantijs. Fit enim si hæc absint; vitium: si adsint, summæ virtutis nomine censeatur; & pro varietate circumstantiarū res ipsa varietur. quod quia manifestum est, latiore explicatione non habet opus.

Iacob. 3. *Sap. 7.8.* *Cap. 57.* *D. Ambr. lib. 6. ep. 1.*

2. Cōditio. *Pax,* quæ sit discors concordia, & contrà, suprà dictum est. Explicui-

plicuimus etiam quo sensu à Domino dictum sit: *Si quis nō oderit patrem, &c.* Item: *Non veni mittere pacem, &c.* Scribit August. *In omni vita, loco, tempore amicos aut habeant, aut habere instiét. Obsequantur dignis etiam nō hoc expectantibus.* Possent multa afferri in huius pacis explicationē ex vtroque, maximè nouo Testamento Annunciat Angelus de cœlo *pacem hominibus bona voluntatis, pacem* in ordine ad Deū, ad proximum alitur, seruatur, acquiritur pax illa modis ferè infinitis, benefactis, castigationibus, verbis ad omnem suauitatem aut reuerentiā compositis; si consilia misceamus, si vltrò deferamus, & obsequamur, aut subtrahamus cum visum erit, dissimulemus, patiamur, & silentio tegamus, &c. Prorsus ratio horum iniri nō potest. sed posita in conspectu, ad eam perpetuam pacis regulam collimemus, solliciti, ne quid temerè cōmittamus: potissimum vt ne ad reprehensionem proni & faciles simus. Rarò ad acerbiorem castigationem veniendum erit, vnusquisq; salutem nostram & proximorum nostrorum cum timore & tremore operemur: sin autem; illa inscitia nostra, stupor, imprudentia, magnas turbas, mala, miserias dabit.

capitibus 7.54.73.& 75. *Aug. de ordine lib. 2. cap. 8,* *Ioan. 14.* *Rom. 5. 12.* *2. Cor. 13.* *Hebr. 12.* *Luc. 2.* *Aug. lib 2. de ser. dom. in Monte* *Chrysost. hom. vlt. in 1. Cor. 1.* *Greg. Nazianz. orat. 22. sub finem. Ber. serm. 2. de pascate.*

3. *Modestia.* Facit hæc hominem modestum, vt modo & ratione vtatur, ordinem & compositionem quærat, non in anima duntaxat, publicè etiam & in oculis omnium. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus* in sermone, in silentio: siue agamus, siue patiamur, in vultu, incessu, sensibus, cultu corporis, suppellectile, &c. ne modo nec mensura peccemus, non voce, nec gestibus excedamus; non nimium graues, vel liberi, non dissoluti, leues, nec morosi; vbique medium feriamus, eundem modum adhibeamus ad virtutum studia, & vitiorum fugam. Tractamus hæc passim libro de Mõte & priorib. aliquot capitibus de feruore. Sequitur hanc, præcedit, & comitatur libenter *Verecundia*: quæ conciliat nos Deo & hominibus, facit nos humiles, prouidos, perspicaces, humanos, procul omni audacia & inconsulto illo feruore. Placuit & placauit DEVM ille rubor Publicani, non audentis attollere oculos in cœlum: restituit Prodigum qui perierat, filium Patri; qui conscius flagitiorum suorum indignum se reputabat filij cõditione: aperuit Latroni paradisum, qui cætera premens pudore: *Domine*, inquit, *memento mei dum veneris in regnum tuum.* hinc

Philip. 4. & ibi Dionysius.
1. Tim. 2.
1. Cor. 14.
1. Pet. 3.
Luc. 18.
Luc 15.
Luc. 23.

Luc. 7. hinc salus Centurioni: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Negat Ioannes Baptista Christo baptisma, sed Matth. 3. pudore; & placuit. Afficit illa, & constituit hominem in eo statu, vt neglectis Philip. 2. 4. omnib. ad solius Dei honorem sua omnia dirigat, potius alienæ voluntatis arbitrio se subijciat, quam suam sequatur, ne tamen præter ordinem humanitatis & naturæ leges æquissimas quicquam faciamus. Illa demum perfecta *Verecundia* est, cum discretio & diuinus ille modus vbique adhibetur, non declinando neque ad dexteram, neque ad sinistram. 1 Cor. 10. Non requirunt hæc operam nostram, a- Prouerb. 4. perta, plana sunt ex Scripturis & ratio- Eccles. 7. num serie & efficacia, quibus nihil addi Amb. offic. possit à nobis, neque explicari pari digni- lib. 1. ca 19. tate.

4. *Consultè.* Solet pro sua gratia Sanctus Spiritus eò nos ducere, vt aliorum consilia potius quàm nostra sequamur. Aug præfat. lib. de doctr. Christ. Habuit hoc Deus in more, vt quisque sanctitate, gratia, ingenio præter cæteros excelluit, quos tanquam filios sibi dilectissimos complectebatur, ita subinde ad De Consiliariis. alios remittit, aliorum operam vult requirere: neque hoc sine grauissimis causis, quas suprà latè deduximus.

CA-

CAPVT CI.

HABET CONDITIONES quinque reliquas.

5. *Consensus bonorũ*, quoniam scilicet viri boni communicant sibi mutuò, & aliorum merita accrescunt alijs, vt capite septimo diximus, & alibi, aut, vt sint anima & cor vnum. Prædicatur eo nomine illa Apostolica communitas, quæ tum primum conuenerat in Actis. Hortatur ad hunc consensum, nos monet, inculcat Christus & Apostoli, vt mitemur. *Actor. 4. Matth 12. 1. Cor 1. 2. Cor. 13. Philip. 4. Ioan. 13.*

6. *Misericordiæ fructus*. & opera non animo duntaxat, sed vt re ipsa abundemus in omne opus bonũ, prompta semper & ingenua voluntate, quando facto non licet egimus super hoc separato libello de Operibus misericordiæ, & suprà capitibus XVIII. & CVI.

7. *Sine iudicio* in eos, quorum curam nullam habent: & si res ipsa cum expresso Dei mandato non pugnet. Est arrogantis aut feri hominis ea reprehēdere, quæ ἀδιάφορα & in cuiusque manu sunt: neque hominum quisquam est, cuius iudicium in ea sit: vt si malè accipiantur,

tur, odia gignunt, dissentiones, & malorum quandam Iliadem.

8. *Sine simulatione* simpliciter & rectè, ne tamen absit discretio. *Omnia*, inquit: *mihi licent, sed non omnia expediunt*, occasiones nimirum, tempus & circumstantiæ obseruandæ sunt. Multa ferenda, dissimulanda sunt, à videntibus & scientibus prætereunda. *Omnia tempus habent*. Neq; quęuis statim promenda; sed clausa, & in imo pectore quasi retinaculis quibusdam adstricta proferentur cum hora erit. Cæteroquin obtinet illa regula: *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum*. Est nimirum vir duplex odium Dei & hominum.

1.Cor.8.

Eccles. 3.

Sapien. 1.

1.Cor. 14.

9. Conditio describitur ab Apostolo: *Spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est. Non enim est dissentionis Deus, sed pacis sicut & in omnibus Ecclesijs Sanctorum doceo*. Quemadmodū impotens ille & instabilis feruor & præcipitatio meritò suspecta sunt, & causam ferè dant maximis litibus, & animorum dissensionib. de quo suprà capitib. de feruore.

Conclusio eorum quæ de conditionibus.

Philip. 4.

Apostolus hæc eadē paucis verbis traditurus, ita inquit: *De cætero fratres quæcūq; sunt vera, quæcūq; pudica, quæcumq; iusta,*

iusta, quæcumq; sancta, quæcumq; amabilia, quæcumq; bona famæ: si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis, & vidistis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum. Hæc tam pulchrè, tam apertè dicta nihil amplius requirunt. Atque hoc modo constitutę Sanctarum Inspirationũ conditiones sint, quæ quia toties inculcantur, repetuntur, &c. totum hoc non sine mysterio fit Sancti Spiritus: vt diuitina & acri meditatione in ijs exerceamur, inde iudicium sumpturi, quid & quatenus Christi virtus operetur in nos, quid inspiret, quod momentum, quantum põdus motionum ipsarum sit.

CAPVT CII.

CONDITIONES QVÆ A Satana veniunt.

POterant intelligi ex contrarijs iam positis, sed vt Scripturæ lucem sequamur, & diligentius pertractata res in omnium animos penetret istius malitiæ & damnabilis sapientiæ laqueos detegemus. Huc referenda sunt quæ in Monte capite X. de stultis diximus, & quibus illi signis dignosci possint è Scripturis demonstrauimus: ac

ne quis tamen his argumentis in alios, nisi requirat necessitas, vtatur aut pronunciet, seipsum verò accuratè tanquam ad solemnem & præscriptam formam excutiat, examinet, indaget, necubi offenderit.

2. Hanc sapientiam intelligemus il-
Iacob.3. lam, quam describit Diuus Iacobus *terrenam, animalem, diabolicam*. Hic nu-
1. Ioan. 2. merus comprehensionem, finem, & initium habet totius mali: Ita Diuus Ioannes: *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non ex patre, sed ex mundo est.* oculi sapientiam habent terrenam: caro sensualem seu animalem: superbia diabolicam. Carnē & sensum deducit ab vno fonte concupiscentiæ: quoniam similitudo eorum
Philip.3. magna, & caro terra *& cinis est, & in ci-*
Rom. 16.8. *nerem reuertetur.* Qui sapientes sunt in
Ierem 4. hunc sensum, à Paulo dicuntur *inimici*
Baruch. 5. *crucis Christi, & voluntatis Dei qui per*
Luc. 16. *dulces sermones & benedictiones seducunt*
Gala.4. *corda innocentium: prudentes ad facien-*
1.Cor 1. & *dum malum: qui nesciunt benefacere, filij*
3.Rom.1. *Agar, huius mundi: stulti. Sapientia hu-*
Luc. 10. *ius mundi stultitia est apud Deum.* Hos
Matt. 11. notat Christus in oratione sua: *Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quod ab-*

scon-

ſcondiſti hæc à ſpieatibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis. Hos homines Beatus Bernardus dicit terrenos, mundanos, ſenſuales, inimicos, homicidas, matres ignauię, *qui Deum ad vindictam prouocant, & faciunt illum tædere ſuper humanum genus.* Ber. in declam. Apoc. 3.

CAPVT CIII.

QVOMODO HI SIBIIPSIS effingant conditiones Inſpirationum tanquam ſinceras & probas.

QVemadmodum igitur *Angelus ſatanæ transfigurat ſe in Angelum lucis,* & hæretici ad ſuum ſenſum peruertunt Scripturas, Magici ad ſuas incantationes abutuntur religioſiſſimis & ſanctiſſimis quibuſque, prorſus optima quæque & ipſa totius mundi creatura malis in malũ cedit, qui nec gratiæ Dei, nec bonitati locum dant; neque nobis mirandum eſt, quod hi pro ſenſu ſuo (volunt ſanè videri ſapientes, ſed ſtulti ſunt) ſinceras Dei Inſpirationes accipiant, & in partem trahant omninò contrariam, etiam, ſi Dijs placet, illo fuco vitijs ſuis patrocinium quæſituri: alijs porrò ſimplicioribus obicem ponunt, ac vo- 2. Cor. 11.

cantem

eandem Deum exaudiant & sequantur. aiunt enim: Vt quid vni semitæ inhęres? viæ & mansiones multæ sunt: non vno fluuio delabimur in hoc mare salutis: vitæ status beatitudinem non meretur, vt nec vestis, professio, modus ipse viuendi: vide vt diu & benè rationes omnes apud te subducas, ecce tibi viros magnos, rerum peritos, illorum consilio vtendum tibi est. cogitatione multa opus habet quod constitutum semel, retractari non potest, &c. consulto protrahes hæc in annum ætatis tuæ trigesimum, quadragesimum, &c. experire quò te natura ferat, quid communis & publica mundi ratio persuadeat, &c. His addunt alia cum visum est: ne videlicet offendant silentio, vt aliquod illi solatium exhibeant, aut verò gloriola inducti & cõmodo rei suæ: aliquando parandæ amicitiæ, fabulæ actionem in hunc modum instituunt, aut paratam ne quoquo modo amittãt. & quia hæc colorem & lenocinia quædam habent germanæ sapientiæ, parata est fouea simplicitati: sed nihil fallit, non sibi patitur imponi vir pius, cui animus humilis & verè nobilis; qui magna & constanti fiducia in Deum fertur, nusquam remissus, deses, flaccidus: illi vide-

videlicet patent aures & litum melle gladium, reijcit & abominatur viperam. Possunt varia huc afferri, sed exemplorum & circũstantiarum tanta congeries, tanta diuersitas est, vt explicari non possit. Vt vultus hominum variant, Dei dona, gratiæ, &c. & hîc circumstantiæ cum in specie applicantur. Repetimus quod sæpè dicendum, semper tenendum est, certum esse præsidium ab instruente Sancto Spiritu, qui perpetuis precibus tam ab illis qui consilium daturi, quàm qui accepturi sunt conciliandus est. Vt autem iudicium in his facilius haberi possit, non parum puto hoc libro contulimus, tot testimonijs vtriusque Testamenti, Doctorum, &c. Si quis autem suo consilio nos trahat ad terrena hæc & sensuum oblectamenta, ad dignitates & inania huius mũdi, prodit sese, neq; opus habet vt capiatur. *Nemo*, ait Dominus, *potest duobus Dominis seruire, &c.* Et suprà à nobis dictum est, quod illa amoris & tristitię signa, quæ à mundo & sensibus originem ducunt, etiam ille præferat, cui sanctus & sincerus amor cordi est, quorũ tamen ita similium facile iudicium illi est, cui animus humilis, purus, nobilis, qui alacri-

Matth. 6. capite 51 & seq.

alacritate quadam præstat, eadem ratio & discrimen terrenæ huius & animalis sapientiæ, & diuinæ. Hæc rationes omnes conquirit, adhibet media, studium, & prouidentiam, omnia in vsum aduocat, quæ à Deo creata sunt, cum magna animi fiducia, spe, & intentis semper in Deum oculis: illa verè terrea, nulla ferè Dei cura, omnis gratiæ & diuini influxus expers, aliquid extra Deum, tãquam scopum suis actionibus, proponit.

Vide lib. de vita actiua cap. 22.

Scimus, quàm admiranda patrârit Moyses & Aaron in conspectu Pharaonis, vtiq; de mandato & voluntate Domini: & illa imitantur Magi & Ægyptiorum sapientes, ijsque præstigijs & multa caligine peruertunt Pharaonem, ne præpotentis Dei manum agnoscat, eiq; obediat. Ad eundem modum contingit etiamnum aliorum sermonibus & infœlici sapiẽtia infinitos corruere, & Spiritum, qui loquebatur, extingui in homine. *Huiuscemodi (sapiẽtes) Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* Habent hi, quibus conueniant cum electis Dei ministris, vmbram duntaxat, illam, quæ in corporis cultu est, maturitatem, mores, vultum effingunt, causas enarrant, iudicant

1. Thess. 5.

Rom. 16.

tant de futuris,&c. sed quemadmodum Magi Pharaonis nō omnia miracula neque totam Moysis virtutē exprimebant: neque hi omnia quę præclarè & perfectè fiunt à verè sapientibus. Magna distantia est inter hos & illos, differūt, dissidēt, contendunt mutuò virtus & vitium, vtcumq; mentiatur hoc illius speciem. *Vide suprà de Consiliarijs.*

CAPVT CIIII.

QVOD DE CONSTANTIA Spiritus, & duratione.

Videndum porrò, quid hac constātia intelligendum veniat, cum vulgò dicitur: *Vide an sibi constet, an perduret spiritus ille in te*: ne fortè si cum tempore persistat Dei spiritus, si fluctuet, & mutetur subinde, à Satana venisse tanquam demonstratione intelligatur. Igitur hæc duratio, &c. apud verè pios & prudentes nulla certa ratio aut nota est, veritatis Inspirationum; quemadmodum nec apud nos illa verborum, mandatorum, &c. iteratio quicquam ad substantiam rei confert. Verbum, si millies repetatur, verbum est & manet: sed nimirum Dei verbum & hominum verba longissimè differunt. Homini, si quis dixit aut mandauit homo, integrum est

 emen-

1.Reg.15. emēdare, cum lapſus fuit, & mutare: ſed
Neq; enim Deus immutabilis: neque tamen hac
homo eſt. mutatione efficit homo, vt nō primum
hoc fuerit mandatum ſuum. Igitur
Deus quia nihil mutat, ſiue ſemel ſiue
ſemper moueat, idem motus & Dei In-
ſpiratio eſt: & perinde obediunt primo
illi & vnico motui, atque ſi in horas
repeteret & inculcaret, vt filij & fideles
miniſtri, non expectant vt inclamet ſub-
inde pater & dominus, ſed ad primam
vocem accurrunt, alacres & parati, ſ
quid faciendum ſit: fit tamen cum res
maturè facto opus habet, bis ter inge-
minant illi, ne ſtata operis hora fortè præ-
tereat: & Deus aliquando eaſdem re-
alia ſpecie, diuerſis etiam temporibus in-
Gen.37.41. gerit & inculcat. Patriarchæ Ioſepho
Dan.4. rem eandem duplici ſpecie repræſentat
item Pharaoni: quod ſcilicet effectu
mox eſſet ſecuturus. Minatur Deus Na-
buchodonoſoro Regi, minatur ſecun-
dò: & ſtatim deſcendit ſuper eum indi-
gnatio. Igitur ſi ſermo Dei vnicus ſit, ſiue
continuè aut iteratis vicibus moueat &
loquatur, non inde creſcit aut decreſcit
verbi ipſius ſubſtantia: ſed tamen, ſi
quis perinde negligat, neque toties vo-
catus exaudiat, peccat grauius, & vindi-
cta acrior imminebit. Quamobrem hac
ſignifi-

significatione accepta duratio (vt sæpè aut continuè loquatur Deus aut moueat) nulla certa nota est, verè pijs, vt diximus. nam & ipsa sensualitas, tot scrupuli & Satanas possunt eadem ingerere, & in institutis semel tētationum laqueis persistere. Sed quod dicunt viri prudentes, *Vide, an sibi constet spiritus, &c.* Hoc volūt, vt tu accuratè subductis omnibus rationibus & circumstantijs an illa quæ sentis, quæ audis, rectè intelligas, aut conueniant ad normam Scripturarum examinata, & certissimas conditiones iam à nobis propositas, an cum natura, cum voluntatis tuæ libertate pugnent, an desiderium tuum in gratia Sancti Spiritus perpetuum, an non alicubi hæreas, & probabili ratione ab instituto deterrearis, quia sensim multa sese adaperiunt, incognita antè & delitescentia.

Hæc igitur durationis & constantiæ huius significatio petitur à recta ratione, qua videlicet magistra hoc facias vel omittas, quò te vocari, moueri sentis vel intelligis: eo sensu, ne prorsus ijs innitaris, aut tanquam stabili fundamento inhæreas, quæ intus sentis quia ille motus variat & desinit;

Vide de Monte capitezo.

sed in Scripturarum veritate pes figatur, in doctrina Ecclesiæ, & similibus. Atque illa causa maturitatis & constantiæ illorum est, ne quicquam temerè aut leuiter, non scindantur in contraria, velint nolint, Euripo mutabiliores. Dicunt exemplo Pauli: *Nunquid leuitate usus sum? Aut, quæ cogito, secundum carnem cogito, vt sit apud me Est & Non?* Hoc est, absit quod semel placuit, à me nunquam infringitur. ita decet viros præstantes, quibus cordi est virtus & ratio, in rationes rei propositæ, causas, effectus diligenter inquirere, tum tandem, cũ tota res summo studio exáminata placuit, cõsensum adhibere, & perdurare. Quibus ita positis & conclusis insistendum est, neq; cuiuis alteri motui, sensui, delectationi animus dandus, nulli perturbationi cedendum est: sed magno animo, vt ratio fert, cum plena fide, spe, & charitate in Deo progressus faciendus: illius potentię (cuius expertes sensus, & oculi nostri sunt) sapientiæ, bonitati, totos nos credere & dare debemus, & verò sensus ipse, visus, auditus, &c. & reliqua humana subsidia plurimum conferunt. Videlicet, nihil à Christo temerè & frustrà factum est. qui ipse postquam interpretatus fuisset discipulis suis *ex lege, Prophetis, Psalmis, quæ de*

2. Cor. 1.

D. Tho. 2. 2. quæst. 47. art. 9. in corp.

Gregor.

de ipso erant, videri etiam à suis voluit post resurrectionem, tangi, &c esum & potum communem sumere. Nec sine causa respondent Apostoli: *Non possumus quæ vidimus & audiuimus nō loqui.* Nihil igitur eorum quæ ratione nituntur, quæ sensu accipimus, quæ ab hominibus in auxilium conferuntur, contemni debet: vti iam multoties à nobis dictum est. Atque hoc modo, constantia & duratio spiritus quid, in quibus sita sit, intelligimus.

hom. 26. in Euang. præbendo, inquit, palpabilem formaret ad fidem, &c.
Actor. 4.
Luc. vlt.

CAPVT CV.

HABET INSPIRATIONVM conditiones aliquot, &c. ex parte hominis.

EXplicitis ijs, quæ ad ipsarum Inspirationum cognitionem requirebãtur, quatenus Inspirationes sunt, videndum porrò est, quomodo in homines illæ referri, ijsque applicari possint quidque, vt harum capax sit, in homine requiratur: quod quidem ex ijs quæ iam dicta sunt posset intelligi. Videntur tamen aliquot planiorem explicationem requirere, & habere opus nostra consideratione, quam diuidemus in sex par-

1. tes: quarum prima referetur in illum, qui patitur: hoc est, in quem agit Deus, qui monetur, & subiectum Inspirationis est.

2. Altera in illum, qui cum conuersatur & agit ille qui patitur.

3. 3. Vita status rationes illorum expendēda veniunt, quos sequi, quorum moribus se conformem præstare debebit, si sequatur hanc Inspirationem.

4. 4. Quibus insueuerit hactenus, quoto fortunæ gradu, quibus ad virtutem affectibus iam sit re integra: quid futurum videatur re perfecta.

5. 5. Quid tum passurus, si sequatur hos motus (quatenus probabili ratione iudicare possumus) cùm in corpore, tùm in anima, ad omnem fortè tentationem expositus, & desolatus.

6. 6. Reipublicæ cura est: quid hinc accedat vel decedat commodis & saluti vniuersitatis. Quæ omnia si benè intelligantur, eo etiam facient, vt vel hinc æstimare possimus, veniat ne hæc Inspiratio auctore Deo? quod si ita: an si intra beneuolentis animi pomœria consistas satis: an verò opus & actio requirantur? Explicemus hæc sigillatim.

1. Repetendum est ex nono capite: in vnum aliquē omnia non esse collata, vt

vt vultus, etiam naturas hominum variare: ideoque nec si optima quæque eligas, in vnum quadrare. cum ab institutione piorum hominum alienum sit, aliquod miraculum nulla insigni necessitate cogente, requirere: quia scilicet Deus ipse certum ordinem reb. præscripsit, futurorum omnium ab æterno prouidus, & ferè vsitatis & naturæ semitis hominẽ deducit & operatur, vt omninò, qui maximè Deo in sacrificium offerre se cupiat, qui credit, & obedire paratus est, possit. *sedens* (vt inquit ille) *computare sumptus, qui necessarij sunt ad perficiendam turrim*, ad quam videtur euocari. Sumptus accipere possumus, *Luc.* 14. dona, talenta, &c. quæ simpliciter ad salutem non requiruntur (vti dictum est suprà) quia sine illis piè & perfectè *C.11. et seq.* multi viuunt. quemadmodum dona & gradus in Ecclesia sunt; Doctorum, Cõcionatorum, &c. Possumus itidem in- *1. Cor. 12.* terpretari modũ & media, quorum vsu tandem in ipsum montem perfectionis cõscendimus Estq; huius significationis idẽ effectus cũ priore. ille enim sumptuũ cõputus docet nos quanto iudicio, quãta æquitate animi cõstituendũ nobis sit, quot quisq; medijs opus habeat ad illam quã quærimus perfectionem & salutem.

Igitur illæ inspirationes, quæ simpliciter hominem vocant, mouent, ad illa quæ perfecta & salutaria sunt, vtique à Deo sunt: sed si iam non in genere & simpliciter agat ille motus si hanc viam intendat, hunc vel illum vitæ statum, rarum aliquod & singulare virtutis exercitium; & quæ eò conferunt: non etiam ille motus semper à Deo est. Ideoq; vult Deus, vt in his quisque sibi prospiciat; videat quid possit, quid à Deo acceperit, quibus virib. polleat, an par illi statui sit futurus, an sufficiat robur ad vineam Domini excolẽdam, an corpus, ingenium, & quæ supra naturam dona dicimus, vel tãtam molem ferẽdam idonea sint. Quod quia parum aduerterat Moyses, cætera summus & excellens, quid audit à socero?

Exod. 18. *Non bonam rem facis. stulto labore consumeris & tu & populus iste qui tecũ est,*

Deut. 1. *vltra vires tuas est negocium: solus illud non poteris sustinere. Sed audi verba mea atq; cõsilia, & erit Dominus tecũ: Esto tu populo in his quæ ad Deũ pertinent, ostendasq; populo cæremonias, & ritum colendi. prouide autẽ viros, etc. Quib. auditis Moy-*

Num. 11. *ses fecit omnia quæ ille suggesserat.* Ille q̃ singulari charitate in populũ deflagraret, hoc nequaquã senserat, sincera & optima fide nihil sibi ad sũmos labores reliquũ facie-

faciebat, vt Deo & hominib. satis esset, sed Iethro ab hac passione libro primo statim intuitu aduertit: cui quia obedit tãtę humilitatis meritò supra cęteros extollitur, & verissimis laudib. cumulatur. Vide etiam atque etiam. ille vir tantus, cui ad summam sapiẽtiæ plenitudinem parum aut nihil deerat, ideoq; vel innumerabili populo auctoritate & imperio sufficiebat, sequitur consilium soceri: causa, prę ter cæteras, ne supra vires affligeretur, ne deprimeret corpus, ideo offert Domino sacrificium bonæ voluntatis suæ, opus ipsum remittit, Habent hæc verba gratiam & pondus suum: *Non bonam rem facis, &c. Audi verba mea, & erit Dominus tecum. Si hoc feceris, implebis imperium Dei.* Hoc est: huius instituti Deus auctor non est tibi, non imples imperium Dei, &c. Ita sanè: charitas suffert omnia, hilaris ille, flagrans & ardens Moysis spiritus potuit his paria facere, vicit labores, molestias, contentiones magnitudine affectuum, vt neq; sensus nec corpus hebetaretur, sed tamẽ ait ille: *Audi verba mea, & præcepta Dei poteris sustentare,* quod inprimis animaduertẽdum est. Scripsimus in hanc sententiam suprà capite XXXI & LI. Cætoroquin cum de gratia quæritur quæ ad salutem

animæ necessaria est, locum habet illud
Isa. 40. Esaiæ: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ; current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient* Hāc spem, fortitudinem, pennas, cursus notabimus in Latrone, & alijs infinitis; etiam extremè decumbentibus, & omni membrorum
Iob. 13. vsu spoliatis. Ita Iob plenus calamitate & miserijs: *Etiā si occiderit me, in ipso sperabo.* Idem testimonio sanguinis sui consi-
Psal. 118. gnarūt Martyres. Hęc igitur ipsissima Esaiæ sententia est, vti & Dauidis: *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dila-*
& 102. *tasti cor meum. Benedictus Deus, qui propiciatur iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, eripit à morte animam tuam. Replet in bonis desiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.*

1. Reg 16. Contrario Moysi exemplo studet vitæ suæ Samuel, qui missus contra Saul ad vngendum Dauidem in Regem Israël: *Quomodo vadam?* inquit, *audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus:* (præscribit modum quem sequi debeat, & consultum fore vitæ suæ.) Ita sanctissimus quisque magnopere sibi cauendum putauit, ne corpus supra vires affligeret, ne periculum

vitæ

vitæ asscisceret. Neque tamen in his diebus vlla alia mandati diuini ratio apparet, quàm communis naturæ & consuetudinis: quo ipse nos docet, tàm illud ipsum rectæ rationis dictamen, quā omnes Inspirationes à Deo esse, & haberi eodem loco debere, quemadmodum vera & certa sui significatione perinde miracula sunt, quæ vsitatis naturæ medijs Deus operatur; quàm illud fuit, cùm ex aqua vinum fecit, & quinque panibus quinque hominum millia pauit. *Ioan. 3.* *Luc. 9.*

CAPVT CVI.

DARI A DEO HOMINI SÆPÈ voluntatem, non etiam potentiam qua possit benè agere, quoniam hoc fieri ab illo non vult. Et quanta sit ratio habenda valetudinis.

HAbent illæ Inspirationes suū fructum; etiam si nō accedat opus & effectus ipse. Exemplū inprimis luculentum in Abraham, qui accepta cœlitus gratia obedire parabat & exequi: sed hucusq; constitit voluntas Domini probato famuli sui animo & affectu. Audiamus vocē Domini: *Per memetipsum*, inquit, *iuraui Quia fecisti hanc rem, &* *Genes. 22.* *De hoc Magister Sent. in 1. dist. 45. & ibi Dionys. quæst. 4. 3. in fine.*

nō pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ, &c. Dauid conceperat apud se, & videbatur in oculis suis (vtiq; diuino lumine illustratus) exædificare Deo templum quanta posset magnificentia: sed in quo voluntatem, gratiam suam, probabat DEVS obstitit, ne destinatum exequeretur. Nec tamen illa Regij animi pietas in socordiam & stuporem euanuit: conquisiuit vndiquaque ad tantum opus necessaria, omne genus metalli, lignorum, lapidum, &c. incredibili sumptu conuehens; cohortatus ad tantum opus successorem filium Salomonem, erectis suo exemplo & sententia populorum animis, vt se mortuo ædificarent. Cuius sui studij fructum longè amplissimum percepit, suaues Dei sermones, promissa, benedictiones, quibus ille, cognita Domini & Dei sui voluntate, tota animi voluptate perfusus, in gratiam & laudes effunditur. Igitur vt voluntas illa effectum non consequatur quem intendit, ociosa tamen non est neque inutilis: quod quia permouit, nihil

D. Prosper aduers. collat de hac materia agens
2. Reg. 7.
1. Paral. 17. & 28.
2. Paral. 6. & 22.

nihil remittit Satanas, quin omni modo dimoliatur, & euertat illã animi promptitudinem. Quorsum, inquit, hi sermones, cogitata, consilia, &c. necquicquam illis defers, quibus nihil efficis, neque potes. Nomina tibi paras, mercedem nullam. Vtique si toto conatu adlaborares, nihil inuium sudoribus, quid iam, nisi quod iram Dei prouoces? His ferè machinis turbat illos serpens calidissimus, quorum vires deficiunt, qui inepti ad hæc, aut parũ idonei ad operis ipsius præstationem. Sed non imponit prudentibus, qui recusso hoc iaculo continent animum in promptitudine & obedientia mandatorum Dei: accipiunt libenter & gaudent ad Dei vocem, agunt quantas possunt gratias, accommodant, applicant, si quid sibiipsis vel alijs hoc pacto conferre possint. Cæteroqui rebus ipsis, consilio, & opera, in alijs conantur & perficiunt, quid ipsis integrum non fuit, vt Dauid in filio Salomone.

Pulchrè Climac. de gra. discr.

Psal. 55.

Est eiusce promptæ voluntatis alius effectus: qua scilicet dũ hoc desiderium in animo alitur, purgatur à peccatis homo, & tanquam salutari antidoto præseruatur, insistit virtuti, accipit pulcherrimas occasiones ad summa proficiendi desideria, preces, exercitia in Domino, &

Ioan. 15. tanquã supercœlesti cibo alitur in Deo, vsque dum alijs aut melioribus distinctur. Atque hîc campus patet explicandæ in pauperes beneficentiæ, de quo alibi. *Libro de operib. Miseric.* Igitur nullus Dei sermo frustraneus, agit ille & suos habet effectus, saltem aliquos in iis, qui verè pij & probi sunt, quamuis qui videtur potissimus deficiat.

Prosper ad- uers collat. in illud: Velle ad iacet mihi, &c. Item de vita contempl. lib. 3 cap. 15. Matth. 25. Luc. 19. Rom. 7. Concil. Trident. sess. 6. c. 11. in princ. August. de lib. arb. lib. 3. cap. 22. Matth. 25. Luc. 19.

Notandum & hoc, tribui homini à Deo, vt velit quod bonum est; sed potentiam precibus vult impetrari, & operibus misericordiæ. Quemadmodum in Euangelio, qui talenta aliquot acceperant, lucrati sunt insuper, & conduplicârunt numerum. Iterum: quibus voluntatem contulit, effectum in hac vita denegat: *Velle mihi adiacet*, inquit, *perficere autem bonum non inuenio.* Neque tamen hæc obedientis animi promptitudo, aut labor ille quem effectus non sequitur, extra numerum censebitur, habebit coronam & præmium in cœlis. Ait Beatus Augustinus: *Quod ignorat quid sibi agendum sit* (anima vel homo) *ex eo est, quod nondum accepit, sed hoc quoq; accipiet, si eo, quod accepit, benè vsa fuerit. Accepit autẽ vt diligenter & piè quærat, si volet. Et quod agnoscens quid sibi agendum sit, non continuò valet implere, hoc quoq; nondum accepit.*

Præcef-

Praecessit enim pars eius quadã sublimior, ad sentiendum quod rectè facit bonum: sed quadam tardior & carnalis non consequẽter in sententiam ducitur, vt ex ipsa difficultate admoneatur eundẽ implorare adiutorem perfectionis suæ quem inchoationis sensit auctorẽ; vt ex hoc fiat ei charior, dum non suis viribus, sed cuius bonitate habet vt sit, eius misericordia subleuatur vt beata sit. Quantò autem charior illi est à quo est, tantò in eo firmius acquiescit, & tantò vberius eius æternitate perfruitur. Sicut enim arboris nouellũ & rude virgultũ nullo modo rectè sterile dicimus, quamuis aliquot æstates sine fructibus traijciat, donec oportuno tempore expromat feracitatẽ suam: cur non auctor animæ debita pietate laudetur, si tale tribuit exordium, vt studendo ac proficiendo ad frugem sapientiæ iusticiæq; perueniat, tantumq; illi præstitit dignitatis, vt in eius etiam potestate poneret, si vellet ad beatitudinem tendere? Rom. 7.

5. Non videtur hoc loco requiri, vt explicemus quàm miserè agant, quantum impedimentũ rebus agendis afferat, quib' corpus malè habet, quibus infirma est natura, diffluit memoria, turbatur sensus, &c. prorsus res est digna miseratione: neq; longa disputatione huic

Vide suprà cap. 18. & seq. rei immorandum est apud eos, quibus aliquod ingenij lumen, iudicij vel humanitatis sensus est. Nimirum quibus lachrymis prosequendi sunt, quos in societate aliqua, corpore ad eum modum affecto videmus qui ministrant alijs, & communibus officijs & vitæ rationibus constringuntur, quoniam nec affirmantibus fidem quisquam habet, qui non morbi atrocitatem in se ipse persenserit, & tū vix credit, quod sese putet grauius habuisse. Cuius ratio in eo est, quod plerique præ animi ægritudine vel imbecillitate, libenter nobis persuadeamus, & certatim apud alios conqueramus, nos corpus affectum trahere, ignobili quadam ignauia deiecti: ita fit vt paucis constantibus & probis vera dicentibus fides non habeatur, quia superat falsorū numerus. hæc hactenus.

CAPVT CVII.

QVOD DE NATVRÆ DIFficultate & pugna.

6. NEque omittendum est, si se quis moueri sentiat, si quò euocetur, à quò sensib', animo, effectibus, prorsus modis omnibus alienissimus sit, ne sibi ipsi vim tum afferat,

ferat, aut ad opus accingatur nulla insigni necessitate cogente, nisi cõtrarius ille naturæ ductus subsideat, nisi noua lux luceat, qua tanquam in nouum hominem transformatus hoc ipsum velit aut repudiet. Hoc est: Si quid se tibi offerat, quod aliquod momentum habeat, nouum tamen & insuetum hactenus, ad salutem animæ non necessarium, dubites autem sitne bonum? conuertere ad preces, nihil incipe, nisi re magno iudicio & accurato studio subducta, afficiat noua gratia & vigor animi, maior etiam aut plena libertas ab altera parte affulgeat. Videlicet ne nos ipsi vel alios cogamus prætextu mortificationis, quicquam vel incipere vel omittere, præter ordinem rectæ rationis. Quamobrem à natura iudicium peti non debet Inspirationum, an diuinæ sint; quia negat illa vel addicit: sed ad rationis, Scripturæ, Ecclesiæ regulam, &c. examinandæ sunt. neque, qui prudentes sunt & verè pij inde meritum vel perfectionem præsument, aut negabunt, quia hoc quod agunt cũ natura pugnet, aut conueniat; cum certissima perfectionis, meritorum & demeritorũ ratio à momentis & pondere charitatis accipienda sit, vt suprà de perfectione dictum est. Nam & ipsa hominis natura

Bernard. de Senis. serm. 3. post pentec.

Vide in Monte cap. 10.

natura verè nobilis, & sui conditoris referens imaginem, fortè an præsentiscit nihil hinc, si fiat, in animam bonæ spei redundare: esse solitas dæmonis illecebras, & lupinæ pelli vulpinam superinduisse: latere venenum, neque se statim prodere; requiri tempus & occasiones: tum vel vltrò liquebit, & deteget aures asinus. Figura. Dicit *Deus Abrahæ. Non tibi videatur asperum super puero. omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Tum & hæc pugna excitat ingenium & occasionem subministrat, vt maiore studio ad disquirendam rei veritatem incumbamus, solliciti ad omnia, dum res integra est, speciemque habet, & locum casti & sancti timoris, eosdemque in nobis effectus gignit & producit.

Dionys. Carth. in 3. sent. dist. 17 qu. 1. Deus noluit Christum hortere, & aliquo modo mortem nolle. Genes. 21. Vide de hac mater. in Monte de auaritia, vt est appetit. bonus. c. 15.

Postremùm, consultò facient, quibus hæc contingunt; ne facilè illa prodant, & cogitationes animi adaperiant, si res momentum aliquod habeat: conuertantur in Deum, cum gemitu & lachrymis pulsent hoc ostium misericordiæ, apud se rei rationes & circumstantias omnes subducant quanto possunt studio, contraria, coniuncta, futura, &c. tùm verò consiliarius quærendus est, qualem suprà descripsimus, à quo consilium petant ad eum modum, ne post,

Lege Iacob. Latomum quodlib. de

yere-

verecundia, superbia, aut animi latens ambitio aliò trahat, vinculis, vi & minis impediat hoc sequi vel omittere, quòd è re & cum salute animæ futurum fuisset. Atque hoc modo primam partem institutæ considerationis videmur explicuisse. *an. probat. nouitior.*

CAPVT CVIII.

CONSIDERATIO II.

QVam diximus, vt respectus haberetur illorum, quos hic relicturus sit, si obedientem se præstet Inspirationi. In quam sententiam referemus verba Petri Apostoli ad populum auctore Clemente: *Tribus mensibus* (ait Petrus) *permanebo apud vos. Estote assidui ad audiendum verbum, & consummatis his, si qui possunt & volunt sequi nos, permittitur eis salua pietate. Quod autem dico, salua pietate, hoc est; ne quem discessu suo contristet qui contristari non debet vel parentes relinquens quos non oportet, vel vxorem fidelem, vel, si qua sunt eiusmodi persona, quibus propter Deũ deferri solatium conuenit.* *Recognit. lib 3. circa finem.*

Igitur quantus honor tribui debeat parentibus, quodque auxilium & operam

ram nostram omnem illis debeamus, explicatione nostra nihil eget. Habet hoc vtriusque Legis & naturæ ratio: nisi impedimento filijs sint, & ab obedientia mandatorum Dei retrahant: quod si faciant, relinquendi sunt, & Deo adhærendum est neque tum repugnat Lege Decologi. Moyses à Deo vocatus ad liberandum Israelem, petijt primùm veniam à socero, non quod ita Deus expressè iussisset: sed iudicabat vir pius & intelligens hoc naturæ præceptū temerè violandum non esse. Neque honos hic solis parentibus debetur, sed nutricijs etiam, & ijs qui locum parentum sibi vendicant, quorum úe beneficijs obligati, vicem & gratiam debemus. Igitur & audiendi sunt, & ratio illorū habenda est, neq; rerū angustijs & difficultatib. pressis non succurrendum est, siquidem per nos hoc fieri potest, neque nobis ad meliora properantibus impedimento sunt.

Hieronym. epist. ad Ephes. c. 6. August. epist. 89. q. 4. & con. Adrian. c. 6. Chrysost. hom. 20. in Ioannis. Thom. 2. 2. qu. 101. art. 4. Vide suprà cap. 83. de Iacob.

II. Iterum, vidui, viduæ, quibus liberi sunt, in salo vitæ constituti, quique sibi ipsis nondum sufficiunt, nimirum primam curam debent illis omni abdicationi postposita si non prorsus impossibile est.

1. Tim. 5. Thom. 2. 2 qu. 189. art. 3.

3. Impedimentum, quod diximus, ad iudicium rationis exigi debet. Videmus plerum-

plerumque à parentibus & amicis moram afferri studijs, & pietati filiorum, sed non omnibus. sunt enim qui singulari pietate & æquitate animi ad omnē honestatem compositi profectu filiorum gaudēt & crescunt ipsi Blandimur enim vitijs nostris, & culpam in alios conferimus, tanquam obsistant, quæ tota vel magna ex parte in nobis ipsis est. Ita cōquerimur exemplo Adami & Euæ, & in alios deriuamus, quæ ipsi commeruimus. Et fuerunt, quibus parentes & amici ad optima præierint, & multorū bonorum autores fuerint. quod tamen in vtrisq; rarum & difficile est. Habuit Ioseph Iacobum Patrem virum optimum, sed fratres inuidia & dolis obstreperos. *Suprà c. 7. 54. & 85.*

4. Iudicium graue super parentes, qui ne Deo seruiant obsistunt filijs suis, & vocationi cœlitus emissæ nulla certa ratione obganniunt: quemadmodum & illi parentes vel amici subiacebunt vindictæ in die iræ, qui acerbitate verborum aut alijs modis, aliorū suorum animos perturbant. (Fortè tenellos adhuc, & omnis malitiæ ignaros.) Et ad ea tantùm cogunt, quorum tandem serò & grauiter pœniteant. Est ea sapientia verè *diabolica, animalis, terrena:* cum tutores, amici, parentes eo prætextu pulsantem *Concil. Trident, sess. 25. c. 18.* *Suprà c. 4.* *Iacob 3.*

tem Dei gratiam in ſibi commiſſis extinguunt, ne quò ſe temerè immittant, ignari ſcilicet omnium, mundi, & aliarum rerum, quæ in mundo, prorſus inexperti. Probent hæc primùm, aiunt, tum porrò videbimus quò vocet Deus. Sed Chriſti verba ſunt: *Sinite paruulos venire ad me, talium* (ſimplicium, innocentium, humilium) *eſt enim regnũ cœlorum.*

Vide ſuprà cap. 102.

Adhæc perſonarum reſpectus habendus eſt, coniunctarum, vt iam diximus, & quarumuis aliarum: quarum ſocietate aut conſuetudine iam nunc frueris, quid auxilij, quid ſpei, & contrà, rebus tuis ex ijs accedat vel decedat, cum Deo paras obedire: ne fortè omni auxilio hominum deſtitutus, neque nouos reperiens amicos maiores difficultates experiaris, & inutilis, ineptus & ocioſus apud animum tuum conſeneſcas.

CAPVT CIX.

CONSIDERATIO III.

HIc expendendæ veniunt perſonæ, nationes, ſocietas, ingenia illorum, quibuſcum negocium habiturus

biturus sit, quorumque moribus se conformem præstare debebit; qui hos motus & Inspirationes sequi cupiet. Nam & hominum natura & spiritus multum variant, eiusq; discriminis respectu coniungi non possunt: cæteroqui tolerabiles, & boni, aut non prorsus improbi: ideoque plus ab illis expectari debeat, & melius habituri sint, non coniuncti.

Iterum. Ita est, non sequuntur hæc perpetuò viri perfecti, neque tamen negligenda semper nec ab ijs sunt, quod in Enoch, &c. cap. 21. docuimus. nam vt maximè perfectus sit, homo tamen est, errare & labi potest, peccatis immori, & pro merito damnari. Consuetudo & consortia multum in omnem partem valent. An nihil interesse iudicabimus, siue tu agas cum ingratis, inhumanis, stultis, scrupulosis, inquietis; siue cum sapientibus, verè pijs, expertis, ingenuis, quibus optima & perfectissima quæque placeant, eademq; sectētur ipsi, an istiusmodi virtutibus instructos habeas magistros, dominos, &c. quorum alterutros sequi necesse tibi sit? Nā & ea differunt si inter eos tu agas, eadem morū & animi libertate nullo seruitij vel obsequij vinculo illis astrictus; nisi quatenus ex vsu

Vide suprà de Consil. &c. cap. 18. de vit. act. & de Monte c. 9. Vide in Monte de timore. par. 2. Psal. 17.

tuo

tuo esse iudicaueris; an verò praeuntes sequaris, & ab illis disiungi nullo modo
Matt. 26. possis. *Spiritus quidem promptus est, ca-*
Marc. 14. *ro autem infirma.* Et Sapiens: *Cogitatio-*
Sap. 9. *nes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitan-*
1. Cor. 16. *tem.* Eo modo flaccescit sensim spiritus,
Eccles. 19. & deficit pristina illa alacritas. & cui quo-
August. tidiè in oculos incurrunt tam multa fœ-
epist. ad da & indecora, patitur nimirū & trans-
Galat. mittit, vt potest: cumque ille peccandi
cap. 4. finem non faciat, hic patiendi non inue-
Coloss. 3. in niat, generatur consuetudo, & cogitur
fine. & nolens volens illorum partibus accede-
Confess. re, & tandem in eorum mores transit et-
lib. 6. c. 8. iam ipse. Possunt hæc esse & fieri: si non,
de Alipio. benè faciunt qui timent, ne fortè fiant.
August. in neque peccat quisquam. sunt & alij qui
Psal. 83. similiter peccant: *sed qui amat periculū,*
Eccles. 3. *peribit in illo.* Quamobrem venit commendanda illorum prudentia, qui moti à Deo & alio vocati, inter cæteras cogitationes etiam hoc requirunt ad quos homines, familiam, ad quā societatem vocentur. Quod si à perfectis requirimus, & quidē rectissimè, nunquid idem facient qui incipiunt, & tyrocinium vitæ
Dionys. suæ ponunt? Mandat Deus Ieremiæ, ne

vxorem ducat, & inde sibi procreet filios & filias in Ierusalem aut Iudæa, quod spiritali sensu de viris Ecclesiasticis interpretabimur, ne filios æquè spiritales habeant, quibus persuadeant huius vel illius Ordinis professionem, collegij, communitatis, vbi disciplina collapsa est, & in tandem cum reliquis damnationem corruant. Quid multa conquirimus, tanquam hæc pro rei magnitudine & vtilitate explicari à nobis possint? nam vt quis summam diligentiam adhibuerit, omnia excusserit & indagârit, & tanquam bona probârit, rerum ipsarum vsus & experientia tandem verè docet. Amici probatio rebus incertis certa est. Iudicia ingeniorum non nisi domestica & continua consuetudine parabimus, & hi iam non amici eruntcum statum aggressus es, sed quibus astrictus, & tanquam compedibus alligatus sis. Sciunt hoc qui matrimonio iuncti sunt, serui, & qui alijs humanæ vitæ necessitatibus famulantur, postquam nomina dederunt, & in familiam ascripti sunt, qui ipsi rebus integris, plana, pulchra, maxima omnia sibi pollicebantur. Homo quoquo se vertat non mutat naturam, quid tandem? alios diuos arbitrabimur? ferunt hoc premium inquietudinis suæ,

Carth. in 16. Ierem. in eandem sentent. Bernard. de senis sab. post 2. dom. in quadra.

qui alicuius molestiæ tanquam nausea affecti, dum se fugere putant, grauiora mala, atque adeò grauissima vel extrema incidunt. Scribit Apostolus iam tum florescente Christianæ fidei cultu: *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi.* An nos & hæc tempora beatiora? Quærunt sua non illi tantùm, qui corpori & opibus congerendis laborant, sed & hi qui se solos audiri volunt, esse in oculis omnium, sibi summa tribui, sensibus & sententiæ suæ alios obsecundare, & tanquam de summo loco ius omnibus dicere: qua affectuum impotentia maximam molestiam exhibent alijs, quamque cessione bonorum & fortunarum suarum præstare illi vellent. Et verò si mutari hæc non possunt, non derelinquet Dominus sperantes in se, si constanter in promissa fide perseuerent.

Philip. 2.

Quamobrem laudanda est illorum solertia, qui in motibus, desiderijs, reuelationibus, visis, &c. postquã ea omnia adhibuerunt quæ multocies præscripsimus, neque harum personarum, societatis, &c. circumstantias negligunt. Offendit ad hunc lapidem Lot: qui cum adesset Abrahæ, *nec posset eos capere terra vt habitarent simul, erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare*

2. Pet. 2.
Genes. 13.

bitare communiter, &c. Ecce, inquit, *Abraham, vniuersa terra coram te est: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo, &c. Eleuatis igitur oculis Lot vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur sicut Paradisus Domini, & habitauit Lot in Sodomis. Homines autem Sodomitæ pessimi erant & peccatores coram Domino nimis.* Studuit ille sibi, vidit quod pulchra esset, & abunde fructuum ferret regio, placuit & elegit. nulla hominum consideratione qui incolebant. Liberauit sanè illum Dominus de incendio cum vtraque filia, sed vxor in lapidem abijt, totaque viri substantia cum Sodomitis diuinæ vltionis igne conflagrauit.

Aloys in Genes. c. 13. & Chrys. in Genes. hom. 3.

Genes. 19.

CAPVT CX.

CONSIDERATIO IIII.

QVarta fuit. quibus insueuerit hactenus, quo fortunæ gradu, quibus ad virtutem affectibus iam sit, re integra necdũ cuiquam obnoxius, quo loco futurus videatur re inchoata. Inquiramus primum in rationem consuetudinis, cuius figuram petemus ex

1. Reg. 17. Dauide: *Induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica. Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cœpit tentare, si armatus posset incedere, non enim habebat consuetudinem. Dixitq; Dauid ad Saul: non possum sic incedere, quia vsum non habeo, & deposuit ea, & tulit baculum, &c.* Quæ hoc pacto ad nos referemus. nõ quouis armorũ genere in hostes animæ nostræ vtendum esse, neque instrumentis ad virtu-

Vide suprà cap. 90. & seq. tem: illa enim quæ vt plurimum conueniunt, & pro simplici intelligentia literæ ad summam perfectionem specie sua conducere videntur, ideoque consultò & prudenter & necessariò adhiberi: huic vel illi non quadrant, non ferunt pondus, succumbunt oneri. maximè,

mè, si exemplo Dauidis consuetudinem alterius habeant, valdè bonæ, eumque vsum experiuntur corpori & animæ suæ salutarem, in quo Deo & hominibus se probant, afficiuntur proinde & delectantur in eisdem. Igitur periculi plenum, neque cuiusuis hominis est ab vsitatis & diu benè consuetis specie melioris hominem abstrahere. Vidit hoc Diuus Paulus: *Seruus vocatus es?* inquit; *non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis vtere.* Hoc est: seruus es, nihil impedit, quo minus Deo seruias. Seruiuit Ioseph Putiphari, &c. & fuit acceptus in oculis Domini. Addo, siquidem occasio tibi erit ad libertatem, audi consilium meum; & exercere seruitutis tuæ pristinis operibus. Vtique præclarum est bonis diu & benè insueuisse. mutatio omnis periculosa vtrique homini: excitat in animo nouas opiniones, fantasticas imaginationes, magnā molem tentationum, deijcit, & aliquando mortem conciliat homini, dispersis prius & insigni tumultu perturbatis sensibus, quod fit potissimum si inuitus eò descendit, &, se tantùm non cogi passus est ad illam nouationem status sui. Vulgare dictum est: *senum linguam difficilè mutaueris:* proinde magni operis, homi-

Ambros. offic. lib. 1. cap. 43.

1. Cor. 7.

Caietan. eodem.

nem, qui Deo in libertate assueuerat, nulla euidenti necessitate tanquam seruum abdere se ad iugum ab homine ferendum, qui hactenus liber & sui iuris esse consueuit. Grauius illi peccant & maiore cum periculo, qui compositis in speciem verbis & vanissimis promissis pellicere illum satagunt, neque potius curant, vt, si quid tandem statuendum sit, ipse sententiam liber & ingenuus de seipso ferat.

Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. Neque temporalium rerum cura negligenda est. potest iure inquirere, quae media futura sint corpori sustentando; & Christus praescribebat discipulis à quibus & quomodo vitae necessaria paraturi essent. *Vide suprà cap. 44.* Missurus in alias partes Eliam Dominus: *Ibi*, inquit, *de torrente bibes, coruisq; praecepi vt pascant te ibi.* *3 Reg 17. 4. Reg. 8.* Item: *praecepi ibi mulieri viduae, vt pascat te.* Vide benignitatem Domini. Audi, inquit, Helia: volo vt fugias & abscondaris à facie persequentium, & quia me donante vir prudens es ne te istic sollicitũ habeat cura corporis, vnde in ea vastitate cibum paraturus sis, *praecepi coruis, &c.* Quo humanissimo exemplo monet nos, qui aliorũ curae & saluti intendimus, ne locum demus excusationi vel tergiuersationi subsidiorum, vt omnem lapidem amoueca-

amoueamus, vt sentiant sibi cum hominibus rem esse, qui rationis & naturæ leges sequuntur: qui modus conciliat illorũ animos superioribus, mater amoris, obedientiæ, gratitudinis, simplicitatis. Vult Christus nos non esse sollicitos: *scit enim*, ait, *Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Scio, inquit, de victu vobis cura est, & benè, quæritis igitur? nihil horum latet patrẽ vestrum, qui in cœlis est: scit, quibus opus habeatis, ad quæ paranda membra corpori largitus est, & alia contulit, quorum opera victum conquirere possimus aut mereri. Vt omninò qui ad hunc modũ rem instituunt, cum ratione agant, vt prospectũ sit de necessarijs corpori, cuius necessario & indiuiduo ministerio ad omnia vtimur: ne tamen prĕter honestũ vsum nimia sollicitudine Gentilium in morem inordinatè laboremus. videat quisque, qua corporis, qua animi sui parte potissimũ valeat, qui sibi ad vitæ sustentationẽ modus aptissimus sit; ne quo modo Deum tentare videamur. Iterum: quod hæc bona attinet: si sentiat se quispiam duci ad opera Misericordiæ, ad Eleemosynas plena manu dilargiendas; videat primum ne cui debeat, æs alienum omne exoluat, sit satis iustitiæ, & erit grata gratia, &c.

Matth. 6.

Vide in hanc sent. lib. de vita actiua.

CAPVT CXI.

CONSIDERATIO V.

FVit: Rei ipsius consequentia, qui scilicet effectus cœpti illius futuri essent: quantum probabili ratione de futuris coniectura haberi potest, &c. ne videlicet locum demus quiritantibus, & scrupulosis hominibus, neque item audaciæ & temeritati. Ea quæ rem consequuntur, contingunt, & ferè sequi solent, quatenus historijs, experientia, & virorum prudentum sermonibus haberi possunt quibus præuidet & prospicit prudentia. *Iacula præuisa minus feriunt.* Vt, qui prorsus destinârit quicquam aggredi, malè & inconsultè facturus sit, quod ea negligat perspicere, quæ verisimili ratione rem sequuntur. Christus subinde monet Apostolos, præparat ad futura, repetit, inculcat, ne terreantur, solatur, confirmat. *Hæc*, inquit, *dixi vobis, vt cum venerit hora, memores sitis.* Et explicuimus alibi, quanti sit hæc cautio. Neque non magni facienda est futurorum prouidentia, si quæ difficultas, si quid molestum, &c. quod istiusmodi cogitationib⁹ infirmitas nostra sese aperiat, virtutum exercitijs via fiat & aperiatur.

Matth. 10. 24. Marc. 13. Luc. 21. Ioan. 16. 2. Reg. 8. De Monte cap. 8. D. Aug. in Psal. 99.

riatur. inde tanquam ex fonte ſanctus ille & ſalutaris Timor, humilitas, ſpes & charitas in Deum, ſtudium & cura ingens, vt immunes ſimus à peccatis, & vitijs contrarijs. Ait Ambroſius: *Petrus quamuis plenus fide deuotionis, tamen quia nondum conſcius noſtræ infirmitatis præſumptuosè dixerat Domino: Animam pro te ponam. & tentationem præſumptionis ante quàm gallus tertiò cantaret, incurrit: licet ipſa tentatio documentum fuerit ad ſalutem, vt non diſcamus contemnere carnis infirmitatem, ne contemnendo tentemur. Si Petrus tentatus eſt, quis præſumat? quis aſtruat ſe non poſſe tentari?* Et Cyrillus: *Maiora quàm ferre poſſet, Petrus pollicetur, & mirabili ardore animi mouetur. Chriſtus autem qui futuros tempeſtatis fluctus videbat: Hæc te,* inquit, *ſcio ita dicere Petre, quia futuras te ferre poſſe tentationes opinaris. Ignoras enim quàm magno incumberit impetu, quo tu victus ter me vna nocte negabis.*

Ambroſ. orat. de fide reſurrect. poſt init.

Ioan. 13.

In Ioan. lib. 9. c. 28.

Repetenda hoc loco ſunt, quæ ſuprà de Moyſe dicebamus, qui facie ad faciem cum Deo loquebatur, quid ille iam dicat, ingruente tentatione, & calamitatibus. Ibi præ ardore & flagrantia ſpiritus totum populi onus ſolus ſuſtinebat, ſu-

Cap. 109.

per quæ à socero reprehenditur, & consilium accipit, constituendi super populū principes, tribunos centuriones, &c. quod secutus est; sed cùm angustijs opprimitur, & videtur à Domino derelictus, longè aliter actionem instituit, neque sine causa Sanctissimi viri mores in Scripturis habemus expressos. *Cur*, inquit, *afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, &c. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est. Sin aliter tibi videtur, obsecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tãtis afficiar malis. Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de Senioribus Israël, quos tu nosti quod senes populi sint, ac magistri, & auferam de spiritu tuo, tradamq; eis.* Quo loco manifestum fit, quod Moyses iam pridē nō senserat magnitudine affectuum incitatus & reb⁹ prosperè cadentibus: iā afflictus vltrò cōfitetur supra vires suas esse: neq; sufficiunt in auxilium tribuni, centuriones, &c. ante constituti, requirit amplius: & largitur Deus pro

Exod. 18.
Deut. 1.
Num. 11.

requirit

sua

sua bonitate viros septuaginta: & quales viros? *quos tu*, inquit, *nosti quod senes populi sint*. Paucis verbis omnia complexus, satis docet, consilio, virtutibus, sapientia, & rerũ vsu supra cæteros præstitisse, quod ipsa senectus indicat. Fit tamen præter consuetum naturæ ordinem, vt cum ipsis senioribus, quando ita Deo visum est, sapientia certent & superent iuniores. *Supra senes*, inquit, *intellexi*. Et Paulus ad Timotheum: *Nemo contemnat ætatem tuam*. Ait Dominus: *& auferam de spiritu tuo* Hoc est: nihil tibi ad hunc diem defuit vel ingenij, vel iudicij quo minus his tot curis sufficeres: sed corporis & naturę infirmitas magnitudini laborũ par non est. Hæc spiritus ablatio non fuit diminutio gratiæ, quæ erat in Moyse: sed ꝙ persimilem senib⁹ illis largiturus esset. Nec satis fuit ꝙ senes essent, ꝙ sapientia & verũ vsu valerent, &c. sed electis à Moyse nouã gratiam, aliũ spiritũ impartitus est Dominus, qualẽ necessarium probis cõsiliarijs suprà diximus. Quamobrẽ vt quis maximè ingenio valeat, etiã atq; etiã videat, vt effectus & consequentias rerũ percipiat, prospiciat futuris quantum ratione potest: cumq; bona affluunt, veniant in memoriam mala, quæ sequi possunt.

3. Reg. 12.
Iob. 12.
Eccles. 39.
Sap. 4.
Psal. 118.
3. Reg. 3.
1. Tim. 4.

Hæc enim quę iam docuimus, quę considerãda & cauenda præscripsimus, tribus verbis explicantur in illo, qui sedens computat sumptus ad ędificandam turrim: qui gladio & galea Euangelij indutus bellum parat in hostes animæ suæ. Nimirum multa, collata conferunt aliquid, nec sic quidem perfecta rerum cognitio haberi potest: occurrent, cùm ad res ipsas ventum erit, magno numero, quorum nec per somnium in mentem tibi venerat. Et hoc modo quintæ considerãtioni finem faciemus.

* * *

CAPVT CXII.

CONSIDERATIO SEXTA, & Vltima.

CVra Reipublicæ est. siquidem huius Inspirationis ductum sequaris, quid inde commodi vel incommodi in Rempublicam redundaturum sit. neque feremus illos qui ex Euangelio obijciunt: *quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* quoniam hęc & his similia in Scribas & Pharisæos referri debent, qui *dicunt & docẽt quæ ipsi non faciunt, &c. qui nec digito suo volunt ea mouere.* & hæc malorum propria sunt qui suis commodis student, affectus & effrenatæ volũtatis suæ desideria sequuntur nec vlla cogitatione rerum publicarum. Sed qui probè & sincerè affecti saluti & commodis proximorum aut Reipublicæ laborant, idque ad Dei gloriam, cum spiritali aut temporaneo rerum fructu: fieri aliter non potest, quin illi sacrificiũ misericordiæ & gratiæ Deo offerant, modis omnibus gratissimum, in remissionem peccatorum: vt tandem digni fiant quibus maiora committantur, & ab his actionib. transeant ad con-

Vide super hoc Iacobũ Latomũ in suo quodlibeto.

Matth 23.

Luc. 11.

templationem, & alia, vt qui ad eũ modum publicis studeat nullum vtiq; dãnum faciat (non ea ratio est operum Misericordiæ) sed lucrũ, fœnus, diuitias thesaurizet in salutem animæ suæ. Quid enim si ille aliquot offensiunculis irritatus, eo nomine officijs & pristinę suæ vitæ institutis extremũ maledicturus, quæ cum multorum commodo erãt coniuncta, in alia feratur; ibi omnia tuta, tranquilla, beata sibi polliceatur, &, quod ferè fit, toto cœlo aberret, & longè grauiorem sarcinam istic reperiat; nunquid errare illum, decipi, & suæ leuitatis pœnas dare censebimus? Diuagatur ad externa, sed intus & in animo fundamẽtum poni debet: quærit alibi, quod ipse potest, & debet in se: accusat alios, sui solius iustissimus, & verus accusator futurus. Neque hîc verbum addemus. nam ad istius materiæ amplitudinem & dignitatẽ, quantæ virtutis, cuius meriti hæc sint, maiorem, vel totius libri operam requirerent: quæ tamen quia sui luce aperta sunt, in naturæ lege, in Scripturus & Ecclesię traditionibus, &c. multifariam expressa, inde ad satietatem petere, & expleri quisque potest.

CA-

CAPVT CXIIII.

QVID ILLIS FACIENDVM sit, qui in statu sunt, neq; solui ab eo possunt.

Quæstio.

EGo mihi vitæ genus aliquod iam elegi: vinctus teneor: Votū voui, &c. neq; tamen me paraui ad eum modum, neq; medijs illis vsus sum, quemadmodum hoc libro præscriptum est. quid igitur instituam, cum fieri nō possit, vt facta infecta sint?

Responsio.

1. Si ita est, & vitæ genus suscepisti, Ecclesiæ decreto approbatum, à quo tibi integrū non sit (siquidem saluus esse cupias) discedere, vide ne turberis, ne tibijpsi facessas negociū, & vanis vel insanis cogitationib. nequicquam quæras mutationem: insiste semel cœptis, perdura, vt Dei & Ecclesiæ mandatis per te fiat satis, crescas, & proficias. Ait Apostolus: *Alligatus es vxori, noli quærere solutionem.* Hoc est: ab his & similibus vinculis, quę in manu nostra iā non sunt, ne quęramus absolui: sed vt huius vitæ cursus ad Dei honorē quàm maximè proficiat. *1. Cor. 7.*

2. Ita iudicas, quod à te factum est,

causam fuisse, in inordinato animi istius appetitu, impotētia affectuū, metu, timore, & paruitate fidei &c. nullo respectu vocationis & beneplaciti diuini: vide vt à mala via tua auertaris, proijce te ad pedes Domini tui, ingemisce, deprecare ne pro merito in te animaduertat, animi saltem & voluntatis proposito reuoca,
Vide suprà cap.29. in fine. quod prestare non potes: nō sine ingenti dolore super errore, peccatis, & leuitate tua: te quidem meliora cupere & vehementer exoptare, locum iam nullum dari
Ca.13.106. re perfecta. Habet voluntas illa meritum suum, & subinde pro operis ipsius præstatione accipitur.

3. Vocationum Dei, quanta varietas sit, vide: quàm illæ hominum ingenia, modum, mensuram excedant, aliàs diximus: omnia comprehendit cordium in-
Prouer. 21. & Dyonis. ibidem D. Thom. opusc.18. cap.16. spector virtute & manu sua, vertit, mutat, inuertit, quādo sic visum est illi, quam voluntatem suam vt in homine perficiat, ponit in ore huius sermones suos, à quo homo ille consilium petat, & hoc accipiat: aliquando omnem operam hominum respicit, quia scilicet illæ sanæ mentis, perfectæ ætatis, plenus gratia & omni sapientia instructus est: eas proinde rationes & occasiones rerum dat, quæ nullius hominis consilium magnoperè

requi-

requirant, si tamen ille consilium petat, videat qui daturus est, ne spiritui gratiæ impedimentum faciat. Hæc qui intelligit, quis tandem omnipotentiæ & virtuti diuinę vincula & compedes inijciet? quis sententiam contra te reum pronunciabit in iudicio, tãquam inobedientem, & tenebras pro luce amplexum diuinæ gratiæ, cuius ea vis & potẽtia est, vt etiam peccata & malefacta in bonum vertat, quibus ipsis pro incredibili misericordia suauissimæ voluntatis suæ ad salutẽ nostram, gloriam suam vtitur? Exemplum. Destinauerat Deus *Ægypto* Patriarcham Ioseph, vt in illo Gentibus ostenderet gloriam magnitudinis & potentiæ suæ. quis pręscribet creatori rerum omnium, quibus ille medijs adhæc vti debeat? vtique nõ egebat ille fratrum suorum opera, sed vide quid agat, venditur Ioseph à fratribus suis in Ægyptum abducendus, & hinc tantæ rei exordium. Quis negat grauissimè illos in Deum & fratrẽ suum deliquisse? ignoscit tamẽ pœnitentibus, quæque constituerat perficit in Iosepho. ponit illum in salutem fratrum, patris, familiæ suæ, Ægyptiorum. per illum salus vniuersis in anima & corpore. Nouerat hæc Ioseph, & solatur fratres suos super commisso facinore. *Nolite pauere*, inquit, *Genes. 45.*

quit, *neque durum vobis esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum: præmisitq; me Deus vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis. Non vestro consilio sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis. &c.* Iterum: *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos. Nolite timere, ego pascam vos & paruulos vestros.* Atq; hoc modo fieri potest, vt permittente Deo imprudenter & preter ordinem debitum, atq; adeò cum peccato & vitio aliquem vitę statum sibi quis eligat, quem tamen ille idem pro sua bonitate vertat in bonum: quinimò votum, promissio illa tua, &c. ab auctore Deo proficisci potuit: neq; mirum, qui etiam selectos suos patitur cadere (merito iustitiæ, & culpa illorum) vt caueant grauiora maiore animo, contentione, precibus, humilitate, ad pleniorem & debitam virtutibus coronam exerceantur.

Gen. 50.

D. August. Enchirid. cap. 11. Dionys. Carth. in Gen. 45 & 50. D. Tho. 1.2. quæst. 87. art 2. ad. 1. Lib. de Mōte. par. 3 de Timore.

***

CA-

CAPVT CXIIII.

PRÆFATIO EST IN EXEMplum ſequens, accommodum inprimis & præclarum ad propoſitam materiam.

PRobandis ijs quæ proximo capite diximus, ecce tibi de Scripturis exemplum luculentum, fœcundum ſolatij, doctrinæ, &c. in hunc modum: *factum eſt autem cum ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos Iudices, ſuper Iſraël Et non ambulauerunt filij eius in vijs eius, ſed declinauerunt poſt auaritiã, acceperuntq́ munera & peruerterũt iudicium.* Samuel Propheta & Iudex ſenuerat, neq; tot iam laboribus ſufficiebat, 1. Reg. 8.

2. Conſtituit loco ſuo filios Iudices, quãtũ iudicare poſſumus, auctore Deo: neque enim fuit decesſorum quiſquam, qui idem fecerit, & Samuel eius facti nomine peius non audit.

3. Conſtituti à patre, exorbitârunt ſtatim, degenerârunt ab exemplo & iuſtitia patris. *& declinauerunt poſt auaritiam.* &c. neque enim iuuenilis probitas conſtantiam promittit ætate creſcente: mutatur ferè ad titulos, dignitates, ne non verum ſit quod vulgò dicitur: *Honores* *Dionyſius Carth. in hunc locũ.*

nores mutant mores. Sed quæ præpostera hominum est opinio, ita demum præclarè secum agi putant, si filios suos cæteros videant summo loco positos. Iterũ, quib. filij sunt degeneres, quorum subditi vel discipuli discedunt ab institutis, & tradita semel regula; hoc si faciant sine culpa Superiorum, discant hoc exemplo illi, firmentur animis: siquidem pro summo studio, perpetua diligentia, doctrina & exemplis eam gratiam referunt ingratissimi. Sed si parentum indulgentia ad tantum scelus quasi viam faciat, succur-
1.Reg. 3. 4. rit nobis Heli, cui successit Samuel, qui istius peccati merito cum filijs & familia internecione deletus in posteros pœnæ hæreditatem transmisit, & exemplum omnibus qui audituri, qui lecturi essent.

1.Reg. 8. Ait porrò Sacra Scriptura: *Congregati ergo vniuersi maiores natu Israël, venerunt ad Samuelē in Ramatha, dixeruntq; ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis, constitue nobis Regem, vt iudicet nos sicut & vniuersæ habent nationes. Displicuitq; sermo in oculis Samuelis eò quòd dixissent; da nobis regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad Dominum.*

4. Non ignorabant maiores populi qui venerunt ad Samuelem, quomodo

filij Heli flagitijs & pessimo exemplo ipsi populo fuissent in ruinam, & quasi duces ad omnem pietatem, & cōtemptum Dei: qua causa seueriore vindicta coërcuit insolescentes suorum animos Dominus, triginta & quatuor hominum millibus, (in quibus & Heli filij occidione occisis. Ideoq; cum eandem peccatorum foueam Samuelis filij deuenirent, vtique iam pridem suo malo edocti, timebant, ne in caput populi pœna redūdaret: & congregati (pro iudicio hominum) prudenter scilicet & rectè rem instituunt. *Ecce*, inquiunt, *tu senuisti*, &c. Explicemus hoc modo: Venimus ad te rerum difficultatibus commoti, & periculorum, quibus premimur, necessitate: & ipsa religione, cuius nobis prima debet esse cura; neque id quidem per seditiones & conciliabula, neque apud alios, quorum potentia & auctoritate niti possemus, instituendum putamus; sed apud te, cuius sanctimoniam ab ipsis vitæ initijs vsq; in hunc diem pernouimus: satis certi, quàm non tibijpsi studeas, non filijs, non familiæ tuæ, &c. sed enimuerò decuisset hos seniores rem longè aliter instituere: debebant Samuelem monuisse super peccatis filiorum, tùm & ipsis Iudicibus constitutis proposuisse grauitatem

tatem peccatorũ; neq; hac coitione manifesta, per ruborem & contemptum fidelissimo & constantissimo Prophetæ, filijs & totæ familiæ detraxisse. Etiã his tẽporib. subditi, filij, &c. zelo aliquo sed non secũdum scientiam inducti, aũt aliqua virtutis & pietatis specie, in superiores suos incurrunt, & conspirant, nulla monitione legitima, aut quæ modestos & pacatos animos deceret, præcedente. Quod quidem imprudenter & præter ordinem fit, nam neq; illi qui imperant, neque qui subsunt non labi possunt, homines sunt, humana patiũtur. ille optimus qui vitæ emendationẽ instituit: neque enim nobis licet mutare, quę semel Deo auctore constituta sunt. quoniam illi, quibus summa rerum mandata est turpiter & in peccatis agãt (mitto leuiores offensiones) patientia opus est, vt tandem fateamur hoc fieri merito peccatorum nostrorum: facilè Deo esse hæc in bonum vertere, & facturum modo suaui cùm opus erit. Vtique peccarunt illi, & ingratitudinis condemnandi sunt, qui Prophetam sanctissimum, iustissimum Iudicem & amicissimum, tota vita probatum tam indignè proiecerint: à quo diuini & humani iuris consultissimo nec consilium petunt:

Suprà c.21. 22. & seq.

eius

eius sententiam exquirere & sequi curæ illis non est, æquè pertinaces & superbi. nec quidem per Samuelem virum in oculis Dei acceptum, oraculum consulunt: ita castissimos & visitatos piorum hominũ mores præfracti homines transilierunt. *Et displicuit sermo in oculis Samuelis, eò quòd dixissent, da nobis Regem, &c.*

5. Quibus verbis docemur quòd hîc sermo displicuerit Samueli, non quia Iudicium suum & filiorum suorum detrectarent: procul erat ab hoc vitio, nulla suorũ gloria æstuabat, priuatas filiorum opes augeri non desiderãs, totus ad Reipublicæ salutem ferebatur.

6. Probabimus hoc singulari exemplo sententiam sapiẽtis: *Anima viri sancti enunciat aliquãdo vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandũ.* Videlicet caligabant aliquorum oculi: sed hîc, qui penitius rem introspiceret, videbat rerum cõsequentias, & huius petitionis radicem, fructus, & omnia mala, & ingrata coram Deo. *Eccles. 37. Vide suprà cap. 27. in fine.*

7. Nec verò rei indignitate in iram conuertitur, nõ obloquitur, neq; ad verborum cõtentiones & acumina descendit. orat ad Dominum; ibi quid velle, quod cõsilium sequi debeat, accepturus.

Hoc

Hoc ſemper in vſu fuit ſanctiſſimis quibuſque, non ſententiæ ſuæ placitum ſequi, ſed ijs relictis, quæ carnalia & humana erant, in Deum conuerti.

CAPVT CXV.

PERTRACTAT CITATVM Sacræ Scripturæ locum, & qui iniqua populi deſideria Deus exaudierit.

AIT Sacra Scriptura: *Dixit Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Iuxta omnia opera ſua quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Ægypto, vſque ad diem hanc, ſicut dereliquerunt me, & ſeruierunt dijs alienis, ſic faciunt etiam tibi. Nunc ergo vocem eorum audi: veruntamen conteſtare eos, & prædic eis ius regis, qui regnaturus eſt ſuper eos. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à ſe Regem, & ait: Hoc erit ius regis, qui imperaturus eſt vobis, filios veſtros, tollet, &c. Et clamabitis in die illa à facie regis veſtri quem elegiſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiſtis vobis regẽ.*

Noluit

Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam, rex enim erit super nos, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis. Et audiuit Samuel omnia verba populi & locutus est ea in auribus Domini. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & constitue super eos Regem,
Vidimus importunitatem populi & seniorum: porrò videbimus quid Dominus respõderit illorum postulatis, cuius prima vox fuit: *Non te, sed me abiecerũt.* 1.Reg. 10.
vox indignantis, cui displiceret carnalis 12.
sapientia, & innouatio populi. Nimirum 1.Cor. 3.
huius mundi sapientia, stultitia est coram Iacob. 3.
Deo. & ab Apostolo, *terrena, animalis, diabolica* nominatur.

Selegerat Dominus sibi populum illum, & sinceriore quodam affectu complectebatur, neque in eandem sortẽ cum reliquis volebat deuenire, sed tanquam filo humanitatis & mansuetudinis suæ ducebat illum, vt diuiniore spiritu & regia via deductus, proficeret ad salutem & cumulum bonorum omnium, cum certa in Deum fide, spe, fiducia, charitate, &c. ideoque vt libertati quàm optimè esset, neminẽ super eorũ regẽ constituerat, quemadmodum Nationibus: volebat sibi soli manere imperiũ in Iudæos

stabile & integrum: non in eum sensum,
Psal. 94. quo rex regum dicitur, & Dauidi *rex super omnes Deos*; sed simplicissima quadam & certa ratione, absque vlla Regalis fastus admixtione. Si quæ tum necessitas; si qua alia calamitas oppresserat, excitabat Saluatorem & ducem populo suo magno miraculo, qualem maximè exoptasset, defensioni & liberationi. Vt si princeps laborantibus suis pro arbitrio summittat hunc vel illum, ne tamen spes vlla maneat successionis in filios: quod aliter est in Regibus, succedit in demortui patris locum filius. Hoc modo prospiciebat Rex Dominus electo suo Israëli, neque continua successione, sed cum res & necessitas requireret, summittebat illis iudicem, aut
Vide suprà cap. 26. 27. principem. Ad hūc modum sunt etiamnum, quibus nemo est, cuius ductum & consilia sequantur, & si quando contingat, deficit ille mox: accurrit tum Deus pro sua gratia, erudit per se, per alios exemplis, verbis, pro rerum &
Gre. dialo. lib. 1. ca. 1. suprà ca. 1. Li. de Mõte par 2. & 9. de temporum occasione, & ipsa Inspirationum varietate. Quo pacto crescit in illis humilitas, timor, nusquam superbi, aut remissi, prompti & alacres ad omnem vel minimum motum diuinæ gratiæ vndecumque ille affulgeat. In hunc
sen-

ſenſum libenter captiui audiunt & cum *Timore.*
illis cenſentur, de quibus Apoſtolus. Di- *2. Cor. 10.*
ximus ſuprà parùm prudenter facere, atq; adeò ſummæ inſipientiæ condemnandos, qui pro ſui cerebri opinionibus certa petunt, fluctuare nolunt, volunt conſtare de his vel illis; qua demum præſumpta certitudine in hac rerum humanarum fragilitate nihil incertius & minus conſtans. ſola certitudo in veritate fidei, ſpei, charitatis eſt, in patientia, longanimitate & illa virtutum corona, quæ innititur lapidi angulari, qui eſt Chriſtus Ieſus. Igitur voluit ille populus regem exemplo vicinarum gentium, quod filij Samuelis paternis veſtigijs non inſiſterent, improbi & auari, quodque inſurgerent hoſtes, neque videretur ſatis præſidij in illis fore: tanquam non eadem ratio regis & ſucceſſorum futura eſſet, aut illi communem hominum ſortem excederent, errorum, malitiæ, & turpitudinis expertes: cùm ex tanto numero Regũ Iudæ & mox Iſraëlis pauciſſimi eam retinuerint conſtantiam fidei & pietatis, quam debebāt. tanquā eo ſolo illuſtres, ita populo ád omne ſcelus & impietatem præibant, eorumq; peccatorum merito, ira Dei, flagella, miſeriæ in

populo redundarunt. Potuit his responderi: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificāt eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Vana illorum spes & fiducia in Rege, homine, & communibus hominum infirmitatibus subiecto: si nō Dei timor animos, & corda illius occupet. sensit hoc & declarat sapientissimus Samuel.

Psal. 126.

Ait Dominus: *Audi vocem eorum, & constitue super eos regem.* Deus indignitate rei in iram commotus, fecit secūdum desideria eorum. & hoc ferè proprium Deo, & peculiare quoddam vindictæ genus, cuius crebra in Scripturis repetitio. ita fit hodiè, discipulorum, subditorum, filiorum conatibus & studijs deferre debent ipsi parentes, magistri, &c. omninò præter animi sui sententiam. Contra Augustinus descripturus mores sanctissimorū hominū sermone ad Deum conuerso, sic inquit: *Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipse voluerit, sed potius hoc velle, quod à te audierit.* Et ait Deus: *Veruntamen contestare eos, & prædic eis ius regis, &c.* si fortè rei grauitate percepta, saniora sequantur. Habent exemplum quod imitentur viri in dignitate constituti,

1. Reg. 12. Num. 11. Psal. 77. D. August. de vinit. Eccles. cap. 16. & de hoc suprà cap. 96. Idem l. 10. confes. c. 26 Item de ser. domini in monte. Chrysost hom 51. in Matth.

tuti, quibusque de alijs cura est: si quando illi nouitate rerum illecti, vnam pro defensione pertinaciam & factionem meditentur: tum verò rei difficultatem, pericula, & secuturas exinde calamitates exponant. Ita Paulus: *Si nupserit virgo, non peccauit; tribulationem tamen carnis habebit huiusmodi. ego autem vobis parco.* Hoc est, habebit abundè quod illam retrahat & impediat à cultu Dei, turbas, molestias, & miseriarum magnam molem. Sed (patet & patebit hoc ipso exemplo) rebus ad eum modum constitutis & perfectis, virtuti & gratiæ diuinæ nihil inuium est, in illo possumus omnia & superamus. Faciamus loquẽtem Deũ. Vos ô filij huc venistis deprecaturi miserias & ruinam Reipublicæ vestræ: tantorum malorum auctores filios Samuelis desertis, paternæ virtutis immemores: quibus tot malis vt obuiam eatur, consilio pertinaci Regem flagitatis: neq; videtis hominum miserrimi, quanta quorundam regum crudelitats, auaritia, quàm incredibilis in subditos tyrannis, quæ cum oppresserit vos, & venerit hora illa, clamabitis, & nõ exaudiam. Quæ ratio, quis color querelarum erit? nónne effectus causam sequitur? & hanc voluistis, an cum te naui commiseris, spreta

1. Cor. 7.
Phil. vlt.

Esaiæ 1. Cum multiplicaueritis orationem nõ exaudiam, &c.

naui & ventis (quos tanquam secundissimos elegeras) in mare te conijcies? Experimur proinde incredibilem hominum malitiam, arrogantiam, audaciam, quibus molestum non est, cuius causas in se solos referre possunt. adeò satis est ad quamcumque tolerantiam deprauatæ voluntatis affectio, quâ causa placuit: si quid occurrat, grauet, si qua alia molestia enascatur quam sibi nō persuaserint, modica & in comparatione prioris nulla, cœlum & terram inclamant. *Et noluit populus audire vocem Samuelis, & dixerūt: Nequaquam rex enim erit super nos, & erimus nos quoq; sicut omnes gentes, &c.* Nimirum ea multorum peruersitas est, qui cùm optimè agant & collatis Dei donis beatissimè frui possint, neque Dei spiritum in animo, neq; hominum verba & grauissimas admonitiones dignantur: eligunt sibi regem alium: Hoc est, volunt cum huius mundi sorte computari, non diuitijs, libertate, moribus, vestitu, &c. vel potentissimis & insolentissimis concedere. neq; abijcit promeritos, neq; Deus pœnas ingerit: relinquit illos sibi, annuit postulatis, & pro incredibili bonitate sua adijcit vltrò & defert auxiliū iniquissimis: vti & huic populo præter cætera optimū Regē largitus est.

CA-

CAPVT CXVI.

QVI CONVERTAT ET SOletur illos Deus, qui in vitæ statu, & promissionum vinculis alligati sunt.

1. Constat satis ex ijs quæ iam docuimus, quanta moderatione, mãsuetudine, &c. vtendum sit ijs, qui docere alios, consulere & præire volunt; quàm se accommodare debeant, si res ipsa cum Dei mãdatis & Ecclesię non repugnet, & alioqui simpliciter mala non sit. Vult Apostolus *seruum Domini non litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum patientia corripientem eos, qui resistunt veritati, ne quando det Deus illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius volũtatem.* 2. Tim. 2. Atq; hoc modo postquàm Regem consecuti essent, & illo duce res prosperè cessisset, cõuocauit Samuel populũ, vt cõfirmaretur regnũ electo, sacrificijs, & omni gratitudine, festis gaudijs. &c. Ipsa Regia electio cũ ibi innouaretur, multis verbis conatus est ille institutæ iam potestatis

regiæ vires non eneruare, sed inflectere populi animos, vt eorum, quæ tam temerè magno animi saltu & pertinacia patrârat seriò pœniteret. neq; tamen vllum satis magnum testimonium extat contriti & cōmoti animi in ferreis pectoribus. Concludit ergo Propheta sanctissimus in hunc modum. *Sed & nunc state & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Nunquid non messis tritici est hodiè? inuocabo Dominum. & dabit voces & pluuias, & scietis & videbitis quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos Regem. Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluuias in die illa. Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelē. Et dixit vniuersus populus ad Samuelem: ora pro seruis tuis ad Dominū Deum tuum, ne moriamur. addidimus enim vniuersis peccatis malum, vt peteremus nobis Regem.* Nimirum verissima Pauli est sententia: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus. stultitia enim illi est, & non potest intelligere.* Hi maiores natu Israël eò indurationis venerant, humanæ sapientiæ desiderijs illecti, vt præter illam, neque Dei neque hominum sanctissimorum consilia saperent, non minis

1. Reg. 12.

1. Cor. 2.

minis & pœnis deterrentur: tandem virtute miraculi cœcus ille populus expergiſcitur. hoc reliquum erat, & impetrârat Samuel, ne non pœniterent. Neque deſunt his temporibus, quibus fruſtra adhibeas humana & diuina omnia: miracula, aut inſignis inuecta calamitas corda illorum emolliunt. Neque enim fallit Christus *Niſi*, inquit, *ſigna & prodigia videritis, non creditis; ſed beati qui crediderunt, & non viderunt.* Et verò illa eſt incredibilis Dei miſericordia, ſi hominibus perinde obſtinatis & duræ ceruicis, vt his Iudæis, ita fidelem amicum Samuelem (& interpretatur, à Domino conſtitutus) largiatur, qui nihil ſibi reliquum faciat ad perpetuas preces & propiciandum illis Deum (quam ipſam conditionē inter cęteras Conſiliarij dotes ſuprà requirebamus) & ſi omnibus tentatis nihil ſit, acrioribus machinis, vocatis in auxilium elementis, quaſi vim illorum animis adhibeat ad extorquendam pœnitentiam. Animaduertenda Prophetę prudentia: qui hoc pharmacum doloris tum demum propinat, cūm illorum votis ſatis fuiſſet factum: cumque omni lætitia & gaudijs perfuſi illa pertinaciæ & factionum tempeſtas conſediſſet.

Geneſ. 11. cœperunt nec deſiſtent, donec, &c.

Vide ſuprà cap. 72.

Ioan. 4. 10.

Ait igitur Scriptura: *Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere, vos fecistis vniuersum hoc malum: veruntamen nolite recedere à tergo Domini, sed seruite Domino in omni corde vestro. Et nolite declinare post vana. quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. Et non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum; quia iurauit Dominus facere vos sibi populum. Absit autem à me hoc peccatum in Domino, vt cessem orare pro vobis: & docebo vos viam bonam & rectam. Igitur timete Dominum, & seruite ei in veritate, & ex toto corde vestro. Vidistis enim magnifica, quæ in vobis gesserit.* O incredibilem Dei bonitatem, misericordiam, mansuetudinem, qui vt omnibus testatas faceret diuitias gloriæ, humanissimæ & beatissimæ naturæ suæ, ecce tibi per famulum suum Samuelem, quàm fouet populum, & tanquam sedula nutrix *prouocat ad volandum pullos suos*: non illos tantum Israëlitas, sed quicunque tandem illi sunt, peccatores, immorigeri, &c. qui Regem, hoc est, singulare aliquod sibi elegerint, quod re semel constituta, mutari ab illis nō possit. Sed vide, in illius populi mores inspicie, quanta

quanta humilitas, quanta animi demissio: præ verecundia vix tollunt oculos, & intercessorem quærunt: *Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum,* &c. non se attollunt, sed ita: *pro seruis tuis ad Deū tuum,* vt se deijciunt. Idem ille Publicanus factitabat, *qui nec oculos ad cœlum leuare audiebat:* tanquam extra numerum filiorum Dei segregatus: & hi, vti læsæ Maiestatis rei, nec Dei filios pre pudore se ferre audebant. Quo tali habitu, tanta vultus & animi mœstitia, perfecta inprimis humilitate satis testabātur, quo animi affectu ducerentur, & tamen efflagitant intercessionem & preces Samuelis. Negat aliquando remissionem peccatis Dominus, nisi ab amicissimis exoretur. quod tum euidenti & iustissimo iudicio facit, quando in ipsos Dei amicos tanquam secundo gradu grauissimè deliquerant. Sed ne præsumptio crescat de misericordia, accedit iustitiæ vindicta: *Quod si perseueraueritis,* inquit, *in malitia: & vos, & Rex vester pariter peribitis.* Quod Dominus in Noua lege repetit: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

Luc 18.

Vide suprà cap. 4.

Iob. vlt.

Ioan. 5.

Matt. 12.

Igitur manifestum est Scripturarū testimonijs, si qui sint, qui temerè, leuiter, superbè; breuiter, qui suis vitijs inducti

Bern. de Sen ser. 3. & 4. post Pentecost. singulari vitæ generi facto, officijs se mācipârint, non illis spem veniæ abscissam: conuertantur ad Dominum in humilitate, patientia, precibus, & aliorum orationes efflagitent, quamque ipsi exspectant, alijs exhibeant misericordiam: vt *Hebr. 11. Sancti per fidem vicerūt regna.* in eo statu quem cœperunt perseuerantes, in bono crescant. quodq; in vitijs & peccatis cōceptum erat, finis coronetur in gloria & sanctitate. *Psal. 27. In te erip &c. & in Deo meo transgred. murum.*

Posti emùm hoc notabimus: Deus hoc affectu, his oculis suscipit illos, vertit in bonum malè inchoata, vt effectum quàm maximè salutarem sortiantur, totaq; res in Dei gloriam purissimis sensibus demùm referatur. qui exēplo Israëlitici populi Regem sibi elegerunt, &c. nunquid hos hac gratia indignos censebimus? non pulsabunt, non clamabunt, nónne tota animi fiducia Dei opē suspirabunt? qui, vt potuerunt infirmi & imbecilles optima intentione aliquod vitæ genus, cōuenientissimū arbitrati, ita sibi maximè sequēdū existimârūt, ideoq; fidē votis & vinculis firmârunt? nec enim Christiani officij, vitæ, seruitij genus vllū est, quod nō piè & cū salute animæ obire quisquā possit. neq; tamen non differūt, via, ratione, ordine, simpliciter & per se, huic vel illi accommodata, merito item & aptitudine. *Vide suprà c. 9. & seq.*

Finem

Finem dabimus huic capiti in senten- tia Chrysostomi verè aurea, plena mel- lis & solatij super illa Christi verba: *Qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit. Quia incipere multorũ est, finire verò paucorum. Semper in principio dilectio est, in fine probatio. Nemo enim circa Deum tantummodo usq; ad finem potest perseue- rare, nisi qui propter Deum tantummodo factus est Dei. Omne enim quod propter carnem fit, corporale est, quemadmodũ & caro ipsa temporalis est. quod autem pro- pter Deum fit, æternum est, sicut & Deus ipse æternus est. Cor bonæ fidei est exitus bonus; quia non incipere aliquod bonum gloriosum est, sed finire. Nam quod inci- pit, corporis voluptas est frequenter: quod autem finit, virtus est animæ. Nam fre- quenter cõcupiscentia carnalis incipit bo- num, sed non finit nisi gratia Dei. Quum ergo conuersus fueris ad Deum, & cœperis Deo seruire, & opera iustitiæ facere, ne aliquando acta tua recorderis, sed finem tuum cogita: quia præteritorum bonorum consideratio iactantiam operatur, consi- deratio autem finis timorem.* Igitur cau- sæ non est cur deficiat, aut concidat ani- mo quisquam, quia cœpit: neque se pu- tet à peccato immunem fore qui moras trahit, & connectit excusationes: ne vi-

Chrysost. cap. 10. hom. 24. in Matth.

Philip. 3. Quæ retrò sunt obli- uiscens, &c.

 delicet

delicet non magno animo & cum Dei gratia incipiat, quod faciendum est.

CAPVT CXVII.

QVOD DE INSPIRATIONIbus, quæ ad Religionem vocant & consilia Christi: quodq́ super ijs sententia & consilia peritorum peti possint.

D. Thom. 2.2. qu. & art. vlt. & in opusc. 18. cap. 9. 10.

ESt idem sensus omnium Doctorũ, etiam vocante Deo per Spiritũ Sanctum esse duo, super quibus consilium quæritur apud viros pios & prudentes, quales suprà descripsimus Consiliarios.

1. Modus est, quo rem ipsam instituere, & expedire possimus.

2. Defectus & impedimenta, an scilicet quicquam tale sit, cuius causa res in effectum deduci nequeat, aut alioquin consultius omittatur. Quæ cum suo pondere multò maxima sint, illis tamen viris sanctissimis & doctissimis digito monstrasse, visum fuit satis. Si de Modis quærimus, quos primo loco ponebamus, sunt illi sanè varij & differentes. Exemplum; Vocaris ad Cõsilia Christi: ijs obediunt pro varietate vitæ & morum cuiusque, qui Ordini aut Monasticę

Actor. 2. 4. Thom.

se dant,

ſe dant, Anachoretæ, Heremitæ, neque nõ & aliqui qui in ſeculo viuunt: quemadmodũ qui inter Chriſtianos fuerunt primi, & multis poſtea ſeculis præſtantiſſimi quique. ſed hic viuendi modus neque periculo caret, & prudentia opus habet, rara inprimis. Iterum: qui non iam Religionem, ſed certã aliquam ſpeciem Religionis cogitat, benè faciet, ſi rationem ineat, qua via & quo modo. Videlicet an cũ conſenſu parentum, quemadmodum de Moyſe & Iacobo ſuprà docuimus: iterum, an vt res ſuas rectè atque ordine cõſtituat, aut verò relinquat omnia. ſunt plura alia, quorum explicatio neceſſaria fortaſſis in ea cauſa ſit. quib⁹ omnibus hoc quæritur, vt ad maiorem Dei gloriam piè & prudenter hoc propoſitum noſtrum referatur, cũ profectu aliorum, pace verò & quiete noſtra: ne ſcrupulis & tricis quibuſdam vllus vllo tempore locus fiat.

opuſc. de perfect. cap. 23. & opuſc. 18. cap. 15. Latomus de inſtit. mon. c. 8. in fine. Auguſt. de hær. c. 40. Proſper. de vit. contemp. lib. 2. cap. 9.

Eſſe etiam, quæ effectum impedire poſſunt, manifeſtum eſt vtriuſque partis conſideratione. Qui enim à Deo motus apud ſe deliberat, de vitæ aliquo ſtatu ineundo, Religione, Monaſtice, &c. ille, cuiuſcumque ætatis ſit, eſſe incapax, aut alioquin ineptus ſuo & aliorum iudicio ad tantam functionem haberi poteſt.

poteſt. Quod ita eſſe vel eo probari poteſt, quoniam pro Eccleſiæ vſu iam olim obtinuerit, qui Patres ſunt, aut in locis Religioſis Primatum tenent (vtique via & Ordine legitimo) illi cum animum & affectum viri illius probârint, qui ſeſe in Ordinem recipi cupit, diligenter & ſedulò introſpiciant, anne quicquam impediat: an aliqua ſui parte deficiat: an functioni iſti modis omnib⁹ aptus ſit. Quo fine annus minimum eſt, quem Probationis vocant: vt ſi quicquam obuolutum delituiſſet, cuius iudicia prima inquiſitione non potuiſſent, tanto tempore euoluatur & prodat ſe. Eſſet modis omnibus optandum teſte Baſilio, ſi ea animi inconſtantia, ſi, quæ in corpore, quæ in naturæ viribus quoquo modo impediunt, ante illam probationem patêre & diſcuti poſſent: ſed etiamnum tempus eſt, & in hunc finem annus ille: vt quantũ humana ope & conſilio poſſumus, tota res aptiſſimè ante illam ſolemnem profeſſionem cõſtituatur. Quo ipſo ſatis conſtat, etiam illum, qui parato & prompto animo ſit, poſſe multis modis impediri. Atque vt ab hac parte nihil admodum ſit quod repugnet, ab Ordine & ſtatu ad quem fertur, fortè an difficultas paratur. Sit ita: nihil impedit

Baſil reg. fuſ. diſp. inter. 10.
Latomus in quodlibeto.
Dionyſ.

quo

quo minus Christi consilia sequatur, *Carth. serm. 6. de sept.*
quibus solis vis & auctoritas Ordinum
omnium innititur: an non societas, col-
legia, fraternitas, cœnobia dabunt ali- *Thom. 2.*
quid ipsa sua varietate in regulis, ieiu- *2. qu 184.*
nijs, precibus, &c. quo iustissimè impe- *& opusc.*
diatur? Et omninò qui Societati tan- *17. per tot.*
quam corpori membrum velit adapta- *& opusc. 18.*
ri, videndum illi est, vt in omnibus con- *cap. 6.*
ueniat: ne, si præter aut supra alios quic-
quam agat; totius corporis harmonia
soluatur & perturbetur; aut insuauis &
molestus sit omnibus. Fortè nec Cœno- *Greg. dial.*
bij vel loci, quem expetit, ratio illa est, *lib. 2. c. 3.*
quam existimat, imò contraria prorsus *Dionys.*
ab expectatione & spe suâ. nam & San- *Carth. in*
cti Benedicti temporibus atq; adeò om- *sen. cap. 6.*
nibus omninò sæculis in cœtu aliquo vel *August. in*
societate inuenire fuit bonos & malos; *Psal. 99.*
doctos, stupidos: plures aut numero pau
ciores. Fit item, quoniam abundant, lo-
cus esse venienti non possit. ita videmus
multos sæpè, dum sperant se recipi, spe
viuere: ætate demum & viribus ad tan-
tam functionem sustinendam deficere.
Aut tandem ea Monasterij illius inopia
est, vt, si plures suscipiant, quoniam il-
lis alendis pares nō sunt, in decreta Con- *Concil.*
cilij Tridentini incurrant. Quæ omnia *Trident.*
nihil obstant, quo minus ille ipse animi *sess. 25. c. 3.*
motus

motus ab auctore Sancto Spiritu sit, quo qui vti possit, magno commodo vtetur: cum hoc Dei munus longè maximum sit, qui eam voluntatem pro sua bonitate homini largitus est, atque adeò tanquam promerito coronam parat: quia id quod factis non potest, animo saltem enixè desiderat. Velle enim & factis non posse ad omnem gloriam satis est? vt qui ad eum modū ab animo constitutus sit, Deo, Ecclesiæ, Scripturis, & rectæ rationi consentaneum se faciat. neq; tamen ille reliquum quicquam sibi faciet ad diligentiæ & studiorū labores, vt ea tandem moribus & vita, quæ Ordo ille requirit, exprimat. Etiām atque etiam quod dicimus aperiendū est. Est, qui Ordinē desiderat, sed, quia incapax & ineptus, absistit, & saniora consilia sequitur: sed hic apud se expendet, quid Regula illius Ordinis habeat, & quanto maximè potest, discreti & temperantis animi studio ea omnia persequetur & efformabit in silentio, ieiunijs, &c. Iterum: illi ex vsu nō est in silentio vitam transigere, quemadmodū qui in Cœnobijs agunt: at, quod ea tanquam constituta hora non potest, id tempore sibi & suis negocijs commodo poterit extra Monasterij septa constitutus. item: non illi præstituta hora licet ad ora-

Vide quæ de Dauide suprà diximus cap. 106. deq; imitatione Christi in paruis cap. 14.

ad orationẽ, ad labores, ad somnum, lusus, &c. se dare; illa tamen suis spacijs, suis temporibus licet incertis, vt res feret, faciet. Qui obedientiam tolerare non possit, qualis à monacho requiritur, habet suos quibus parere debeat aut possit in seculo, vel in Ecclesia: magistros, parentes, Dominos. atque adeò quisq; debebit illi subesse, quem se peritiorem & doctiorem arbitratur. Nam qui valetudine aut seruitio impediuntur, quo minus id agant ꝙ volunt, non id debebunt quod libet, sed quod possunt. illis verò, qui se alicui vitæ generi, quouis etiam iudicio addixerunt, alia superioribus aliquot proximis capitibus iam præscripsimus.

CAPVT CXVIII.

QVO SENSV DICATVR. IN Inspirationibus non esse consilium ab homine quærendum.

ID si lectione vel auditione accipiamus in ijs, quæ ex se bona sunt, aut inter ipsa bona multum præstant, quemadmodum Consilia Christi, &c. ita interpretabimur: nequaquam super ijs aliorum Consilia requirenda tanquam dubijs, & non de sui natura verissimis & optimis hoc enim qui affirmaret, in Deum ipsum iniurius esset. *Thom. 2. 2 qu. & art. vlt.*

Vt qui

Vt qui dubitet an simpliciter bonum sit sequi consulentem Christum? Est enim ea Christi genuina doctrina ab Apostolis & Ecclesia in hunc vsque diem deducta, in ijs Christum imitari, opus esse absolutè bonum & perfectum. Igitur quod super hoc amplius quæramus, nihil est. Iterum: si quisquam flagrans charitate ad ea ducatur, velit & cupiat, quis ita demens, qui consulat alios an affectio illa proba & sancta sit? esse, dubium non est: etiam cum illius origo & causa ab inimicis nostris est qui vtique possunt spe alicuius mali, quod incurramus, bonum nobis proponere, quo pelliceamur tanquam in foueam: neque tamen ijs ita propositis bonis affici in ea amore casto & sancto ferri possumus, nisi Deo dante. Atque adeò si arte vel astu inimicorum nostrorum excitati bonum aliquod opus pessima intentione suscipiamus, an non voluntas nostra à Deo per gratiam mota, id, quod malè cœpit, emendato animo ad pulcherrimū finem, cum irrisu hostium, cum salute animæ & corporis potens est deducere? quamobrem de his consilium nullū capimus, vt quæ sua luce clara & aperta sint. sed quoniam omnia omnium nō sunt, verè pij & prudentes consilium petunt, duntaxat apud illos,

Thomas opusc. 18. cap. 10. Bernard. de senis ser. 4. de festo pentec. Vide cap. 113. & 116. suprà.

Thom. 1. 2. quæst. 108. art. vlt. ad prin.

illos, quorum exploratam habent animi integritatem, fidem, &c. quales suprà diffiniuimus: nequaquam ignari consilia Christi simpliciter accepta esse sanctissima, illumque animum & cogitationes suas: sed hoc quærunt an ex voluntate Dei apti sint, & possint re ipsa præstare quod animo concupiscunt. De Scripturis exemplum ponimus in Dauide rege, viro iam inde à vitæ initiis secundum cor Dei: qui senex plenus doctrina & rerum experientia, inspirante Deo singulari affectu ductus est, in ipsius Sanctissimi nominis laudem templum ædificare: atque ita cum ille animus & opus ipsum omni commendatione dignum esset, idem tamen ille consilium sibi super hoc quærendum existimauit; non apud Assessores suos, quibus gubernando imperio vtebatur; sed in re sancta & spiritali Natan Dei Prophetam consuluit. & ecce Dei iudicium. Propheta ille necdum à Deo edoctus, neq; consulto desuper Oraculo quemadmodum debebat (tanquam in re quę nullum dubium sui luce pateretur) respondet pro iudicio suo, qui tamen Deum in se loqui putaret: *Omne*, inquit, *quod est in corde tuo; vade, fac; quia Dominus tecum est*. Hoc est: illa tam sancta cogitatio non nisi

2. Reg. 7.
1. Paral 17.
suprà cap. 106.

nisi à Deo est: fac quod Deus vult, quoniam ille tecum est: neq; res consilio aut veri indagatione maiore opus habet. *Factum est autem in illa nocte, & ecce sermo Domini ad Natan, dicens: Vade, et loquere ad seruum meum Dauid: Non poteris ædificare domum nomini meo* Cuius præcepti rationem addit (consueuit enim Dominus pro incredibili sua bonitate hominibus ratione vtentibus etiã rationem reddere.) *Multũ sanguinis effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo tanto effuso sanguine coram me.* Ecce tibi primum impedimentũ in illa tam pulchra Inspiratione; quod quidẽ primo illo motu nõ perseuerat Natan. *Quamobrem etiamnũ irregulares sunt*, qui se effusione humani sanguinis contaminauerunt. Secundò, potest hic duobus modis considerari voluntas Dei. Volebat sanè Deus velle hac Dauidẽ: vt opere ipso præstaret, nolebat. Tertiò admiranda humilitas Prophetæ, quẽ nihil puduit aut tæduit reuocare, ꝙ magna & cõstanti oratione potẽtissimo Regi persuaserat. Inde verò quãta Dauidis modestia: qui neq; sapientia, neq; virtute se tantũ præstare putabat, quin potius consiliũ ab illo petijt, quẽ sibi subditum intelligebat. *quã humilitatẽ* (quod in Can-

1. Paral. 22.28. de hoc & Hieron. con. Iouinian.

in Cantico ait Maria) *respiciens Deus* administro Propheta erudiuit famulum suum: exemplũ constituens ijs omnibus, qui consilium daturi sunt, ne, si dato iam, aliquid rectius & sanius inueniant, pudeat retractare. Est tamen modis omnibus pulcherrimũ, vt ne quis ita temerè & audacter tanquam de Tripode respondeat, qui non & rei omnes circumstantias accuratè expenderit, & Dei cum primis opem & auxilium implorant.

Iterũ: quod dicitur in Inspirationibus, nequaquã consilium esse petendũ, &c. referri nõ debet ad considerationes temporum, circumstantiarũ. impedimentorũ, &c. quę omnia in ipso perpetrando necessitudinis & vtilitatis rationẽ multã habent. Hoc enim vehementer expetunt viri boni & vnicè laborant, vt ea, quib⁹ quasi medijs ad ipsas tibi rationes mouentur, diligant, quærant, in opus & effectũ deducant: nõ, quod scrupulis, tentationibus aut miserijs exagitentur: nõ amicorũ gratia aut parentum, nõ hominũ quorumcumque, non honoris, parandæ rei, &c. sed vt ille feruor & animi desideriũ in laude Dei consistat, & cedat ad animæ salutẽ: quo sine dubio multũ faciunt, consilia, eruditio, experientia, id quod toto hoc libro, & reipsa satis patet: vt nimirũ maiore merito nostro ad honorem Dei actiones nostras referamus. Hæc nobis exposita sint hoc modo.

Vide lib de cõfess. cap. 3. cond. 5. & cap 6.

Matt. 6.

CA-

CAPVT CXIX.

QVO SENSV DICATVR: IN *Inspirationibus non quæ nostra, sed quæ potentia sit attendi debere.*

QVi putant de ingressu Religionis dubitandum non esse, quod ille spiritus auctore Deo sit, quantumcumque infirmus homo, vel impotens natura sua videatur: quia videlicet posita omni humana fiducia in solo Deo spes nostra collocanda sit: *Qui sperant in Domino, ait ille, mutabunt fortitudinem, current & non laborabunt, &c.* Illi primùm intelligant, quæ de Moyse à nobis sunt dicta, tùm verò adhibebimus his explicandis sal discretionis. nam & Diuus Thomas seipsum mox explicans: *nisi notabile*, inquit, *impedimentum esset:* nimirum, in corpore infirmitas, &c. quæ sanè consideratione egent non parua, & exponenda sunt apud illos, quibus speramus salutem & profectũ nostrum esse optatissimum. Quod idem est in institutis Ecclesiæ, in spiritali vitæ statu ineundo, si quid in corpore obstet; ne contra spem in spem sperantes rei temeritatis à Domino condemnemur. Nam & viris prudentissimis facilè erit, hac inquisitio-

Esa. 40. Cap. 405.

D. Thom. 2. 2. qu. & art. vlt. & opusc 18. cap. 9.

quisitione facta, iudicium de illis ferre, an illa in Deum spes firma & stabilis sit. Quod exemplo Christi & Apostolorum rectissimè faciunt, qui quærendum sibi inprimis putabant ab illis, quos sanitati restituebant, anne Deo crederent? Quę fidei & spei fortitudo in illis defecisse videbatur, de quibus Apostolus: *Si nō continent, nubant*. Videbantur illæ desperare, continere posse à viri consortio. ideò non consulit Apostolus vt contineant, quod alibi non iam consulentis, sed iubentis in morem dicit. *Volo iuniores viduas nubere*. Et Apostolis præcipit Christus *sedere, donec virtute induantur ex alto*. Igitur consulendum ita affectis est, quo maximè modo hanc spem alere debeant in timore, & virtutum exercitijs; vt vel hoc tanto studio maiorē Dei gratiam promereantur. Sit hoc positum: benè facere, qui consilium quęrunt, si quid impediat vel in corpore vel in animo. quo eodem fine Nouitijs præceptor dari solet in Cœnobijs, tanquam cōsiliarius, cuius doctrina & experientia ad omnia vtantur. Quod si pro more Ecclesiæ anno Probationis rectissimè fit, an quisquam negabit maiore fructu hæc fieri ante ipsam inuestituram, quæ publica est? Quamobrem qui hæc audiunt (pri-

1. Cor. 7.
1. Tim. 5.
Luc. vlt.

ma ſpecie contraria) accipere debebunt de gratia, potentijs, virib⁹ animæ & corporis, quas quis in ſeipſo iam nunc probat & experitur: cum ſpe, quod ille qui initium dedit, atque adeò viam & media ad illum ſcopum præparauit, etiam reliqua finem vſq; pro ſua bonitate largiturus ſit. Tum verò, qui ab animo & corpore ita conſtitutus eſt, Religionem & Conſilia Chriſti amplectitur, nequaquam ſibijpſi fidens, ſed bonitati & ſapientiæ Dei, cuius potentiæ cuncta patent: neque tamen in hac via vnquam ſecurus, ſed in timore attendit, quæ conſilia ſequantur, quæ dent alij: ne ſuo vitio præſens gratia extinguatur. Ait enim
Pſal. 126. Propheta: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam:* Sin cuſtodierit, non fruſtra vigilat. Non igitur fide deficiet, non ineptè curis torquebitur ſuper eo, qui tali ſpiritu & tanquã arrha diuinioris operæ promiſſum acceperit, ſed & ipſe Deo confidet, inque eius potentia, bonitate, ſapientia ſpem ſuam collocabit.



CA-

CAPVT CXX.

DE OBEDIENTIA, QVA IVbemur Deo statim obedire.

ITa est vir verè iustus, &, qui saluti suæ consultum cupit, ille vocanti se Domino, Patri, Sponso Redemptori suo ad nutũ promptus & expeditus est: nequaquam dubius de potentia, sapientia Dei: exemplo Abrahæ *contra spem in spem credit. qui in fide non infirmatus est, nec considerauit corpus suum emortuum. In repromissione Dei non hæsitauit diffidentia, confortatus est in fide, dans gloriam Deo: plenissimè sciens, quia quæcumq; promisit, potens est facere. Ideò & reputatũ est illi ad iustitiam. Non est autem tantum scriptum propter illum, sed & propter nos.* Huius fidei exempla passim videas in Sacris literis. neque hîc quicquam est quod nos vrgeat: nam qui Deo ad eum modum credit & obsequitur, ille & libertimè & sanctissimè in hoc seculo viuit, cum suauitate quadam futuræ beatitudinis. & in hanc sententiam multa à nobis alibi dicta sunt. Sed quia hoc opus sui magnitudine & prestantia longè maximum est, videndum accuratè, vt qui mandatis Dei obedientem se præstare cupiat, illa ipsa eius mandata rectè

D. Thom. 2.2. q.104. art. 4.

Rom. 4.

Libro de Monte de Timore par. 3. 5.

accipiat, voluntatem & secretum iudicij sui placitum interpretetur, momenta & temporum circumstantias pro pondere negocij istius adhibeat: an opera an voluntatem duntaxat requirat Deus, &c. à quibus scilicet tota huius rei difficultas est. Constat: velle Deum quæ bona sunt curæ esse illi hominũ salutem, perfectionem nostram, &c. Quæ sui generalitate nota nobis sunt: sed quibus medijs, quâ viâ ille docendis hominibus & saluandis, quibus exercitijs, quo vitæ statu vtatur, id non peræquè constat: vt maximè ab animo benè affecti & ad omnẽ obedientiam compositi videamur.

D. Prosper con. coll. de Dauid & miss. Apost. Thom. 2. 2. quæst 47. art. 7. Prudentia est qualiter & per quæ media. & art. 9. Operari quidem velociter, consiliari, &c. Aug. lib. 22. c. 27. Idem de ciuit. Dei lib. 19. c. 2.

Secundò quantum hæc media spectat, quid in ijs velit Deus, vt sciamus: dedit nobis Moysen & Prophetas, hoc est, ipsam primũ Scripturam, Sanctam Ecclesiam, viros doctos & prudentes, rationem ipsam, memoriam, ingenium, sensus, &c. Atque in his (vt tamen vnctione Sancti Spiritus ad singula momenta nobis opus sit) nihil amplius requirunt viri pij & prudentes. Hoc liquet exemplo Moysis & Sanctissimorum hominum, quib' familiarissimè Deo vtentibus, si quid ille præscriberet, si puniret, id non semper per seipsum præstitit, sed opera aliorum, donis, ingenijs ipsorummet,

met,& potētijs à se datis,vsus est: quemadmodum capite 1.pluribus explicatum est. Christus excitauit Lazarum à mortuis,sed non soluit.excitat in brachio potentiæ suæ Deus corda hominum, & præparat in genere, quorum tamen manus & pedes ligati, & velata manet facies: hoc est, qui in specie nihil certi intelligunt, quid, quâ viâ, tentandum sit: vsq; dum plenius à Deo, aut per ea quæ iam diximus,instituantur Quamobrem qui eos tales motus in animo suo sentiet,conuertetur ad Deum, illius sententiam in patientia & precibus exspectabit: neque tentabit quod momentum aliquod habeat, nisi perfectè eruditus. *Ioan.11.*

Huius probationes tota Scriptura reperire est. neque enim Moyses præcepta Dei edidit nisi plenè edoctus. & Samuel tandem vnxit Dauid in Regem.Ita Ieremias, Daniel, &c. Ait Dominus ad Dauid: *Vade, & percuties Philistæos.* Contradicentibus illis qui aderant, *rursum Dauid consuluit Dominum; qui ait. Vade.* Erat vir ille pius, sapiens, & à Deo edoctus,qui satis sciret hoc à Deo sibi dictum esse semel: sed quia illorum rationes, qui contra senserant, verisimiles videbantur, atq; ideò à Deo esse, aut certè vt errare illos & decipi planum esset, ne *Exod.3.* *1. Reg 16.* *Ierem. 1.* *Dan. 4.* *1. Reg. 23.*

ſuo vitio victoriæ curſus impediretur, hærebat. Ille qui à Deo mandatum acceperat vbi audiuit probabiles ſuorũ rationes pugnam detrectantium, iterum conſuluit Dei oraculum. O admirabilem ſanctiſſimorum hominum humanitatem, hæc cauſa & vinculum fuit illius concordiæ, pacis & quietis. Et quid vetera ambimus? Eadem doctrina petitur exemplo caſtiſſimæ virginis Mariæ: neque tamen inobedientiæ maculam contraxit. Legimus: *Cum audiſſet* (ſalutantẽ Angelum) *turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Et ait Angelus: ne timeas Maria &c. Dixit autem Maria. Quomodo fiet iſtud?* Eccè tibi loquentem & inquirentem Mariam, quot rationes, quot modis inſtruit Angelus Virginem; tandem auditis omnibus illa aſſenſa eſt. Atq; ſi Maria in hunc modum ſeſe habuit apud illum, quem ſciebat Angelum Dei veniſſe, à quo falli omninò non poſſet; an mirum ſit nos qui infirmitate & cæcitate labimur, indagare & inquirere in rem ipſam, & quæ circumſtant? neque nudæ motioni ſtatim attendere, qui cauſam & auctorem prorſus ignoremus? cum etiam Angelus Satanæ transfiguret ſe in Angelum lucis. Quod de Maria diximus, ita acci-

Lucæ 1.

Bernard.

piunt

piunt viri Sanctissimi: tanto studio cultam ab illa pudicitiam, quam Deo vouerat, quod cum illius detrimento nec filium Dei cupiuerit concipere; quæ causa fuit illius quæstionis: *quomodo fiet istud?* Paulus voce Dei ad terram deuectus, clamat: *quis es Domine?* Et mittendus ad illum Ananias respondit: *audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem: & hic habet potestatem alligandi oēs, qui inuocant nomen tuum.* Sed audit: *Vade quoniam vas electionis est mihi iste.* Atque hoc exemplo repetimus, quod de Samuele suprà diximus. Iterum: in Actis Petro dicitur: *Surge, & manduca. Ait Petrus absit Domine, &c.* Et cum tres viri missi à Centurione Cornelio Petrum vocaturi adstitissent: *Surge*, ait Dominus, *& descende, & vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi illos. Et Petrus dixit ad viros: Eccè ego sum, quæ causa est, quare huc venistis? & introducens eos recepit hospitio.* An non rationibus Deus & Petrus inuicem aguntè. Docet illum primùm visione, succedunt tres viri ad ipsum opus. iterum rationes. *Vade, quoniam misi.* Postremùm, quærit Petrus causam ab ijs, quid venerint? Nimirum viri sanctissimi, qui scilicet maximè Deo crederent, eiusque mandata prom-

de Senis Sabb. dominica in pass. de pudic.
D. virg.
Actor. 9.
Cap. 105.
Actor. 10.

ta promptis animis exequi percuperent, quadam tamen animi libertate & admiratione, amore, &c. Illam ipsam Dei voluntatē primitus intelligere, tùm etiam opere ipso adimplere volebant. qui satis scirent & hoc diuinæ voluntatis esse, ꝙ eo fine rationem nobis indidisset, quam sapientissimū rerum conditorem Deum perdere voluisse quis temerè affirmarit? augere potius & attollere: quemadmodum *nec legem perdere venerat, sed adimplere.*

Matth.5.

Iterum: Videmus doceri hac ratione, & in his, viros sanctos: non castigari tanquā admisso facinore non acerbius perstringi, non inscitiæ, fraudis vel inobedientiæ reos censeri. Zachariam, Petrum & alios accusari legimus, quod hæsitarent in fide, videlicet, nondum missus Paracletus venerat è cœlo. Ex quibus Scripturæ locis differentia, quam quærimus, satis elucet: neque enim parum distant hæc ab ijs piè & sanctè responsis: quoniam, qui animum, cor, cogitationes, & intrinseca quæq; penetrat Deus, suo iure iudicium sibi vendicat. difficilè homines de his iudicant, qui ex Principijs malè detortis pessimè pronunciant, ægritudine animi vel inuidia, & ideò falsi censores morum. Sed in his sibi quisque

Luc.1. Matth.6. 8.14.16.

Caietan. sup.2.2.q. 23 art.2. 1.Cor.11.

que

que potiſſimus iudex eſt, vt non iudicetur à Domino: minimè omnium in alios tale quicquam ſibi ſumat.

Ait ille: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.* Nimirum infinita Dei bonitas & miſericordia in nos, neque fallit, conſtans promiſſorũ & verus, & potens efficere quod promiſit. *Et ſcies,* inquit, *quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur, qui exſpectant eum.* Illa ſpes certa quidem & ſtabilis eſt in Deo, quatenus in Deo, qui errare & decipi non poteſt: nos autem imbecilli, fragiles, lutea vaſa, ad illam naturæ conſtantiam non accedimus, propterea meritò timemus ne indigni ſimus qui exaudiamur, quibus auxilium ferat, quos Deus ſaluos faciat. Neſcimus an ſpes noſtra perfecta, iuſta ſit, incerti de charitate: an nos in illa, illa in nobis habitet. Quamobrem in timore & ſpe medium fecimus, vt hac ſocia nihil detrahat deſperatio vel puſillanimitas: illo duce procul ſit præſumptio, faſtus, & illa libertas quæ modum & ordinem excedit.

Prouerb. 3. & ibi Dionyſ. Carth. Iſa. 49. Eccleſ. 9. De Monte part. 4. de Timore.

Qui apud ſe ſanctiſſimi cuiuſque vitam, mores, & res geſtas expenderit, facilè iudicabit illos Dei promiſſis omnem operam & ſtudium coniunxiſſe. Eſt omninò rationi conſentaneum, nos Deo


noſtro

nostro obedientes, & dictis eius summã fidem adhibere, & tamen opus est, vt illam ipsam voluntatem eius primùm intelligamus, connexa & consequentia exploremus, maximè, si res illa, quã quærimus, ad salutem necessaria non sit, quo numero sunt: vitæ aliquẽ statum, exercitia, modũ acceptare, & his similia: quæ neque ad salutem neque ad vtilitatem cuiusque sunt. Etiam finis est in hac sententia. Qui Deo monenti, vocanti, & inspiranti se morigeros prę̈stant, meritò recti operis & debitæ pietatis immarcessibilem gloriæ coronam promerentur: id qui non faciunt, flagitij, stuporis & vel ignauiæ condemnandi sunt.

Bernard. de senis ser. 4. post pẽt. D. Bern. serm. 1. de pent. & ser. 74. in Cant.

Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2.

FINIS.



8-1



